BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
III
B
3
NAPOLI

Digitized by Google

LEXICON BIBLICUM,

IN QUO EXPLICANTUR VULGATÆ VOCABULA ET PHRASES

Quæcunque propter Linguæ Hebraicæ Græcæque peregrinitatem injicere moram legenti poſſunt.

Ad uſum eorum omnium, qui abſque magnorum voluminum ambagibus Divinæ Scripturæ Textum & Contextum intelligere, & verbum Dei ſolide populo proponere deſiderant.

ACCEDUNT SUMMARIA CAPITUM OMNIUM TOTIUS CODICIS DIVINI.

AUCTORE

IGNATIO WEITENAUER S. J.

Ling. Hebr. & Græcæ in Alma Leop. Oenip. Prof. P. O.

Editio prima Veneta multo correctior, & emendatior.



VENETIIS, MDCCLX.

TYPIS ANTONII ZATTA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

3

PRÆFATIO.

NUllum homini Chriſtiano, ſacris præſertim Aris addicto, ſolatium eſſe majus in hac vita poteſt, quam DEI verbum. *Habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.* I. Mach. XII. 9. Solatio hoc ne plene ac libere frui omnes poſſint, illud efficit, de quo identidem conqueri pleroſque audimus, Divinam hanc lucem ſæpiſſime obſcuritate intercipi. Nimirum, quod de templo ſuo dixit Salomon, idem de ſanctiſſimo Utriuſque Legis volumine affirmare poſſis: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* III. Reg. VIII. 12. Neque nunc de ſacra myſteriorum caligine loquor, in qua penetranda a tot ſeculis præſtantiſſima Patrum Interpretumque ingenia elaborarunt: ſed ipſa vocabula & loquendi modus, ſine quorum clara notitia ſenſus verus ac proprius oboriri lectoris animo nequit, peregrinitate ſua inſuetos & hæſitantes impediunt. Id ea de cauſſa evenit, quod interpretes, Divini fontis reverentia ducti, primævæ linguæ phraſim retinuere paſſim, atque ita latinis verbis non raro græce, hebraice vero locis innumeris locuti ſunt. Utinam quidem obſtaculum hoc ſentiant omnes, ex eorum præſertim numero, quorum officium eſt, DEI verbum populo interpretari: hi enim, ſi fontes non videant, rivulos conſectentur, facile a limpido ſinceroque ſenſu abeunt, & in explananda ſententia ſibi aliiſque imponunt. Acriter id Hieronymus, doctor in interpretandis Scripturis Divinis maximus, in ætatis ſuæ concionatoribus reprehendit, & indignans ad Paulinum epiſt. 103. ſcribit: „Quid-„quid dixerint, hoc legem DEI putant: nec ſcire di-„gnantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed „ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi „grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, depra-„vare ſententias, & ad voluntatem ſuam, ſcripturam „trahere repugnantem.“ Cumque horum orationem conſutis ex Homero Virgilioque centonibus comparaſſet, ita pergit: „Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſi-„milia, docere quod ignores, imo, ut cum ſtomacho lo-„quar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias.“ Alibi quoque eandem ſeculi ſui deſidiam in hunc modum deplorat: „Loquendi facilitate interpretamur audacter, quod ne-„quaquam intelligimus.“ (Lib. II. in epiſt. ad Gal. in

cap. 4.) Atque iſtud hominum genus mille annis poſt Hieronymum ſuperfuiſſe, teſtatur ac dolet Franciſcus Ribera, unus e præſtantiſſimis Divini Codicis interpretibus, iis verbis: „Cum Scripturam ne a limine quidem ſalutarint, quam audacter eam exponunt! quam libere pronunciant! quam multa teſtimonia proferunt, quam multas figuras! nihil aliud ſonant, quam Apoſtolos & Prophetas. Videas vim Scripturæ verbis afferri, invitos Prophetas citari, figuris figuram & formam ſuam adimi, lacerari ſacra verba, & in alienos ſenſus detorqueri, fieri in libris Divinis, & cum plauſu multorum excipi, quod in Terentio non ferrent grammatici. De his dicitur, Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini." (Comment. major. in XII. Proph. ad Cap. I. Oſeæ, n. 22. & 23.)

Noſtris vero temporibus cum interpretes tam præclari ſuppetant, diu cunctatus ſum, & anceps de tantæ molis labore ſuſcipiendo, tandem his fere argumentis ceſſi. Interpretum magna & pretioſa volumina non alliciunt aut juvat pleroſque eorum, quibus operam hanc meam conſecro. Vos, inquam, Sacerdotes novi, eos libros quæritis, quibus & emendis mediocre pretium, & legendis modicum tempus ſufficiat. Præterea, dum prima vobis cura eſt, ut eſſe debet, verbum DEI cum diligentia & attentione perlegere; digreſſiones longas & crebras minime deſideratis, quæ feſtinantibus & egentibus tempore plus impedimenti afferre, quam oblectamenti ſolent. Neque inter hæc initia moralem aut allegoricum ſenſum petitis, contenti nunc literali, qui ſolus ceterorum baſis eſt: vero enim ſenſu literali inſtructus, mentem loquentis DEI intelligit: eo autem deſtitutus, fluctuat etiamnum, nec certi quidquam habet, quo vel ipſe nitatur, vel auditorem ſolide firmiterque teneat. Quid quod ſecurus eſſe de ſenſu morali & allegorico, aut anagogico nemo poteſt, nec de illorum ſoliditate judicare, niſi qui literalem ante perceperit, e quo illos enaſci neceſſe eſt? Literalem vero qui penetrat, ex eo moralem ceteroſque elicere ſuo ipſius ingenio poteſt, etiam nemine ſuggerente. Id ergo mihi fuit propoſitum, ut veſtro commodo obſtacula omnia tollerem, quæ loquendi peregrinitas affert, quo minus perſpicue Codex Divinus intelligi, & literalis ejuſdem ſenſus deprehendi a quibuslibet poſſit: ſimul tamen brevitate tanta uſus ſum, quantamcunque res ampliſſima admittebat, quo parabiliorem vobis librum offerrem.

Incluſi

Incluſi ergo hoc Lexico vocabula & modos loquendi omnes, quorum peregrinitas moram injicere legenti poſſet: ut proin ejus ope tam plane & expedite intelligi Vulgata queat, quam ſi Libros Divinos in ipſis fontibus legeres, primævaſque linguas penitus animo comprehenſas & memoriæ præſentes haberes. Qua ratione conſecuturum te hæc duo polliceor, quæ ſunt vel maxima, ut & dubia illuſtrentur, & multi multorum errores a te avertantur. Intelliges, ut exemplis pauculis promiſſa confirmem, quid ſit *dilatare phylacteria*. Matth. XXIII. 5. nec in eorum opinionem incurres, qui *phylacteria* eſſe veſtium cingula exiſtimant. Scies hinc, quid ſint *lapides cineris* Iſ. XXVII. 9 & *lapis caliginis*. Job. XXVIII. 3. ac *ſtanneus lapis* Zach. IV. 10. Vocabula *Abſconditus* & *Adeps* docent, quid ſibi velint illa: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*, Pſ. XVI. 14. &, *Adipem ſuum concluſerunt*, Pſ. XVI. 10. Ea Chriſti verba, *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*, Joann. XII. 35. pleriſque videntur diſcipulos reprehendere, quaſi minus dociles & obliviosos. *Angeli pacis* amarè flentes apud Iſaiam, XXXIII. 7. vulgo cæleſtes genii eſſe creduntur, de mortalium peccatis dolentes. Si adieris Vocabula *Modicum* & *Angelus*, alia omnia ſentire diſces.

Contra in iis, quæ neminem lectorum morari poſſe videbantur, diſſimulandum potius duxi, ne inutili copia volumen creſceret, & legentes non ſine faſtidio oneraret. Plurima in utriuſque legis volumine occurrunt, a latina quidem conſuetudine abhorrentia, de quibus tamen ambigere nemo hominum poſſit. Talia ſunt, quæ ſubjicio: *In miſericordiis autem tuis plurimis non feciſti eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos*. II. Eſdr. IX. 31. nimirum, ob infinitam tuam miſericordiam inter caſus plurimos non es paſſus eos unquam conſumi, nec illos deſeruiſti. *Non fuimus ſubjectibiles illi ---- eramus incredibiles ad Dominum*. Bar. I. 18. & 19. Non paruimus, non credidimus Domino. *Aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum*. Num. XX. 6. hoc eſt, ut ſatientur, & reſtincta ſiti a querimoniis ceſſent. *Invenit Tobiam diſcumbentem: & exiliens, oſculati ſunt ſe invicem*. Tob. IX. 8. Gabelus ſcilicet, ubi diſcumbentem Tobiam vidit, exiliit gaudio, & ambo mutua ſibi oſcula tulerunt. Hæc & ſexcenta ſimilia, ſunt illa quidem peregrina, non ejus tamen generis, ut moram injicere vel mediocri ingenio queant: atque ita, cum

nec

nec ad forum meum pertineant, nec interpretem alium deſiderent, quam communem & inſitum hominibus omnibus ſenſum, jure optimo ſunt a me prætermiſſa.

Neque illa præſentis inſtituti ſunt, quorum obſcuritas non a ſermonis peregrinitate, ſed a rebus ipſis proficiſcitur. Cujuſmodi bene multa in Apocalypſi, in Daniele, in Jobo legimus: in quibus etſi verba latina hebraicis græciſque ex æquo reſpondeant, nova & integra de rebus ipſis diſputatio naſcitur. Non erat hujus opuſculi, vela eo uſque pandere: non hæc præſcriptus a me titulus comprehendit: neque vero ad formandos ab oratore ſacro mores, quod eſt a me ſpectatum præcipue, iſta ſingulare præſidium afferre ſolent. Ex quo & illud apparet, quam multum ab Ampliſſimi Calmeti Dictionario Biblico meum hoc Lexicon diſcrepet: ille enim in eruditione hiſtorica totus eſt: ego verba & phraſin ſector. Si tamen hæc ipſa lucis aliquid ab hiſtoria vel geographia veteri poſcere videbantur, occaſioni nequaquam defui, ſed nunquam immemor brevitatis.

In explicandis nominibus hominum propriis eam mihi legem conſtitui, ut illorum duntaxat ſignificationem exponerem, quæ cum ipſa narratione connectebantur. Sic de Patriarcharum nominibus, quæ certas ob cauſſas impoſita fuiſſe narrantur, reddenda fuit originis ratio, ne lector in tenebris relinqueretur. Reliquam nominum propriorum turbam ſilentio involvi, pauciſſimis commemoratis, quæ ob ſingularem quandam rationem id mereri viſa ſunt.

Hebraiſmos aliquot frequentiores, ne plurimis locis repetere ſingillatim opus ſit, ſemel hic indico.

I. Ubi nos epitheton ſeu adjectivum ſubſtantivo adjungimus, Hebræi ſubſtantivum geminum uſurpare ſolent. *Virga directionis*. Pſ. XLIV. 7. Virga rectiſſima, ſceptrum æquiſſimum. *Vir ſanguinum*. II. Reg. XVI. 7. vir crudelis, ſanguinarius. *Labia ſcientiæ*. Prov. XX. 15. labia docta, ſeu ſcientiam proferentia. *Mulier virtutis*. Ruth III. 11. mulier virtuti dedita. *Vir dolorum*. Iſ. LIII. 3. doloribus obrutus. *Turris fortitudinis*. Pſ. LX. 4. turris validiſſima. *Homo pacis meæ*. Pſ. XL. 10. amicus meus, familiaris. *Panis impietatis*, & *vinum iniquitatis*. Prov. IV. 17. victus impie comparatus, inique partus. *Vaſa gloriæ ejus*; nimirum templi. I. Mach. II. 9. pretioſa templi ſupellex. *Dominus pars hæreditatis meæ*. Pſ. XV. 5. pars ſeu portio mea hæreditaria, hæreditas mea.

mea. non quaſi bona præter DEUM alia ſperet aut cupiat, quod ſuſpicari fortaſſis ex latino poſſes: ſed ſolam totamque hæreditatem DEUM expectat. Sic, ubi nos legimus, *gemma gratiſſima*, Prov. XVII. 8. in fonte hebraico eſt *lapis gratiæ*.

II. Hebræi cum vocabulum geminant, ſive ſubſtantivum id ſit, ſive verbum; rei magnitudinem, copiam, vehementiam per hoc ſignificant. Sic noſtros *acervos plurimos*, II. Par. XXXI. 6. & *alta profunditas*, Eccle. VII. 25. hebraica reddunt per *acervos acervos* & *profundum profundum*. Sic *vanitas vanitatum*, maxima, mera vanitas; *canticum canticorum*, poema nobiliſſimum, omnium præſtantiſſimum. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron*. Pſ. CXXXII. 2. unguentum liberaliter effuſum in Aaronis caput, ut in totam undique barbam effluat. *Sanctus ſanctus ſanctus Dominus DEUS exercituum*. Iſ. VI. 3. id eſt, ſanctiſſimus. *Terra terra terra*. Jer. XXII. 29. terra omnium optima, terra ſancta. *Gens & gens*, unaquæque gens, *in urbibus ſuis*. IV. Reg. 29. *Per civitatem & civitatem*. I. Eſdr. X. 14. ſingulæ civitates; ex omnibus urbibus. *In omni menſe & menſe*. I. Mach. I. 61. ſingulis menſibus. *Homo & homo natus eſt in ea*. Pſ. LXXXVI. 5. ingens hominum copia. *Plorans ploravit*. Thren. I. 2. vehementer ploravit. *Caſtigans caſtigavit me Dominus*. Pſ. CXVII. 18. ſevere me caſtigavit. *Præcipiendo præcipimus vobis*. Act. V. 28. graviter, ſerio præcepimus.

III. Amant Hebræi pronomina pleonaſtica, ſeu ſolius elegantiæ ergo attexta. *Date Domino gloriam nomini ejus* I. Par. XVI. 29. tribuite gloriam nomini Domini. *Beatus, cujus DEUS Jacob adjutor ejus*. Pſ. CXLV. 5. cujus adjutor eſt DEUS Jacob. *ejus* per pleonaſmum adiicitur. *Mons, in quo beneplacitum eſt DEO habitare in eo*. Pſ. LXVII. 17. Mons, in quo habitare DEO placet. *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ*. Pſ. LVI. 5. Dentes filiorum hominum ſunt armorum inſtar & ſagittarum. *Miſit Moyſen ſervum ſuum, Aaron, quem elegit ipſum*. Pſ. CIV. 26. ubi particula *ipſum* per pleonaſmum redundat.

IV. Nonnunquam præpoſitio ante præpoſitionem ponitur. *Nec locutus eſt Dominus, ut deleret nomen Iſrael de ſub cœlo*. IV. Reg. XIV. 27. ex omni regione ſub cœlo ſita. *Fulgur coruſcans de ſub cœlo*. Luc. XVII. 24. e nubibus, quæ ſub cœlo ſunt. *De poſt fœtantes accepit eum*.

Pſ. ...

Pſ. LXXVII. 70. DEUS Davidem elegit, cum oves fœtas ſequeretur: a gregis cura & obſequio eum ad regiam dignitatem tranſtulit. *Avertuntur de poſt tergum Domini*. Soph. I. 6. Contemnunt DEI legem, & ab eo avertuntur. *De trans Jordanem*. Matth. IV. 25. e regione trans Jordanem.

V. Verborum præterita pro futuris, futura pro præteritis, & utraque pro præſenti, maxime in libris propheticis, paſſim adhibent. Futurum item indicativi & imperativum ſæpe inter ſe permutant. *Nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit*. Iſ. XV. 1. vaſtabitur, conticeſcet. *Periit ſacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus*. Joel. I. 9. & 10. peribit; lugebunt; populabitur; lugebit. *DEUS ab Auſtro veniet*. Hab. 3. venit. *Ante faciem ejus ibit mors: & egredietur diabolus ante pedes ejus*. ibid. v. 5. ivit; egreſſus eſt: ſicuti *ſtetit & menſus eſt, aſpexit & diſſolvit*, ac cetera, quæ ſequuntur, tempore præterito. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium divitias parat*. Prov. X. 4. operatur; eodem nimirum tempore, quo *parat*. DEUS *omne, quod voluerit, faciet: & ſermo illius poteſtate plenus eſt*. Eccle. VIII. 3. & 4. facit; quemadmodum *eſt*. *Vade, & congrega ſeniores Iſrael, & dices ad eos: Dominus DEUS patrum veſtrorum apparuit mihi*. Exod. III. 16. vade, congrega, dic. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet a dexteris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum*. Pſ. CVIII. 6. & 7. conſtitues; ſtabit; exibit; fiet. Ex quo vides, hæc & ſimilia ſanctorum hominum dicta non tam optantium & imprecantium eſſe, quam vaticinantium & præmonentium.

Vale jam, Lector Benevole, noſtroque hoc labore fruere: quod quo ſecurior facere, meaque fide niti fidentius poſſis, ſcito, me in colligendo hoc opere libris amplius quingentis uſum, ex iiſque ſelectiſſima hauſiſſe, quæ tibi profutura offerrem.

LE-

LEXICON BIBLICUM.

A*A*, *A*. Vox dolentis eſt, & obſecrantis. Quoties apud nos legitur, hebraice eſt *abab*, latino *ab*! *ab*! reſpondens. Deprecans & obteſtans Jeremias, I. 6. & XIV. 13. dicit: *A*, *a*, *a*, *Domine DEUS*, id eſt: Obſecro Domine, Ah Domine! Eodemque ſenſu Ezechiel IV. 14, & XX. 49. ſive hebraice XXI. 5. Joelis I. 15. additur dandi caſus: *A*, *a*, *a*, *diei*. quaſi dicas. Væ diei! Illuſtratur hic ſenſus ex Ezech. IX. 8, & XI. 13, ubi cum hebraice idem illud *abab* legatur, Noſter vertit *heu heu heu!*

A vel *AB*. in Divinis Libris multiplicem habet uſum a latina conſuetudine alienum: ſignificat enim

1. *Præ*. Ad Hieroſolymam dicitur Ezech. XVI. 52: *Viciſti ſorores tuas peccatis tuis*, *ſceleratius agens ab eis: juſtificatæ ſunt enim a te*, id eſt, præ eis, præ te. Samariam & Sodomam, quas Hieroſolymæ ſorores appellat, ſceleribus viciſti: te enim juſtiores illæ ſunt. *Quid habet amplius ſapiens a ſtulto?* Eccle. VI. 8. videlicet, præ ſtulto. De publicano pœnitente: *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*. Luc. XVIII. 14. præ illo, nimirum tumido Phariſæo.

A Moy-

Moyſes; pro populo ſuo rogans, Exod. XXXIII. 16 a DEO precatur: *ut glorificemur ab omnibus populis*. id eſt præ omnibus. De infinita DEI ſapientia: *A mari enim abundavit cogitatio ejus, & conſilium illius ab abyſſo magna*. Eccli. XXIV. 39. quia facilius ſingulas maris guttas numeraveris, & immenſam illam aquarum molem exhauſeris, quam ejus conſilia penetraris. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis*. II. Cor. XI. 5. & XII. 11. eodem ſenſu: *nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*. Non minora egi, nec minor fui, quam Apoſtolorum præcipui: non eſt, cur præ illis parvum me quiſquam exiſtimet.

2. *Coram*. David de ſe: *nec impie geſſi a DEO meo*. Pſ. XVII. 22. Hebraiſmum ſolvunt Chaldaica, quæ aperte habent, *coram DEO meo*. Huc revoca illud: *Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit*. Num. XI. 31. imperante Domino, coram illo. *Proclamate ad Dominum: erit enim memoria veſtra ab eo, qui duxit vos*. Baruch IV. 27. Si DEUM, qui per media pericula vos ſemper duxit, imploraveritis, veſtri apud illum memoria non peribit.

3. *Præter, extra*. Sic Pſaltes: *& a te quid volui ſuper terram?* Pſalm. LXXII. 25. Non eſt in hebraico *præ te*, ſed *tecum*: purioris autem amoris eſt, non tantum nihil præ DEO cupere, ſed ne quidem ullum aliud bonum præter ipſum deſiderare.

4. *Propter*. Siracides monet: *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam: nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, & objectione plebis*. Eccli. XLII. 11. propter publicam domus tuæ infamiam, & plebis convicia. Et XXXVIII. 18. cum dixiſſet: *Fac luctum ſecundum meritum ejus* (mortui) *uno die, vel duobus propter detractionem*: v. 19. pergit: *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem*. Luge mortuum, prout ejus meritum poſtulaverit, uno alterove die, ne populo ſermonem præbeas: cave tamen, ne luctum diutius protrahas: immodica enim triſtitia mortem accelerat, vim animi opprimit, & corporis vires infrin-

ſringit. *Ab ira Domini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem*. Jer. L. 13. Neutiquam Prophetæ ſententia eſt: ira Domini Chaldæam non habitabit. imo incumbet illi graviſſime, & ſupra eam requieſcet: atque propter hanc Domini iram Chaldæa ab hoſtibus vaſtata non habitabitur, ſed in locum deſertum tota convertetur.

Abba. Vox Chriſti in horto orantis, Marc. XIV. 36. Nos quoque Apoſtolus clamare dicit *Abba*, Rom. VIII. 15, & Gal. IV. 6. Ubique explicatio vocabuli additur: *Pater*. Nequis fallatur cum multis, *Abba* non eſt hebraicæ linguæ, ſed ſyriacæ, qua nimirum Chriſtus & Apoſtoli, ut omnes Hebræi ceteri, poſt captivitatem utebantur, hebraica ſolis literatis relicta. Hinc eccleſiaſticum vocabulum *Abbas*.

Abbreviatio. Minatur Iſaias X. 23. *Conſummationem enim & abbreviationem Dominus DEUS exercituum faciet in medio omnis terræ*. Ex univerſa terra congregabit paucos, ſed bonos, qui ad ipſum toto animo convertantur.

Abbrevio. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat*. Iſ. LIX. 1. Non eſt imminuta Dei potentia. Similis huic eſt locus Michææ, II. 7. *Nunquid abbreviatus eſt ſpiritus Domini?* an infinita ejus bonitas exhauſta eſt? At Iſ. X. 22. non ad ſolatium, ſed ad terrorem & comminationem hoc vocabulum pertinet: *conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam*. Quod ab Apoſtolo, Rom. IX. 28. ſic repetitum eſt: *Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate*. Deus hoc verbum, hanc rem a ſe prædictam, conſummabit ſeu perficiet, teque, o popule prave, juſto ſupplicio ad paucitatem rediget, inundantibus terram calamitatibus, ac Divinam ejus juſtitiam manifeſte declarantibus. Iſaiæ prædictio impleta eſt, Sennacheribo Judæam depopulante; Pauli, Tito gentem ipſam cum Hieroſolyma & regno propemodum exſcindente. Alius eſt hujus verbi ſenſus Dan. IX. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum*, donec nimirum adveniat Meſſias, ſive *ungatur Sanctus ſanctorum*. Significat Gabriel, benigniſſimum

Deum, tum Danielis, tum ſanctorum hominum aliorum precibus exoratum, ob has ab æterno prævifas decreviſſe Meſſiam mittere citius, quam iis non prævifis miſſurus fuiſſet.

Abductio. Contra immoderatam in ærumnis triſtitiam ita ſcribit Sapiens: *In abductione permanet triſtitia: & ſubſtantia inopis ſecundum cor ejus.* Eccli. XXXVIII. 20. Id intelligas licet, cum vel dilecti capitis funus effertur, vel gravis alia calamitas incidit; ſive homo, ſive res, invito ac dolenti tibi ſubducatur. Si tu propterea te ab hominum ſocietate abduxeris, hoc ipſum triſtitiam nutriet. atqui ſcito, talem eſſe miſeri vitam, qualis eſt animus; hilarem ac placidam, ſi æquo animo hæc exceperit; ſin minus, acerbam & ægritudine intolerabilem.

Abel. Hebraice eſt *Hevel*, & in pauſa *Havel*: quod idem eſt ac *vanitas*. Eos, qui *Abel* interpretantur *luctum*, opportune admonet Georgius Wicelius in Onomaſtico Chriſtiano, Claſſe I. Voc. *Abel*, id verum fuiſſe futurum, ſi prima ejus nominis litera eſſet *aleph*, ut in urbe illa, cujus mentio fit I. Sam. VI. 18. *Abel* autem Adami filius primam literam *he* habet.

Abeo. David in ipſo limine: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum*. Pſ. I. 1. Beatus, qui prava ſuadentibus impiis morem non gerit.

Abies. Abietes vocantur Hebræorum pontifices & ſacerdotes in admirabili illo vaticinio de excidio templi & gentis propter repudiatum & occiſum Meſſiam, Zach. XI. 1. ſqq. cujus loci initium, tum propter ſummam majeſtatem & eloquentiam, tum propter aliquam allegoriæ obſcuritatem, hic libet exponere. Sub Libani nomine templum Propheta alloquitur, his verbis: *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan, quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus.* Quid portas claudis, o templum & urbs rebellis, advenienti Romano? aperi, aperi aditum! quod quia recuſas facere, jam ille vi perfringet clauſtra, &

ce-

cedros tuas ac te flammis abſumet. Cedri (principes gentis) ceciderunt, & in cineres abierunt. Et vos ergo, Abietes! (ſacerdotes) illis minores, ululate, & exitium præſens agnoſcite: vaſtatis enim procerum ſublimiſſimis, quæ alia ſupereſſe vobis fortuna poteſt? Vos quoque ululate, robuſtæ quercus Baſan! (erat ille tractus quercubus conſpicuis celeber) viri opulenti per omnes regni provincias, ululate! quoniam ſaltus ille munitus, urbs ipſa regia, jacet ac ſquallet, par interitus vos quoque manet.

Abiicio. De homine improbo & fraudulento Eccleſiaſticus, XXVII. 25: *Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet*. id eſt, ex fonte græco, qui ſolus in hoc libro ſupereſt: nemo eum a doloſis & clandeſtinis ſuis machinationibus dimovebit.

Abimelech. Magnus Baſilius hom. in Pſ. XXXIII. ad ejus titulum, in quo Achis rex Gethæorum appellatur Abimelech, hæc habet: *Achis* fuiſſe nomen hominis, *Abimelech* dignitatis: omnes enim reges appellatos fuiſſe Abimelechos, ut apud Romanos, qui rerum potirentur, omnes Cæſares & Auguſtos, & in Aegypto Pharaones: nam & Abrahamo conjungi Abimelechum, & Iſaaco, & hic rurſum Davidi.

Ablactatus. Profeſſus David, non appetere ſe magna & admiranda, viribuſque ſuis majora, addit Pſ. CXXX. 2. *Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltavi animam meam: ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea*. Si modeſte de me non ſenſi, ſi elatus ſum animo: priver omni ſolatio, infanti ſimilis, cui mater lac in perpetuum ſubducit.

Abominatio. Pro falſis diis *abominationes* dixit Moyſes, intrepide ad Pharaonem ipſum ita loqui auſus: *abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino DEO noſtro*. Ex. VIII. 26. Immolaturi enim erant Iſraelitæ animantes eas, quas Ægyptii per abominandum ſcelus pro diis adorabant. Eodem loquendi modo & alii Prophetæ utuntur.

Abra. Judith VIII. 32.* & deinceps hoc libro

aliquoties. Ancillam ſignificat, vox nec latina, nec hebraica, ſed græca, etiam profanis auctoribus uſurpata, Pauſaniæ, Menandro, Jamblicho.

ABRAM. Ita pater omnium credentium appellatus eſt, donec ejus nomen innovavit DEUS: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Gen. XVII. 5. *Abram* hebraice, ex *av* ſeu *ab* & *ram* conflatum, eſt Pater Excelſus: *Abraham*, ex eodem principio, & *rav* (*multus*) ac *hamon* (populus) reciſis extremis literis, Pater Multarum Gentium.

ABSCINDO. Iſaias, Propheta Evangelicus, in celeberrimo illo de Chriſti morte vaticino, LIII. 8: *quia abſciſſus eſt de terra viventium.* Ingenioſe Meſſiam comparatione tacita oſtendit ſimilem nobiliſſimo flori, quem tum maxime fulgentem invida manus abſcindit, ut poſt ereptam hujus terræ uſuram marceſcat. Sed inſignis hujus loci contextum Voc. *Anguſtia*, paulo pluribus illuſtrabo, præſertim qua ratione particula *quia* ad præcedentem hoc ipſo verſu *generationem ejus* referri poſſit.

ABSCONDITUS. Diverſo ſenſu uſurpatur: nam

1. Abſcondita DEI, ſunt theſauri ac divitiæ, quas ille in intimis terræ viſceribus, & ſinu maris recondit. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* Pſ. XVI. 14. Impii opibus abundant, impleti & ſatiati ſunt bonis atque fortunis.

2. Abſconditum tempeſtatis, eſt Divina populi electi defenſio in Erythræi maris tranſitu. *In tribulatione invocaſti me, & liberavi te: exaudivi te in abſcondito tempeſtatis.* Pſ. LXXX. 8. cum nimirum DEUS e periculoſiſſima procella ſuos liberavit, & inſectantem exercitum Ægyptiorum demerſit. Sunt, qui hoc loco tempeſtatem intelligant in Sina monte coortam, cum ante latam a DEO legem *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat.* Ex. XIX. 16. Verum eo tempore populus *in tribulatione* non verſabatur, nec DEUM *invocaverat*: neque hic illum ſeu *liberavit*, ſeu *exaudivit*.

3. Ab-

3. Abſconditum faciei Divinæ, eſt intimum ſacri tabernaculi penetrale. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ a conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*. Pſ. XXX. 21.

4. Abſconditum peccatum, non utique, quod oculos DEI lateat, ſed in diem judicii ſuppliciique dilatum. *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus*. Oſ. XIII. 12. Quaſi acta quædam judicialia de Iſraelis criminibus confecta ſint, & in faſcem colligata, ac abdito quodam loco in judicii tempus repoſita. Allegoria præſtans, affinis illi: *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Deut. XXXII. 34. Hic eſt infeliciſſimus e peccatis theſaurus, de quo gentium doctor: *Theſaurizas tibi iram in die iræ*. Rom. II. 5.

5. Abſcondita conſolatio Oſ. XIII. 14. non eſt ſolatium occultum, ſed ſolatii privatio. Neque hæc jam DEI vox eſt, ſed ipſius Prophetæ: qui poſt glorioſum illud oraculum, Meſſiæ nomine editum *Ero mors, tua o mors, morſus tuus ero inferne*; ipſe de ſe addit: *conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis*. Olim, inquit, a Meſſia mors ſuperabitur: at nunc eo ſolatio caremus: triumphat illa ceu tyrannus, & conjunctiſſimos quoſque divellit. *Inter fratres dividet*. v. ſq. videlicet in irruptione hoſtili, quam Oſeas vaticinatur.

Absorbeo. *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum. Audient verba mea, quoniam potuerunt*. Pſalm. CXL. 6. Injuſti eorum judices e ſaxis præcipites agentur, & ſic barathro hauſti peribunt. Utinam vero illi audirent (hebraiſmus eſt uſitatiſſimus, futurum pro imperativo, *audient* pro *audiant*) utinam audirent in tempore hæc mea monita; amica, & ſalubria, *quoniam potuerunt* non refertur ad *judices*, ſed ad *verba*: de quibus hebraice & græce dicitur, *ſuavia fuerunt*; in Vulgata, *potuerunt*, ſunt potentia, efficacia, utilia, ſi modo a perverſis audiantur. Componere utrumque licet, ſi dicamus, verba amica, & ſalubria; amica, quia ſuavia ſalubria, quia potentia. Emmanuel Sà, vir gravis, & brevilo-

quentiæ amantiſſimus, omittendam tamen hoc loco non duxit illius ineptiam, qui verba iſta prophetica in immodicos vini potatores detorſit: hos, inquiebat, petra manet, podagra nimirum & chiragra, quæ artus atterat, & abſorbeat: ſero id audient & intelligent, quod audire nunc recuſant, *quoniam potaverunt*. Exemplum eloquentiæ, non ſacræ, ſed temerariæ, quæ Divinas voces quoquoverſum trahere non dubitat.

ABSQUE. Sæpius idem eſt ac *præter*. *Abſque me non eſt DEUS*. Iſ. XLIV. 6. *Numquid eſt DEUS abſque me?* ibid. v. 8. *Abſque me non eſt: ego Dominus*. Iſ. XLV. 6. *Non eſt abſque te, DEUS*. ibid. v. 14. *Oculus non vidit, DEUS abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*. Iſ. LXIV. 4. Tu ſolus noſti, quanta ſint bona, expectantibus te in cælo parata.

ABSTERGO. *Livor vulneris abſterget mala: & plagæ in ſecretioribus ventris*. Prov. XX. 30. Sicut vulnus nunquam ſanatur penitus, niſi humore peccante per ſuppurationem exhauſto: ita intimam ſapientiæ diſciplinam tum demum percipimus, cum res adverſæ nos exercent.

ABSTINEO. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum: in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, probibentium nubere, abſtinere a cibis, quos DEUS creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus*. I. Tim. IV. 1. ſqq. Cave nectas *probibentium abſtinere*, ut *probibentium nubere*. Prorſus contrarium in hæreticis his damnat Apoſtolus, quod licitorum etiam ciborum uſu prohibituri ſint aſſeclas. Deeſt ante verbum *abſtinere*, per ellipſin græcis ſcriptoribus non infrequentem, *dicentium* ſeu *jubentium*.

ABSUMO. *Abſumat* (al. *aſſumat*) *ebria ſitientem*. Deut. XXIX. 19. More hebraico, intelligenda eſt e verſiculo ſuperiore negatio: quam LXX aperte repetunt, & metaphoram ſuo more ſolventes, ita vertunt: *ne ſceleratus inſontem ſimul perdat*. Noli credere, impune tibi abiturum, ſi pravæ tuæ cupiditati obſequa-

quaris: *ne forte* (hæ particulæ præceſſerunt v. 18.) ne forte ſceleſtus hominem adhuc ſobrium & probum exemplo aut verbo ſeducat; (en *aſſumat*;) & in eandem ſecum pœnam ac interitum trahat. (en *abſumat*.)

Abyssus. Eam definit Beatus Joannes Damaſcenus l. 2. de Orthodoxa Fide, c. 9. *Abyſſus quippe nihil aliud eſt, quam ingens quædam aquæ copia, cujus finis nullo pacto ab hominibus percipi queat.* Accipitur

1. Pro mari. Diluvii tempore *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. Gen. VII. 11. Aperta ſunt omnia aquarum receptacula, quæ terrarum orbi Oceanum infuderunt. Eodem ſenſu Pſalmus CIII. v. 6. ſqq. *Abyſſus, ſicut veſtimentum, amictus ejus;* (non Dei, ſed terræ, de qua verſu præcedente:) *ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque convertentur operire terram.* Quod initio hujus loci in futuro dicitur, ſenſu præteriti accipiendum eſt, more Hebræis perpetuo, præſertim in poeticis ac propheticis. Optime D. Auguſtinus Conc. 2. in hunc Pſ. *factum in diluvio* cenſet: tunc enim mare *ſicut veſtimentum* univerſam tellurem involvit, & altiſſimorum etiam montium cacumina aquæ ſuperarunt. Sed quamprimum Divina vox ceu tonitru inſonuit, jubens aquas ſe recipere, fugerunt undæ, ac veluti trepidantes locum deſeruere. Eo tempore aſcenderunt montes, deſcenderunt valles, prout ſuum cuique ſpatium Deus rector omnium deſignavit. Aquis vero idem poſuit terminum, quem nunquam deinceps tranſirent, terram nullo iterum ſeculo inundaturæ. Eſt & alia horum verſuum explicatio, de primis ipſis terrarum incunabulis, quo tempore Deus orbem hunc & maria ſeparavit: ſed hæc ſententia difficultatibus implicatur.

2. Pro humore terram liberaliter irrigante. Moriturus Jacob, dum Joſepho filio bene precatur, inter alia inquit: *Omnipotens benedicet tibi, benedictionibus*

cœli

cæli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum. Gen. XLIX. 25. Cælo terraque illi abundantiam aquarum promittit, & fertiliſſimum ſolum, quia tum roris ac imbrium, tum fontium & amnium copia gaviſurum.

3. Pro copioſis & gravibus ærumnis. *Abyſſus abyſſum invocat, in voce cataractarum tuarum. Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Pſ. XLI. 8. Calamitas calamitatem excipit: te cataractas laxante, & ærumnas in me immittente: quarum gurgites & fluctus univerſi me obruerunt.

4. Pro amplis divitiis, per multos annos repoſitis. *Hæc oſtendit mihi Dominus DEUS: & ecce vocabat judicium ad ignem Dominus DEUS: & devoravit abyſſum multam, & comedit ſimul partem.* Amos VII. 4. Vocavit Deus regnum Juda ad judicium, & illud punire decrevit igne. Ignis hic fuit Nabuchodonoſor, qui opes regni Judaici immenſas conſumpſit, & poſt urbes ceteras denique ipſam Hieroſolymam ac templum cremavit, quæ *pars* propria ſeu hæreditas Domini erat. Conſternatus Amos rogat hic, ne iratus Dominus totam gentem funditus deleat: quod evitari jam poſt tale exitium videbatur non poſſe. *Miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Sed & iſtud non erit, dixit Dominus DEUS.* v. 6. id eſt, Non delebo penitus Judam. Quod tum apparuit, cum Deus LXX. annorum captivitatem per Cyrum ſolvit Regnum Aſſyrium Ezechiel XXXI. 3. comparat ſublimi & frondoſæ cedro, & v. 4. allegoriam ita proſequitur: *Aquæ nutrierunt illum, abyſſus exaltavit illum: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus.* Aquæ hæ *abyſſi* ſunt opes plurimæ & inexhauſtæ, quibus innutritum id imperium ad tantam altitudinem ſe extulerat. Flumina ſunt actæ ex hoſtibus prædæ, ac tributa tot populorum, quibus affluebat.

Accedo. *Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur DEUS.* Pſ. LXIII. 7. & 8. Cor altum, ut ex hebraico fit perſpicuum, eſt cor profundum. Machinatur homo clam fraudes apud ſe: ſed omnibus ejus conſiliis ſuperiorem ſe Deus oſtendit, dum ea deſtruit.

ſtruit. Ideo ſequitur, intentata ab illis vulnera fuiſſe irrita, & ſagittis ſimilia, quas puer imbelli manu jacit. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*. v. 8.

Accendo. Rebellibus contra Meſſiam Judæis ita Deus minatur: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis*. Iſa. L. 11. Hieronymus, in explicandis Scripturis Doctor maximus, hæc de iis malis interpretatur, quæ Judæi ab Romanis illata ad ipſius uſque tempora ſuſtinebant. Ecce vos omnes, qui incendium ferale adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus excitaſtis, miſeriarum flammis conſpicui circuite, & in exilio æterno errate. Tam luculenta erit pœna hæc, quæ ad finem uſque ſeculorum vos uret, ut intellecturi ſint omnes, me ſolum ejus auctorem eſſe. His in doloribus perpetuo recubabitis. Sic enim eſt hebraice: *recumbetis, habitabitis*.

Accingo. Varie legitur:

1. Accinctus populus. *Ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum*. Hab. III. 16. Militare Hebræis eſt hoc vocabulum: quare accinctus populus illis idem eſt, qui nobis armatus. Hoc loco videntur omnium optime intelligi majores glorioſi jam pridem mortui, duces olim fortiſſimi, Moyſes, Joſue, Gedeon, Samſon: ad quos migrare Propheta cupiat.

2. Accincti colles. *Exultatione colles accingentur*. Pſ. LXIV. 13. Hebraiſmus poeticus. Veſtientur colles læto gramine, herbis ſalubribus & medicis, ſegete, pomis, uvis: quorum aſpectu incolæ exultent.

3. Accincti ſacerdotes. *Accingite vos, & plangite ſacerdotes, ululate miniſtri altaris*. Joel I. 13. Accingite vos ſacco: eſt enim in hebraico idem verbum, quod paulo ante v. 8. ubi nomen ſacci additur, & Noſter quoque vertit, *accincta ſacco*.

4. Non accincti in ſudore. Sacerdotibus & Levitis præcipitur: *Non accingentur in ſudore*. Ez. XLIV. 18. Non

18. Non violenter, ut habent LXX. non tam arcte aſtringentur, ut ſudent; ne videlicet minus idonei altaris miniſteriis efficerentur.

Accusatio. *Quid ſuperveniet tibi in beneplacito Altiſſimi? ſive decem, ſive centum, ſive mille anni. Non eſt enim in inferno accuſatio vitæ.* Eccli. XLI. 6. ſq. Docet Siracides, non eſſe anxie attendendum, quot vitæ annos nobis Divina providentia deſtinaverit: neque enim, inquit, in tumulo (eum plerumque ſignificat *infernus*, ut ſuo loco dicam) neque enim poſt mortem propter vitæ brevitatem aut longitudinem ſive accuſaberis, ſive damnaberis: una erit quæſtio, quam recte ſis uſus temporis ſpatio, qualecunque tibi conceſſum fuerit.

Acedio. Stultum vitari jubet Sapiens: *deflecte ab illo, & invenies requiem, & non acediaberis in ſtultitia illius.* Eccli. XXII. 16. Non afficieris tædio & moleſtia per illus inſipientiam.

Acervus. Impii Galaaditæ & Galgalitæ, relicta veri Dei religione, vitulum adorabant: & eorum exemplo inducti Judæi vicini & ipſi a Deo deſciverant. Hos ut deterreat Oſeas, ait: *Si Galaad idolum, ergo fruſtra erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum quaſi acervi ſuper ſulcos agri.* Oſ. XII. 11. Nonne videtis, fruſtra implorari bruta hæc numina? Fuit ſuum Galaaditis idolum: attamen & illi, & Galgalitæ, incaſſum ſuis vitulis immolaverunt. Primi ab hoſtibus obtriti ſunt: altaria eorum proſtrata, urbes everſæ, ſolum nudum eſt, & disjecta ipſorum altarium ſaxa ſulcos agrorum totis acervis operiunt.

Acetum. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Prov. XXV. 20. Ut acetum vim nitri imminuit ac diſſolvit, ſic peritorum ſermones & ſapientum dicta morbos animi levant, ſive is triſtitiam, ſive iram, ſive aliam quamcunque turbulentam in ſe affectionem perſentiſcat.

Acharis. Homo inſuavis, inſulſus, abſque gratia. Græca vox. *Homo acharis quaſi fabula vana, in ore indiſciplinatorum aſſidua erit.* Eccli. XX. 21. Inanes

hes illlus nugæ, & una ipſe, per otioſorum hominum ora perpetuo traducentur: fabula erit.

Achor. Vallis Achor inter promiſſiones lætiſſimas nominatur, tum Iſ. LXV. 10. tum Oſ. II. 15. Memoria lapſi ſunt illi Interpretes, qui vallem hanc prope urbem Hai ab homine lapidibus ibidem obruto nuncupatam ſcripſerunt: is enim Achan, non Achor dictus eſt. Achor ipſa vallis eſt appellata. *Vocatumque eſt nomen loci illius, Vallis Achor*. Joſ. VII. 26. quod unius hominis furtum eo loco populum univerſum turbaſſet: ut ibidem dicitur v. 25. *Achor* autem hebraice turbatio eſt. Profecto *ad aperiendam ſpem*, ut Oſeas loco dicto loquitur, nihil magis valet, quam quæ nos angunt ac turbant.

Ad. Particula hæc ab uſu latino recedit, dum ponitur.

1. Pro *apud*. *Ad me ipſum anima mea conturbata eſt*. Pſ. XLI. 7. apud me ipſum, in me ipſo, intra me.

2. Pro *de*. Paulus de cognitore omnium Deo: *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo*. Heb. IV. 13. id eſt, de quo loquimur.

3. Pro dativo. *Ad DEUM formidoloſa laudatio* Job. XXXVII. 22. Deo laus debetur, plena tamen reverenti formidine, propter ſummam ejus majeſtatem.

4. Pro ablativo. De Deo ſcribitur Iſ. LXIII. 12. *Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio majeſtatis ſuæ*. id eſt, apprehenſa ejus dextera.

Adadremmon. *In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*. Zach. XII. 11. Intelligitur luctus ille acerbiſſimus & publicus omnium regni ordinum, quem mors Joſiæ regis in campo Mageddo occiſi excitavit. II. Par. XXXV. 22. Adadremmon nomen eſt oppidi in eo campo ſiti.

Adæquo. *Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ ſuæ exuberavit ſimulachris*. Oſ. X 1. Uvarum copia reſpondit amplitudini vitis: pro majeſtate regni crevit opum magnitudo, hominum

num multitudo. Verum quo felicior, eo ſceleratior fuit ingratus Iſrael, profanis aris & ſimulachris omnia contaminans.

ADAM. Nomen & primi hominis proprium, & omnium appellativum: *Adam* enim Hebræis idem eſt, quod Latinis *homo*. Ut græcum *Anthropos*, ita hebraicum *Adam*, tam fœminini, quam maſculini eſt generis: unde illud Gen. V. 2. *Maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die, quo creati ſunt*. Ubi vides Evam quoque appellari Adam. *Lex Adam* II. Reg. VII. 19. eſt lex hominis, humanitatis lex communis Subobſcurus eſt locus Zach. XIII. 4. & 5. qui hunc in modum contexitur. Dixerat (v. 2.) DEUS, ſe *pſeudoprophetas* omnes extirpaturum; propoſita (v. 3.) pœna capitis, ſiquis Prophetæ nomen falſo arrogare ſibi auſus eſſet. Metus tam certi ſupplicii, vel ab ipſis parentibus filio (v. 3.) intentandi, efficiet, ut nemo jam audeat tanto mendacio populum fallere, ac ſevero habitu, hirſuto pallio (*pallio ſaccino*, v. 4.) prophetam ſimulare: ſed unuſquiſque ſimpliciter de ſe confitebitur, ſe idiotam eſſe, hominem unum de multis, exemplo primi parentis Adami agriculturæ addictum. *Nec operientur pallio ſaccino, ut mentiantur: Sed dicet: Non ſum propheta, homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea*.

ADDITAMENTUM. Moabitis, quorum urbs inſignis erat Dibon, denunciat Propheta: *Ponam enim ſuper Dibon additamenta, his, qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ*. Iſ. XV. 9. Addam plagas plagis: in reliquias Moab, quæ gladium Chaldæorum evaſerint, immittam leones; ſeu veros intelligit, ſeu leonum nomine milites hoſtiles, qui fugitivos intercipiant.

ADDO. Jurantis eſt & imprecantis: Hæc faciat mihi (vel etiam, tibi) Dominus, & hæc addat. Sic David: *Hæc faciat mihi DEUS, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem vel aliud quidquam*. II. Reg. III. 35. Sic Heli ad Samuelem: *Oro te, ne celaveris me: hæc faciat tibi DEUS, & hæc addat, ſi abſconderis a me*

ſer-

ſermonem. I. Reg. III. 17. Graves pœnas de me (de te) DEUS expetat, ſiquid guſtavero, ſi obſtinate ſilueris.

2. Eſt & adverbium: ut cum terram Iſrael alloquitur DEUS, incolas ei novos poſt captivitatem promittens: *eris eis in hæreditatem, & non addes ultra ut abſque eis ſis*: Ez. XXXVI. 12. Nunquam deinceps poſſeſſoribus Hebræis carebis: non iterum tui a te abducentur.

Adduco. Sion lugens ait: *omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti: adduxiſti diem conſolationis, & fient ſimiles mei*. Thren. I. 21. *Adduxiſti* pro *adduces*, ut paſſim, ſtylo Hebræorum poetico. Aderit dies, quo me conſoleris, & inimicos meos eadem ferre coges, quibus me nunc oppreſſam inter ſe gratulantur.

Adeodatus. Davidis bella contra Philiſthæos enumerans ſacer hiſtoricus, inquit: *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos, in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlemites Goliath Gethæum, cujus haſtile haſtæ erat quaſi liciatorium texentium*. II. Reg. XXI. 19. Facinus tam memorabile, & Davidis cive dignum, narratur iterum I. Par. XX. 5. iisdem pene verbis, niſi quod percuſſiſſe dicitur *fratrem Goliath Gethæi*, ejusdem videlicet nominis cum gigante illo, quem olim Davidis funda dejecerat. Sed cujus tandem Saltus, inquies, hic filius eſt? aut unde nomen latinum homini Bethlehemitæ? Equidem hebraice utroque loco Elchanan dicitur, filius Jaare ſive Jair: *Elchanan* autem Hebræis DEUM miſerantem, ejuſque gratiam, *Jaar* ſylvam aut ſaltum ſignificat. Interpres ergo noſter idem fecit, quod in Germania factum olim videmus, ut, quorum majores lingua vernacula *Beck* & *Weber* appellati erant, *Piſtorios* ac *Textores* ſe nuncuparent, ſenſu conſervato, non ſyllabis.

Adeps. Pars optima ſacrificii adeps erat, & idcirco ſeparari Domino jubebatur. Unde ingenioſum illud & ſublime Davidis elogium: *quaſi adeps ſe-*

ſeparatus a carne, ſic David a filiis Iſrael. Eccli. XLVII 2.

2. Adeps frumenti, Hebræis eodem ſenſu, quo Latinis flos farinæ, frumenti, ſiliginis. *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Pſ. LXXX. 17. DEUS populo ſuo, primum per deſerta proficiſcenti Manna cæleſtem panem, deinde frumentum lectiſſimum in felici Palæſtinæ ſolo admenſus eſt. Qui verſiculus priori ſic adnectitur: *Inimici Domini mentiti ſunt ei: & erit tempus eorum in ſecula.* v. 16. *Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturavit eos.* v. 17. Ingratus populus datam DEO fidem non præſtitit, dignus propterea ſuppliciis in ſecula perferendis: cum beneficus Dominus cibum ei & potum tam admirandum præbuerit, cumque in regionis fertiliſſimæ dominatu locaverit. De *Melle* ſuo loco plura. De adipe frumenti redit mentio Pſ. CXLVII. 3. *Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.* Qui effecit, o Jeruſalem, ut omni ex parte fruaris pace, quique te flore frumenti ſatiat.

3. Adeps concluſus. De inimicis ſuis David queritur, arctis tum rebus ſuis ingemiſcens: *Adipem ſuum concluſerunt*: opibus ac deliciis ſaginati, mihi miſericordiæ viſcera occluſerunt. Pſ. XVI. 10.

4. Ex adipe iniquitas. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.* Pſ. LXXII. 7. Hoc in eandem ſententiam, cujus illa ſunt: *Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſime.* Jer. V. 28. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit DEUM factorem ſuum.* Deut. XXXII. 15. Ita ſceleribus indulſerunt, ut ii ſolent, qui ampliſſimis opibus ad crimina omnia abutuntur. Quidquid ſuggeſſit cupiditas, perfecerunt.

Adhuc. Cum temporis eſt nota, nihil differt a latina particula *poſt.* Jonas clamabat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Jon. III. 4. *Adhuc puſillum, & non erit peccator.* Pſ. XXXVI. 10. Moyſes ad Deum: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.* Ex. XVII. 4. id eſt, poſt quadraginta dies, poſt exiguam moram, poſt paululum temporis.

Ad-

Adiicio. Idem eſt, quod augere, vel iterare. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam*. Eccle. XXXVII. 34. Longævus erit, vitæ dies augebit. *Adjiciat Dominus ſuper vos; ſuper vos, & ſuper filios veſtros*. Pſ. CXIII. 14. Augeat vos; neque vos tantum, ſed & liberos veſtros. *Nunquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat?* Pſ. XL. 9. Surget iterum, qui nunc jacet. *Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet ut reſurgat*. Amos V. 1. Nunquam iterum reſurget. *Neque adjicias peccatum ſuper peccatum*. Eccle. V. 5. Ne peccata peccatis auge: ne itera peccatum. *Peccator adjiciet ad peccandum*. Eccle. III. 29. iterabit crimen.

Adincresco. Rogat Sapiens Deum, ut labia ſua cuſtodiat: *non appareant delicta eorum, & ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea*. Eccle. XXIII. 3. Petit a Deo, ut vel nulla omnino in ſe permittat, vel certe creſcere & multiplicari non ſinat delicta *eorum*, nimirum labiorum, quæ inde ab ultimo ſuperioris Capitis verſiculo intelligenda ſunt.

Adinventio. David de antiquis ſuæ gentis patribus: Deus *tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum*. Pſ. XCVIII. 8. Triplex invenitur hujus loci expoſitio. 1. Deum ultum eſſe, ac puniiſſe omnes injurias, illis a quocumque hoſte illatas. 2. animadvertiſſe in ipſos Deum, nullumque eorum crimen diſſimulaſſe. 3. vindicaſſe Deum, ſeu propugnaſſe omnia illorum cœpta atque conſilia. Sed de prima harum non immerito pronunciavit diligentiſſimus Pſalmorum interpres Thomas le Blanc: *hæc explicatio videtur dura atque violenta*. Altera non ſatis congruit cum præcedente vocabulo *propitius*. At eſt propitij, non relinquere impunitos errores, ut mores emendentur. Certe: ſed eſt hic ſenſus ſubtilior, & hic loquendi modus acutior, quam ut naturalem illam & ſimplicem hebraicorum voluminum nobilitatem deceat, aut veriſimilis videri perito ejus linguæ & prophetici ſtyli poſſit. Reliquum eſt, ut ultimam, eandemque optimam, amplectamur.

Adjuvo. *Ira magna*, inquit Dominus, *ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi*

vero adjuverunt in malum. Zach. I. 15. Ideo tam vehementer ſuccenſet potentibus quibuſdam regnis, quia, cum adverſus populum ſuum non uſque adeo commotus, paterna tantum pœna eum caſtigari vellet, gentes hæ Divinam indignationem ultra omnem modum adjuverunt & extenderunt, Judæos captivos crudeliter inſectantes, & penitus opprimentes.

Adonai. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob, in* Deo *omnipotentem* (ut omnipotens Deus) *: & nomen meum ADONAI non indicavi eis*. Ex. VI. 2. ſq. Hebraice eſt: *& nomen meum JEHOVA non indicavi eis*. Nomen hoc ſacroſanctum vulgo dicitur *Tetragrammaton*, ſeu quatuor literarum: quod ab Hebræis, vocalium literarum expertibus, quatuor conſonantibus ſcribatur. Reverentiæ cauſſa tam ab Hebræis ipſis, quam a Græcis Latiniſque, nomen hoc Dei proprium ubique omittitur, & illius loco pronunciatur *Adonai*, *Dominus meus*. Eſt hoc vocabulum hebraice pluralis numeri: in ſingulari enim *Adon*, *Dominus*, & *Adoni*, *Dominus meus*, dicitur. Deo autem dignitatis ergo pluralem tribuunt: quod honoris & elegantiæ genus aſſequi lingua græca latinaque non potuit. Sicui tamen proferre nomen *JEHOVA* vel libuerit, vel neceſſe fuerit, videat, ne cum multis peccet turpiter, qui mediam ſyllabam tanquam in dactylica voce corripiunt: eſt enim o illud hebraice *cholem*, quod perinde ut apud Græcos *o mega*, natura ſemper longum eſt. Quapropter in *JEHOVA* non minus producenda eſt ſecunda ſyllaba, quam in noſtris *corona*, *perſona*, *conſolor*. Alteri quoque errori occaſionem præbuit nomen idem Tetragrammaton, quod cum e quatuor componi literis cernerent eruditi quidam viri, ac totidem elementis Dei nomen in aliis quoque linguis conſtare audirent, velut ingenti detecto myſterio ſcripſere, Dei nomen apud omnes populos Tetragrammaton, ſeu quatuor literarum eſſe. Sane in latino & græco ſermone, in germanico noſtro, & pluſculis aliis, ita caſus tulit: ſed de omnibus affirmare, quod de quibuſdam compereris, hominis eſt feſtinantis, & lo-

logica egentis. Certe in hoc Dei nomine vel ſolum Italorum *Dio* & *Iddio*, Anglorum *God*, Danorum *Gud*, affirmationis vanitatem oſtendunt. *Adonai* ſemel præterea, neque ſæpius, in Vulgata reperitur, in Judith heroidis cantico, *Adonai Domine, magnus es tu.* Judith XVI. 16. græce hoc loco non legitur.

Adonis. Inter abominanda, quæ Deus Ezechieli oſtendit, hoc quoque erat: *Introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem*. Ez. VIII. 14. Profanorum ritus, Venerem adorantium, cujus planctum ob Adonidem ab apro occiſum imitari ſolebant. Sceleſtam religionem, a Græcis primo traditam, hebraicæ mulieres hic æmulantur.

Adoro. Sæpe eſt venerari, & cultum adhibere non modo non divinum, ſed ne religioſum quidem, mere civili honoris genere. *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ*. Gen. XXIII. 7. *Adoravit Abraham coram populo terræ*. Ibid. v. 12. Coram Joſepho quoque in Ægypto fratres *adoraverunt proni in terram*. Gen. XLIII. 26. *Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit regem.* III. Reg. I. 16. Atque ita paſſim.

2) De Chriſto ſub Salomonis imagine prænunciatur: *Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei*. Pſ. LXXI. 15. Non poteſt hic non pendere animi latinus lector, incertus, quid ſit *adorare de ipſo*. Particula hebraica, quæ noſtro *de* reſpondet, tam *pro*, quam *propter* ſignificat. Et in Salomonem quidem utrumque convenit: nam & propter illum, & pro illo, a fidelibus populis adoratus eſt Deus, & mille ſuſpiriis identidem invocatus. Sed de Chriſto non placet *pro* illud: neque enim humanum genus pro ipſo, ſed ipſe pro humano genere Divinum Patrem rogavit. Præterea hebraice non eſt *dabitur*, ſed *dabit*. Quare peritiſſimi quique hebraizantium ita collegere: Vivet pauper (de quo ſuperiores tres verſus) liberalitate Regis adjutus ab hoc enim dabitur egeno de auro Arabiæ; propter hoc adorabit eum ſemper, & in perpetuum ei benedicet, quiſquis ſuam ab eo paupertatem levatam ſenſerit.

ſerit. Hæc de Chriſto etiam Rege veriſſime prædicantur, a quo & hujus vitæ facultates, & pretioſior omni auro Divina gratia, nobis egentibus diſpenſantur. *De ipſo* ergo eſt *propter* hanc Regis (Chriſti) liberalitatem, & animum infinite benevolentem.

Adulter. Hebr. XII. 8. ubi nos legimus, *Ergo adulteri, & non filii eſtis;* ipſius Pauli verba hæc ſunt in fonte græco: *Ergo nothi eſtis, & non filii.* non legitimi, ſed, ut vulgo dicuntur, ſpurii, ſed nothi.

Ædificator. Miſericordi, & in egentes benefico hæc promittuntur: *Ædificabuntur in te deſerta ſeculorum: fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, avertens ſemitas in quietem.* Iſ. LVIII. 12. Quod a pluribus ſeculis deſertum jacet, tu ædificabis: originem a te ducet infinita poſteritas: laudaberis, & nominaberis defenſor contra inſidias, qui tuta ab inimicis itinera præſtes.

Ædifico. Nonnunquam pro beare, proſperare, conſtabilire, augere bonis, ac nominatim liberis. *Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem.* Mal. III. 15. *In æternum miſericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.* Pſ. LXXXVIII. 3. Decretum Divinum de poſteritate regia Davidis beanda confirmatum & conſtabilitum eſt in cælo, immobile & perenne eſt; promiſſi hujus veritas & eventus patefiet, cælo omnia præparante & maturante. Si quis uxorem fratris ſine liberis mortui ducere recuſaverit, *accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Deut. XXV. 9. In Ægypto, *quia timuerunt obſtetrices* Deum, *ædificavit eis domos.* Ex. I. 21. Quia miſeratione adductæ, contempto Pharaonis edicto, infantibus Hebræorum pepercerant: Deus illas vel copioſa prole, vel certe opibus, aliove genere felicitatis remuneratus eſt.

Æditvus. De vitulo urbis Beth-aven, quem Samaritæ pro Deo adorabant: *luxit* (præteritum pro futuro) *ſuper eum populus ejus, & æditui ejus ſuper eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo* Oſ. X. 5.

Ædi-

Æditui ſunt ſacerdotes & miniſtri vituli, quem per contemptum *vaccarum* nomine Propheta appellat. Sed cur iſti exultant, lugente populo? aut quæ vituli gloria, dum captivus migrat? Obſerva, Lector, frequentiſſimum Hebræis eſſe, ut relativum *qui* omittant. Is Hebraiſmus in latinos codices hoc loco immigravit: eſt enim hæc ſententia: Miniſtri & ſacerdotes vituli, qui antea de illius gloria exultaverant, nunc lugent cum populo, quia infelix Deus ab eis abducitur, donandus ut munus præcipuum regi victori. *Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi ultori: confuſio Euphraim capiet, & confundetur Iſrael in voluntate ſua*. ib. v. 6. Pudore obruetur (nam *confuſio* & *confundi* ſæpiſſime in Divinis Libris non perturbationem ſignificant, ſed verecundiam, pudorem, erubeſcere, ut Hebræa demonſtrant) Pudore operietur tribus Ephraim, totumque Iſraelis regnum, *in voluntate ſua*, ob ſacrilegum ſuum inventum, vituli ſimulacrum.

Ælam. Vel pro tota Perſia ponitur, vel pro illa Perſidis provincia, in qua Suſa urbs nobilis & munita. *Cum eſſem in Suſis caſtro, quod eſt in Ælam regione*. Dan. VIII. 2. *Aſcende Ælam, obſide Mede: omnem gemitum ejus ceſſare feci*. Iſ. XXI. 2. Aſcendite o Perſa & Mede! (Cyrum & Darium reges intellige) obſidete Babylonem, & ita vaſtate, ut, quæ tot gemitus expreſſit aliis, jam neminem habeat, qui ejus exitium ſuo gemitu proſequatur. Scribitur & *Elam*, unde *Elamitæ*, de quibus ſuo loco.

Æmulor. Apud Hebræos, præter ſenſum cum Latinis communem, hos habet:

1. Invidere. Poſt Allegoriam ſpecioſiſſimam cedri arboris, cui a Propheta comparatus eſt Aſſur: *& æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo DEI*. Ez. XXXI. 9. Cum tota circum regio inſtar horti ad delicias conditi aleret arbores nobiliſſimas, tamen earum nulla cum eminente illa cedro æquari poterat: idcirco invidebant omnes. id eſt: tanta felicitate Aſſyrium florebat imperium, ut ab omnibus circum Principibus exteris ei invideretur.

2. Iraſci. *Noli æmulari in malignantibus: neque zela-*

veris facientes iniquitatem. Pſ. XXXVI. 1. Si malos videris fortunatos, noli tangi ira: neque ad invidiam te moveant hominum iniquorum ſucceſſus. non eſt invidenda ſors hæc, ſed miſera, & deploranda. Sic paulo poſt: *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine faciente injuſtitias*. v. 7. Si ſecundo vitæ curſu feratur injuſtus, noli tanquam in re invidenda & præclara iraſci.

3. Provocare ad iram. *An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo ſumus?* I. Cor.X.22. An irritare Deum audemus? quod ſi audemus, potentioreſne illo ſumus, ut inſtans ab illo ſupplicium depulſuros nos ſperare poſſimus?

4. Totum ſibi vendicare quempiam; ferri *zelo*, ut græco vocabulo dicitur. *Æmulor enim vos æmulatione DEI*. II. Cor. XI. 2 In græco Paulus dicit, *zelare* ſe illos *zelo DEI*. Ardenter vobis invigilo, nequis noceat, nequis mihi vos eripiat; imo, ne Deo: *DEI* enim *æmulatione* agor. Ad Galatas vero idem de falſis quibuſdam legis doctoribus ita ſcribit: *Æmulantur vos non bene: ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini*. Gal. IV. 17. græce, *zelant vos non bene*. Captant vos, & vendicare vos ſibi conantur, ac in ſuas partes pertrahere; male, quia malas. Eo res ſpectat, ut Evangelii libertate vos excludant, & ad ſui imitationem pelliciant. Ubi vides, *æmulandi* verbum bis in eadem ſententia poſitum, ſemel pro græco *zelare*, iterum more & modo Latinorum.

Ænigma. In avarum & inſatiabilem animum: *Nunquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument, & loquelam ænigmatum ejus? & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non ſua*. Hab. II. 6. Abibit in proverbium, & ab omnibus irridebitur, ſub imagine tamen aliqua, & verborum involucro, ut in ſalſis his dictis uſuvenit: cujus exemplum hoc ipſo verſu attexitur: *uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* Magnæ opes, confertum lutum: quod qui laborioſiſſime congerit, fœdo & inutili pondere opprimetur.

Æternus, Æternum. Cum de rebus humanis ſermo eſt, ſæpiſſime latiorem quendam & minus proprium

prium ſenſum habent: neque enim in his veræ æternitati locus eſt, ſed indicatur longiſſima temporis ſeries, quæ ad unum vel plura ſecula protendatur. *Poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſrael uſque in æternum*. Joſ. IV. 7. *Hæreditario jure tranſmittetis ad poſteros* (ſervos ex advenis natos) *ac poſſidebitis in æternum*. Lev. XXV. 46. *Illicitum eſt, ut a quocunque portetur arca DEI niſi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad miniſtrandum ſibi uſque in æternum*. I. Par. XV. 2. Quorum omnium æternitas pridem finita eſt. Nec infinitum vitæ curriculum, ſed maturam tantum ſenectutem Artaxerxi precatus eſt Nehemias, cum diceret: *Rex in æternum vive*. II. Eſd. II. 3.

2. De Divinis autem quo ſenſu dicitur æternum & ultra? Sic enim in cantico Moſis legimus: *Dominus regnabit in æternum & ultra*. Ex. XV. 18. Et Mich. IV. 5. *Nos autem ambulabimus in nomine Domini* Dei *noſtri in æternum & ultra*. Hebraica utroque loco habent, *in ſeculum & in æternum*. Dominus regnum obtinet & hujus noſtri ſeculi, & omnium futurorum. Nos in ejus Dei nomine vivimus & innitimur, qui Dominus eſt & temporis, & æternitatis.

3. Montes æterni. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Pſ. LXXV. 5. Hebraice eſt, *a montibus prædæ*. nempe quam Judæi retulere ampliſſimam, occiſis divinitus una nocte tot Aſſyriorum millibus, totoque Sennacheribi exercitu in fugam averſo. Æterni optime dicuntur hi montes, quia vallum Judææ immobile ac perenne, & hoſti cuicunque, vel potentiſſimo, quamdiu faveret Deus, inſuperabile. quidam montium æternorum nomine cælos intelligunt, quia corporibus aliis omnibus altiores. ſed hoc ſatis violenter. Alii cæleſtes Genios interpretantur. verum id ad ſenſum myſticum pertinet.

Aggravo. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali: & noviſſimo aggravata eſt via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Iſ. IX. 1. ſq. Quorſum hæc referenda ſint, dubitare non ſinit narratio

Evangelii, quæ de Chriſto hæc refert: *habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim: ut adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Matth. IV. 13. ſqq. Ea Galilææ pars, quæ ob permixtos paſſim Hebræis *gentiles* Galilæa *Gentium* dicebatur, prima Chriſti doctrinam audiit, & lucis illius magnæ radiis illuſtrata eſt. Primam hanc regionum omnium levare Dominus cœpit legis onere, & peccati pondere intolerabili. Sed ad extremum, contemptis omnibus Liberatoris ſui curis ac ſtudiis, infeliciſſima regio his ipſis beneficiis tot ac tantis, quibus relevanda maxime fuerat, aggravata eſt. *Et tu, Capharnaum*, pervicax & incredula, inclamat ipſe Chriſtus, *nunquid uſque in cælum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem*. Matth. XI. 23.

Agnitio. De Judæis impudenter & palam ſcelera profitentibus: *Agnitio vultus eorum reſpondit eis: & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt*. Iſ. III. 9. Ipſe vultus eos prodit, deque illorum pravitate teſtatur: neque enim celant flagitia, ſed jactant, Sodomorum imitatores.

Agnus. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion*. Iſ. XVI. 1. Agnum Dei, terræ dominum, mitti cupit Propheta, Meſſiam videlicet, venturum in Sionis montem de Petra Arabica, non in ſe quidem, ſed in Ruth Moabitide, Davidis avia: quæ a Petra Moab, urbe Arabiæ, in Judæam migravit. Inde miſeratio tenera, qua C. XV. 5. & XVI. 9. Onus Moab proſequitur, mala gentis deflens ad genus Meſſiæ regium pertinentis. Quamobrem ſtatim redit ad deplorandam ejus regni calamitatem, quam erat Caldaicæ irruptionis tempore perpeſſura.

Agon. Certamen ludicrum. *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præſens eſſet*, &c. II. Mach. IV. 18.

Aleph. Prima Hebræorum litera, ut Alpha Græco-

eorum : e cujus, & ſequentis Beth ſeu Betha, nominibus appellatum eſt Alphabetum. Numerorum quoque officio in utraque lingua funguntur literæ, ita ut Aleph & Alpha ſit 1. Beth & Beta 2. Gimel & Gamma 3. Daleth & Delta 4. & ſic deinceps. Jeremiæ Threni eo artificio ſcripti ſunt, ut primæ verſuum literæ ordinem alphabeti referant, dum verſus primus ab Aleph, alter a Beth, tertius a Gimel, ceterique ſinguli a ſingulis ad poſtremum uſque alphabeti elementum initium ducant: quod genus elegantiæ ad Acroſtichidas refertur. Talia ſunt priora duo Threnorum Capita, & quartum; tertium vero ſingulis literis terna verſuum capita tribuit. Quod cum in græco LXX. Interpretes, in latino Noſter, exprimere non poſſent, ut veſtigium tamen relinquerent, ipſarum literarum nomina verſiculis præpoſuerunt. Leguntur & in Pſalmo CXVIII. hebraicarum omnium literarum nomina, ante octonos quoſque verſus ſingula, non diſſimili de cauſſa: nam in hebraico ſingula alphabeti elementa verſus octonos inchoant, donec evolutis ſenſim literis omnibus, quæ duæ ſunt & viginti, longiſſimum, ſed præſtantiſſimum carmen verſibus 176. abſolvatur.

Alienigena. Pro Philiſtæis. *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*. Pſ. LXXXVI. 4. Satis apparet, inter alios nominatim recenſitos non intelligi generatim alienigenas quoſcunque: alioquin a Babylonis, Tyriis, Æthiopibus, alienigenis utique & ipſis, diſtingui non poterant. Ex hebraico & chaldaico palam fit, hos exteros eſſe Palæſtinæ incolas ſeu Philiſthæos: quibus Allophylorum, id eſt alienigenarum, nomen veluti antonomaſtice adhæſit. Hinc Davidicum illud: *Mihi alienigenæ ſubditi ſunt*. Pſ. LIX. 10. ſeu, *mihi alienigenæ amici facti ſunt*, ut habetur Pſ. CVII. 10. nam hi duo Pſalmi magna ſui parte inter ſe conveniunt. Poſt Moabitas & Idumæos tertii memorantur Philiſthæi, primum armis ſubacti, *ſubditi;* deinde in amicitiam quoque admiſſi, *amici facti*. *Additi ſunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum*. I. Mach. III. 41. ubi, niſi narraretur ſingillatim de Philiſthæis, ad-

adderetur *aliorum*: nam exteri & Syri erant. *Declinavit Judas in Azotum in terram alienigenarum*. I. Mach. V. 68. Erat autem Azotus una e quinque Philiſthinorum ſatrapiis, enumeratis I. Reg. VI. 17. Hoc tamen nequaquam perpetuum eſt: ſæpius enim *alienigena* nomen generale relinquitur homnis a vero Dei cultu alieni. E decem viris, quorum lepram Jesus depulit, unus gratum ſe ſtitit *alienigena*. Luc. XVII. 18. *& hic erat Samaritanus*. ibid. v. 16. Ubi de Cornelio, centurione cohortis Italicæ, apud Petrum agitur, ait hic: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam*. Act. X. 28. Quo loco D. Lucas in ipſo græco Allophyli nomen uſurpat. *Hæc eſt religio Phaſe: omnis alienigena non comedet ex eo*. Ex. XII. 43.

Alienus. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſervo tuo*. Pſ. XVIII. 13. ſq. Quia delictorum priore verſiculo meminit Pſaltes, alter quoque de peccatis eſſe ſcriptus videtur pleriſque, & nominatim de iis, quæ ab rei ſacræ magiſtris aliena dicuntur. Sed ibi de hominibus, non de criminibus ſermo eſt: canit enim Propheta hebraice, *a ſuperbis*. Primum veniam delictorum petit, ſiqua forte incogitanti ſibi occulta inhæreant, Divinamque opem impediant. Hoc deprecatus, auxilium cæleſte contra ſuperbos illos implorat, qui alieno a ſe animo nihil tale meritum inſectabantur.

2. Alieni filii. *In Dominum prævaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos menſis cum partibus ſuis*. Oſ. V. 7. A Domino averſi, deos alienos ſectati ſunt: quocirca & ille impiorum filios in numero ſuorum non ducit, ſed ut a populo ſuo alienos contemnit, quippe alienatorum a Deo parentum liberos, & falſorum deorum nomini per ignem ritu barbaro conſecratos. Sed comparata jam pœna eſt: jam jamque infortunia aderunt, ſingulis quibuſque menſibus reditura, quæ ipſos cum fortunis ſuis ac tota hæreditate paulatim abſumant.

3. Alienum opus. Adventurus prædicitur Deus judex, & injuriarum ſuarum ultor, *ut faciat opus ſuum, alie-*

alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo. Iſ. XXVIII. 21. Perficit quidem Divina juſtitia *opus ſuum*, cum hominum flagitia ad extremum plectit; ſed non niſi humanis ſceleribus coacta id facit: nam punire, opus eſt Deo *alienum* & *peregrinum*: cum natura ejus benigniſſima cupiat miſereri ſemper & parcere, de ſuo benefica tantum, tantum de noſtro juſta.

Aliquis. *Theodas, dicens ſe eſſe aliquem*. Act. V. 36. Græce, *magnum aliquem*. ſcilicet Meſſiam. Homini mendaciſſimo *conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occiſus eſt: & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum*. v. d. Pari ſacrilegio deinde Samariæ honores divinos affectavit Simon magus, *dicens ſe eſſe aliquem magnum*. Act. VIII. 9. Iſti quoque monſtro turpiſſimo *auſcultabant omnes a minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna*. ibid. v. 10.

Alius. Dulciſſima ſpes in Jobi ſinu repoſita: *Rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo* Deum *meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*. Job. XIX. v. 26. Quid ita? interrogat de vulgo aliquis: non alius? nemone igitur præter Jobum intueri Dominum poterit? Imo omnes. Sed refellitur duobus his verbis Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani error, volentis, reſurrecturos nos quidem, non tamen eodem corpore veſtitos, quo viventes utimur. Redarguitur dicto hoc Jobi, aſſeverantis, ſurrecturum corpus: hujus enim ſunt *pellis, caro, oculi*. neque novum corpus a Deo condendum, ſed hoc ipſum, quo nunc ſpiritus noſter continetur: nam *rurſum*, inquit, circumdabor *pelle mea; in carne mea; ego ipſe; non alius*.

Alleluja. Vox non tam hebraica, quam ex hebraico corrupta: tribus enim literis recedit a ſua origine, quæ & ſcribitur, & pronunciatur, *Halelu-Jah*. Eſt autem *Jah* unum ex decem Dei nominibus, *halelu laudate*; proinde tota dictio, *Laudate* Deum. Relictum eſt hoc vocabulum, quale repertum in fonte eſt, tum Tob. XIII. 22. tum in plurium Pſalmorum titulis a LXX. Interpretibus, tum a D. Joanne Apoc.

XIX.

XIX. 1. 3. 4. 6. Interpres noſter idem in latino ſecutus eſt, quod illi in græco fecerant: quemadmodum & aliis quibuſdam vocabulis contigit, ut *amen*, *hoſanna*, *maran atha*: de quibus in loco dicetur.

Allevio. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali.* Iſ. IX. 1. Quia in illarum tribuum finibus, ut exponitur Matth. IV. 13. ſeqq. Chriſtus doctrinæ lucem diffundere, & grave legis, graviſſimum peccati jugum auferre a cervicibus volentium cœpit. Quæ ſequuntur, explanata ſunt paulo ante Voc. *Aggravo*.

Alligo. *Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis.* Eccle. VII. 8. Cave peccata peccatis adjicias: nam ſi pro uno luendum eſt, quid pro pluribus?

Allocutio. Pro conſolatione. Malorum parentum mali filii *non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem.* Sap. III. 18. Dies agnitionis erit judicii dies, quo vita omnium ab omnibus agnoſcetur. Nihil ſpei tunc iſtis erit, nihil ſolatii; quia non audituris ſuaviſſimam Judicis vocem, qua venire electos, & adire paratum ſibi regnum jubebit. *Erit allocutio cogitationis & tædii mei.* Sap. VIII. 9. Cæleſtis Sapientia, cujus ibi laudes & utilitates plurimæ afferuntur, inter omnes curas, in omni tædio, intima ſua conſolatione animum ſuſtentabit. *In allocutione enim deſiderii, aſcendit illis de mari ortygometra.* Sap. XIX. 12. Peregrinantium Hebræorum deſideria ſolatus eſt Deus, miſſis abunde coturnicibus.

Allophylus. Græcum eſt: latine *alienigena*: quo nomine Philiſthæos aliquando nuncupari, ſupra oſtendi. Semel apud Latinos legitur, in titulo Pſalmi LV. *Cum tenuerunt eum* (Davidem) *Allophyli in Geth*, quæ inter quinque Philiſthæorum ſatrapias recenſetur I. Reg. VI. 17.

Alpha. Quia prima hæc eſt græcis litera, Omega ultima; ideo græce ſcribens Joannes elementis his utitur, ut doceat, a Deo provenire omnia, omnia ad eundem referri. *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus* Deus. Apoc. I. 8. *Ego ſum Al-*

pha

pha & Omega, & initium & finis. Apoc. XXI. 6. Denique: *Ego ſum Alpha & Omega, primus & noviſſimus, principium & finis.* Apoc. XXII. 13.

Alphæus. Chriſtus *vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium*. Marc. II. 14. Matthæum ſcilicet, qui, ut erant plures in ea gente binomines, Levi etiam appellabatur. *Levi Alphæi*, Helleniſmus frequentiſſimus, pro Alphæi filio. Eſt & alter ex Apoſtolorum collegio Alphæi filius, *Jacobus Alphæi*. Act. I. 13. quem eadem nomenclatione *Jacobum Alphæi* Marc. III. 18. & Luc. VI. 15. legimus. Is eſt, quem Jacobum minorem cognomento vocamus, & cum Philippo Apoſtolo calendis Maji veneramur. Num igitur fratres ex eodem Alphæo patre Matthæus & Jacobus minor? Equidem ſi affirmavero, ſcio fore, ut multis id mirum eſſe ac novum videatur. Atqui affirmo: neque novum eſt: affirmavit enim ante me inde ab antiquiſſimis temporibus *omnis Eccleſia Orientalis*, ut loquitur eruditiſſimus Godefridus Henſchenius in Actis Sanctorum maximis T. I. Maji, ad ejus diem I. in Commentario prævio de gemino Jacobo, §. I. n. 3. Videre id illic tibi licebit ex vetuſtiſſimo Menologio, juſſu Baſilii Porphyrogeniti edito jam ſeculo X; ex Synaxario Conſtantinopolitano; ex magnis Græcorum Menæis; ex Vitis Divorum, Maximi Cytherorum Epiſcopi; ex Anthologio Arcudiano, auctoritate Clementis VIII. P. M. typis Vaticanis excuſſo. Graviſſimum inter Latinos pondus ſententiæ huic acceſſit, cum ſolertiſſimi Bollandini eam & ipſi amplexi ſunt, l. d. §. II. nu. 7. & §. IV. n. 25.

Alteruter. *Diviſique ſunt alterutrum a fratre ſuo. Abram habitavit in terra Chanaan: Lot vero moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.* Gen. XIII. 11. ſeq. Diviſi ſunt fratres, Abram & Lot, alter ab altero. Hebraiſmus conſpicuus.

Altitudo. Occurrit non unius generis: eſt enim 1. Altitudo diei. *Multi bellantes adverſum me. Ab altitudine diei timebo.* Pſ. LV. 3. ſq. Noctu me tenebræ utcunque tegunt: at ubi plena dies illuxit, a tot contra me bellantium oculis timendum eſt.

2. Al-

2. Altitudo maris. Tranſeunte per mare rubrum populo Iſrael, *Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas levavit*. Hab. III. 10. Sublimi ſpiritu dictum, ut pleraque celſiſſimi illius carminis. Cohibitum utrinque mare infremuit, & profunda illa vorago elatis fluctibus, tanquam manibus, laudavit omnipotentem, eique plauſum dedit. addunt quidam: deprecata eſt. Sed hebraica phraſi *manus* ſunt aquarum extrema, quæ ceu valla derelictum Erythræi ſolum cingebant. Sic Hebræis manus viarum, manus amnium, dicuntur eorum oræ ſeu partes ambientes. Ingenioſiſſime hic manus ſunt marina littora, non quibus terra mare, ſed quibus mare terram interjectam complectitur, per cujus nudata ſpatia Hebræus excedit.

3. Altitudo Satanæ. *Non cognoverunt altitudines Satanæ*. al. *altitudinem Satanæ*. Apoc. II. 24. græce, *profunda Satanæ*. Profundos errores hæreſeon, eo tempore naſcentium, non agnoverunt; quin etiam profunda myſteria decepti exiſtimarunt.

Altus. Deum precatur David, contumelioſiſſimis Semei vocibus & lapidibus appetitus: *Synagoga populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere*. Pſ. VII. 8. Inſpectante univerſo cœtu Iſraelis, populis ſeu tribubus duodecim, petit a Deo, ut in tribunal redeat, quod aliquamdiu deſeruiſſe videbatur, diſſimulatis tantis impudentiſſimi hominis in talem regem injuriis. Hoc tribunal reſpiciens, ita pergit: *Dominus judicat populos. Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me*. ib. v. 9.

Amaritudo. Pro animi dolore. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: tu autem eruiſti animam meam, ut non periret*. Iſ. XXXVIII. 17. Ezechiæ vox eſt, e præſenti mortis periculo ad ſanitatem ſubito revocati. Acerbiſſimus doloris ſenſus, quem ex denunciata morte percipiebam, in pacem ac tranquillitatem animi vertit, dum e ſepulcro, cui jam debebar, ac pene tradebar, me eruiſti.

2. Pro peccato. *Ad iracundiam* (inquit Dominus) *me provocavit Ephraim in amaritudinibus ſuis*. Oſ. XII. 14.

Irri-

Irritant eum humana flagitia, & exacerbant, cum ſit ipſe natura ſuaviſſimus.

3. pro moleſtia. Solatur Jeremias captivam gentem ſuam ſpe reditus: cujus ubi tempus adfuerit, *Statue*, inquit, *tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: revertere virgo Iſrael, revertere ad civitates tuas iſtas*. Jer. XXXI. 21. Voces hebraicæ, quas noſter *ſpeculam* & *amaritudines* vertit, etiam ſignificant lapides & columnas, quibus viarum ſpatia diſtinguuntur. Speculare & proſpice totam viam: certa intervalla itineris animo præcipe, quibus moleſtiæ profectionis leviores fiant, & breviores: ut hoſtes te recta in captivitatem abripuerunt, ita ſine ambagibus reditum accelera, & urbes has tuas repete.

Ambulo. Cum Deo, & coram Deo ambulare, eſt fidelem ei vivere, ac voluntati ejus ſanctiſſimæ in omnibus obſequi. Sic *ambulavit Enoch cum* Deo. Gen. V. 22. Sic Noe *cum* Deo *ambulavit*. Gen. VI. 9. Hoc ipſe præcipiens Abrahæ dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Gen. XVII. 1. Et ubi Vulgata habet, *Placebo Domino in regione vivorum*, Pſ. CXIV. 9. hebraice eſt: *Ambulabo coram* Deo *in regione vitæ*. ut videas, idem eſſe, ambulare coram illo in hac vita, & ei placere. Studii hujus præmium pollicetur optabiliſſimum; *ſi in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris: --- dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt*. Zach. III. 7. Ambula mecum, & ambulare tecum jubebo Angelos meos: cuſtodi, quæ præcepi: & illi te cuſtodient.

Amen. Hebraicum, a Græcis Latiniſque ſine mutatione ſervatum. Idem eſt ac *veritas*, *vere*; & cum bis continenter ponitur, *veriſſime*. Ideo precationum clauſulis religioſe ſubjicitur, velut argumentum ſpei, dictorumque epitome. Olim etiam, cum Domini Corpus porrigebatur, dicente ſacerdote, *Corpus Chriſti*, reſpondebat accipiens *Amen*, *hoc eſt*, *Verum*: ut narrat & explicat D. Ambroſius l. IV. de Sacramentis, c. 5. Errat populus, cum hoc eſſe jusjurandum ſibi perſuadet. Vox eſt aſſeverantis Domini, non jurantis. Neque juvat plebejam illam opinionem locus illuſtriſ-

ſimus

ſimus Tertulliani, l. de Pœnitentia, mihi c.4. *O beatos nos, quorum cauſſa* Deus *jurat! o miſeros, ſi nec juranti Domino credimus!* Illa enim reſpicit Ezechielis verba Dei nomine prolata, quæ ſunt vere jurantis: *Vivo ego, dicit Dominus* Deus: *nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.* Ez.XXXIII. 11.

2 Amen, unum ex nominibus honorariis Chriſti. Semel hoc ſenſu occurrit, ubi Dominus appellatur *Amen, teſtis fidelis, & verus.* Apoc. III. 14. Eo prorſus modo, quo Chriſtus a nobis æterna Veritas dicitur.

Amicio. Cum Judæi profugi invito Deo in Ægyptum ſe abdidiſſent, etiam illuc penetraturus prædicitur Nabuchodonoſor, & nihil minus opinantibus ſuperventurus. *Veniensque percutiet terram Ægypti; quos in mortem, in mortem; & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium. Et ſuccendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & amicietur terra Ægypti, ſicut amicitur paſtor pallio ſuo: & egredietur inde in pace.* Jer. XLIII. 11. ſq. Vaſtabit Ægyptum: ſuo arbitrio victor alios neci, vinculis alios addicet: qui effugere conati fuerint, in gladium incident. ut quemque ſors occupaverit, obruet. Ipſi dii, crematis ſedibus, in triumphum ducentur. Ægypti ſpoliis, lectiſſimiſque divitiis ornabit ſe Nabuchodonoſor; eaque non raptim, ut miles prædam ex alieno; ſed veluti per otium & in media pace, ſicut paſtor ſuum pallium auferet, & impune domum redibit.

2. Gladius amictus. Ezechiel XXI. 15. meminit *gladii acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem.* Apte interpretantur Mariana & Maldonatus gladium baldeo militari amictum.

Aminadab. Sponſæ vox eſt: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Cant. VI. 11. Mira hoc loco Interpretum varietas. Sequor eos, qui nomen hoc non proprium, ſed appellativum judicant, hebraice, ut erat, relictum. Qua ratione ſignificatur populus voluntarius, qui ſponte Salomoni miſſis legationibus amicitiam & obſequia deferebat. Horum

ergo

ergo finitimorum quadrigæ cum frequentius venirent in regiam, turbata vereri ſponſa cœpit, ne rex, intentiore ad hæc animo, tantiſper ſui oblivíſceretur.

Amona. Nomen loci, Ez. XXXIX. 16. Hebraicum *Hamona* ſignificat multitudinem; quod LXX. *Polyandrion* verterunt, locum ſepulturæ publicum & communem, quem alio græco nomine *cœmeterion* appellamus. Nimirum trahet id nomen locus a multitudine hominum, qui e Gogi exercitu ibi occumbent.

Amphora. Obſcuriſſima viſio amphoræ egredientis, Zach. V. 6. ſqq. Pro amphora hebraice eſt *epha*, menſuræ genus. Totius viſi explicatio nulla magis conveniens magiſque cohærens mihi viſa, quam quæ affertur a præclaro Theologo, & Interprete peritiſſimo, Franciſco Ribera, in Comment. minoribus ab XII. Proph. in C. 5. Zach. a n. 10. Ejus hæc eſt ſumma. Amphora ſeu Epha eſt menſura peccatorum, Judæis a Deo præſtituta. *Hæc eſt oculus eorum in univerſa terra.* ibid. v. 6. Scelerata gens in id unum intendiſſe animos atque oculos videtur, ut menſuram hanc impleat: quaſi hæc una ubique ſit totius populi meta, & oculis propoſitus ſcopus. Talentum ſeu maſſa plumbi in amphoram immittitur, ejuſque os obturatur, dum per flagitiorum omnium graviſſimum, Meſſiæ cædem, menſura peccatorum impletur. Tum illi inſidet ſæva cuſtos *Impietas* (v. 8.) jam plene dominans, ac triumphans. *Duæ mulieres habentes alas quaſi alas milvi* (v. 9.) ſunt Excæcatio & Obduratio, ſuppliciorum maxima, quibus Impietatem Judaicam Deus tradit. Avolant hæ, & inſidentem amphoræ Impietatem in terram *Senaar* deferunt, id eſt, Babylonem, ut aperte LXX. reddiderunt. Exitus is eſt, *ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* v. 11. Ibi, veluti collocato ſibi domicilio, & ſupra baſin dedicata, Impietas adorabitur: quia inde Antichriſtus prodibit, a Judæis inſtar Divini Numinis adorandus.

• Amplifico. *Non amplifices ſuper omnem carnem: verum ſine judicio nihil facias grave.* Eccli. XXXIII. 30. *Caro* pro homine, more hebraico. Noli eſſe nimius

& juſto rigidior in quenquam hominum : ſed in re gravi deliberationem adhibe.

Amplius. *Ego Dominus* Deus *veſter*, *& non eſt amplius*. Joel. II. 27. Non eſt præter me Deus alius.

Amri. *Cuſtodiſti præcepta Amri*, *& omne opus domus Achab*: *& ambulaſti in voluntatibus eorum*, *ut darem te in perditionem*. Mich. VI. 16. Rex Amri, ejuſque filius Achab, ſimulacrorum religionem impiam inſtaurarunt. III. Reg. XVI. 25. ſq. 30. ſqq. Horum inſtituta ſacrilega tenuiſti, iiſque tibi extremum a me ſupplicium extorſiſti.

Amygdalus. In Hypotypoſi nobiliſſima Senectutis, quam totum Lectori ſimul in conſpectum dabo Voc. *Tenebreſco*, hoc quoque legitur: *Florebit amygdalus*. Eccle. XII. 5. Capitis canities florentem amygdalum referet.

Anathema. Cum *the* ſyllabam longam habet, eſt donum Deo conſecratum; cum brevem, eſt execratio, deteſtatio, malorum gravium imprecatio. *Ne forte veniam*, *& percutiam terram anathemate*. Mal. IV. 6.

2. Anathematis nomen etiam ei tribuitur, cui execratio hæc intentatur. *Sed licet nos*, *aut Angelus de cælo evangelizet vobis*, *præterquam quod evangelizavimus vobis*, *anathema ſit*. Ad Gal. I. 8. Dicitur tam de perſonis, quam de rebus. utriuſque exemplum conjungitur Deut. VII. 26. *Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam*, *ne fias anathema*, *ſicut & illud eſt*.

3. Paulus anathema. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*, *qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. Rom. IX. 3. Operoſe in hoc loco verſantur cum Theologi, tum Interpretes. Expeditiſſimam viam oſtendit vir inexhauſtæ eruditionis Theophilus Raynaudus, Operum T. XVII. l. de Amore Nationis & Cognationis, Sect. I. c. 1. Eo, inquit, tempore Paulus, quo legem veterem ſectabatur, tanto ſuæ gentis amore tenebatur, ut ſeparatus a Chriſto eſſe, quam relinquere ſuos mallet. Laudat hujus ſententiæ patronos, D. Thomam, D. Anſelmum, exiſtimatum Ambroſium, & Cajetanum: atque

que

que illud etiam obſervat, non dici ab Apoſtolo *Opto*, ſed *Optabam*, ut ſciamus, olim hunc ſibi fuiſſe animum, non cum iſta ſcribebat.

4. Anathema oblivionis: diverſum a prioribus, *the* longo. *Judith univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema oblivionis*. Judith.XVI.23. Conſecravit hæc Deo, qui ea victoria ſuperiorum diſcriminum & malorum oblivionem ſubito induxiſſet.

Anathematizo. Diris devoveo. Ita Petrus, a muliercula territus, ipſe ſe *cœpit anathematizare, & jurare*. Mar.XIV.71. Judas Machabæus, cum filios Bean concluſos teneret, *anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus, qui in eis erant*. I. Mach. V.5. Exitio primum devotos, mox flammis abolevit.

Anathoth. Siquis forte dubitet, quinam ſint *viri Anathoth* puniendi a Domino, quod Jeremiæ necem intentaſſent, ſi Prophetæ officio fungi pergeret (Jer. XI.21.& 23.): ſunt ipſi cives Jeremiæ, ex Anathoth urbe tribus Benjamin oriundi, Jer. I. 1.

Angario. Cogo. Græcum eſt. *Quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*. Matth. V.41. Siquis te invitum coegerit obſequium ſibi præſtare, tu deinde ultro geminatum id eidem exhibe. Et de Simone Cyrenæo: *hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus*. Matth.XXVII.32. Ad ferendam Jesu crucem vi compulerunt. Inde nomen *Angariæ* quatuor anni temporibus inditum, quæ quoties redeunt, ſtata quædam ſervitutis aut famulatus indicia & obſequia imperantur.

Angelus. Græcum eſt, Nuncium ſignificans:

1. Angelus teſtamenti, Chriſtus; Angelus Chriſti, Joannes Baptiſta. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*. Mal. III. 1. Priorem verſiculi partem de Baptiſta Præcurſore ſuo apertiſſime Servator ipſe interpretatus eſt, Matth.XI.10. & Luc. VII. 27. Nuncius enim erat apparere jam incipientis Meſſiæ: qui Angelus Teſtamenti dicitur,

quia Legem Gratiæ, Teſtamentum Novum, generi humano annunciaturus advenit.

2. Angelus faciei Divinæ. Paternam Dei in ſuos caritatem ſic Propheta ediſſerit: *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei ejus ſalvavit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos.* Iſ. LXIII.9. In ſublevandis omnibus eorum miſeriis indefeſſus adſuit (humano more loquitur) non conquievit, non eſt defatigatus: unum ex aſtantibus ſibi Angelis miſit, qui eos eriperet: ipſe illos, pro indulgentiſſimo ſuo amore, liberavit. Allegorico ſenſu hic Angelus faciei Divinæ Meſſias eſt, Facies Patris.

3. Spiritus angelus. *Qui facis Angelos tuos, ſpiritus; & miniſtros tuos, ignem urentem.* Pſ. CIII. 4. Duplex eſt hujus verſiculi explicatio; altera Hebraicorum Doctorum pæne omnium, altera Chriſtianorum paſſim. Hi nituntur verbis Pauli: *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Hebr. I. 7. Unde ita Pſalmi locum illuſtrant: Qui facis Angelos, miniſtros illos tuos, tam celeres, quam ſunt venti; tam validos & efficaces, quam eſt flamma ignis, aut fulmen omnia penetrans. Hebræi autem, poſt R. Salomonem, non de cæleſtibus geniis, ſed de vento & flamma, hunc in modum accipiunt: Qui facis ventum veluti nuncium tuum, & flammam ignis miniſtrum tuum. Poſterior ſenſus cum proximis ejus Pſalmi verſibus quam aptiſſime cohæret: excitat enim ſe David ad laudandam Dei magnitudinem, ex admirabilium operum pulcritudine, quæ oculis noſtris objecit. Conſiderat cælum, & nubes; tum ſpiritum ventorum, de quibus hic agimus, & flammam ignis; poſt hæc terram, & mare; montes, & campos; fontes, & rivos; pecudes, feras, volucres; herbam, panem, vinum, oleum. His omnibus interponi ventum & flammam, conſentaneum etiam Chriſtianorum Interpretum non paucis viſum eſt. Sed prior ſententia Paulina auctoritate fulcitur. Ingenioſa ſunt, quæ in hunc locum D. Gregorius commentatur: *Qui eos, quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit angelos facit.* hom. XXXIV. in Evang. Subtile hoc profecto,

ſeſto, ſed myſtici ſenſus eſt, non literalis, pro more Gregorii; neque ad alterum verſiculi membrum de flamma ignis progreditur.

4. Sacerdotes angeli. *Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum eſt.* Mal.II.7. Ejus nuncius ſeu legatus eſt. Qualis autem legatus, qui Regis ſui imperia vel neſcit ipſe, vel annunciare non poteſt?

5. Angeli pacis. Poſtquam prophetarum eloquentiſſimus ab initio capitis XXXIII. ornatiſſimis verbis re entinum Dei auxilium contra Sennacherib regem prædixiſſet, narrare in hunc modum aggreditur: *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt.* Iſ. XXXIII. 7. Speculatores Hebraici, viſo eminus tanto exercitu hoſtium, inclamarunt, ut, qui foris erant, tempeſtive ſe in urbem reciperent. Miſſi deinde ab Ezechia ad Sennacheribum legati de pace; Eliacim, Sobna, & Joahe (Iſ. XXXVI. 3.) re infecta Hieroſolymam rediere, & amaras inter lacrymas expoſuere, quæ v. 8. continentur; nimirum, publice jam tutum nihil eſſe, diffugiſſe incolas, irritam fuiſſe pacis petitionem, contemni ab inflato hoſte & urbes Judæorum, & cives.

Angulus. Saul jubet: *Applicate huc univerſos angulos populi.* I.Reg.XIV.38. *Diſperdidi Gentes, & diſſipati ſunt anguli earum.* Soph. III. 6. Utrobique eadem eſt vox hebraica, quæ ſimul angulos, ſimul principes denotat. ingenioſe quidem: ut enim anguli ædificium, ita principes populum, continent & firmant.

2. Anguli pro turribus. *Dies tubæ & clangoris ſuper civitates munitas, & ſuper angulos excelſos.* Soph.I.16. Turres, quæ in murorum angulis ædificabantur.

3. Angulus de Chriſto. *Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælii, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul.* Zach. X. 4. Ex ipſo (Juda) orietur Meſſias, lapis angularis utriuſque legis; paxillus, e quo ſpes & ſalus univerſa electorum omnium pendet; arcus, qui telis acerrimis tartareos hoſtes configit; victoriarum omnium auctor (nam tributorum exactor pro victore hic dicitur); fons denique bonorum ho-

rum omnium unus, quod per voculam *ſimul* breviſſime indicatur.

Angustia. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia & de judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Iſ. LIII.7.ſq. In celeberrimo hoc de Chriſti nece oraculo tria videri dubia poſſunt; cur *anguſtia* ab *judicio* ſeparetur: quæ intelligenda ſit *generatio*: quæ ſit vis particulæ *quia*. Primum *de anguſtia & de judicio* figura eſt, quæ Hendiadys appellari ſolet, & vocabula ſenſu cohærentia per conjunctionem & inter ſe dirimit. anguſtiis judicii obrutus, ærumnoſo judicio ſublatus eſt. Generationem hoc loco tum Divinam, tum humanam, Patres intelligunt. hebraica vox de poſteritate optime explicatur. Si Divina generatio placet, ita connectes: Quantum virum quam indigne ſuſtulerunt! hominem Deum, cujus æterna & inenarrabilis generatio eſt. & hic tamen (*quia* pro *tamen*, quod non inſolens Hebræis) ex numero vivorum reciſus! Si generationem humanam mavis, planiſſime ſic copulabis; Agnum hunc innocentem ſæviſſimis cruciatibus confecere. ſed ejus poſteritas in Chriſtiana Eccleſia erit infinita & innumerabilis, propter hoc ipſum ei præmii loco a Divino Patre decreta, quia ſe avellendum a terra præbuit, & pro ſceleribus noſtris percutiendum ſe obtulit.

Angustio. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum.* Eccle.XXVII.2. Quam firmiter palus in lapidum commiſſura depactus hæret, ne excidat: tam firmiter peccatum ſtringitur, & infixum hæret inter iniquos emptores & venditores, dum fallere alter alterum conatur.

Anima. Pro vita. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.* Matth.II.20. Ita de Chriſto ad Joſephum Angelus: prorſus ut olim ad Moyſen Deus: *Mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Ex.IV.19. Et Rechab ac Baana ad Davidem: *Ecce*

ca-

caput Iſboſeth. filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam. II.Reg.IV.8. In Jeremia quoque paſſim, Quærere alicujus animam, eſt illius vitæ inſidias comparare. *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt*. Lev. XVII.14. Animantium vita pendet a ſanguine. *Nec facio animam meam pretioſiorem quam me*. Act.XX.24. Non timeo, inquit Paulus, vitæ pericula in cauſſa tam bona: neque enim pretioſior mihi corporis hæc vita, quam ſalus æterna eſt.

2. Pro homine. Sodomorum rex ad Abramum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. Gen.XIV.21. Prædam tibi omnem permitto, ſolos homines repoſco. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificii* cet. Lev. II.1. Quicunque homo ſacrificium obtulerit. *Anima quæ comederit morticinum*. Lev.XVII.15. Si homo comederit animal morticinum. *Anima diſſoluta eſuriet*. Pr. XIX. 15. Homo piger egeſtatem & famem ſentiet.

3. Loco pronominum, *ego*, *tu*, *ſui*, *is*, *ille*. Iſaac ad filium Eſau: *benedicat tibi anima mea*. Gen.XXVII. 4. Ego tibi bene precabor. *Vivet*, inquit Lot, *anima mea*. Gen.XIX.20. Vivam ego. *Latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam ejus*. Deuter. XXII.26. id eſt, eum occidit. *Juravit Dominus exercituum per animam ſuam*. Jer. LI. 14. id eſt, per ſe. *Tentaverunt* Deum *in cordibus ſuis: ut peterent eſcas animabus ſuis*. Pſ.LXXVII.18. id eſt, ſibi. *Contabuerunt* inanium deorum ſimulacra, *& contrita ſunt ſimul: non potuerunt ſalvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit*. Iſ.XLVI.2. Hoſtis ea captivà avehet.

4. Pro cadavere. *Ecce autem quidam immundi ſuper anima hominis, qui non poterant facere Phaſe in die illo*, cet.Num.IX.6. Differebantur, ut menſe proximo celebrarent Paſcha, qui ex hominis mortui contactu immunditiam legalem contraxerant. *Dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, nunquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur*. Agg.II.14. Si immundus ex contactu cadaveris ſeu vinum, ſeu oleum, ſeu cibum quemcunque tetigiſſet, hæc quoque immunda cenſebantur.

5. Pro vitæ periculo. *In animabus noſtris afferebamus*

mus panem nobis. Thren.V.9. Cum capitis noſtri periculo inter hoſtiles gladios alimentum quæſivimus.

Animal. De hæreditate Domini loquens David, ait: *Animalia tua habitabunt in ea*. Pſ. LXVII. 11. Hæreditas Dei in Sacro Codice appellatur populus electus, quem ille ſibi ceu portionem propriam ex omnibus aliis gentibus deſignavit. Ait ergo David: Grex hic tuus, quem paſcendum mihi commiſiſti, vere populus tuus eſt, ſtabilis & perennis tua hæreditas eſt. Magis proprium hoc, quam ſi *in ea* intelligatur de terra promiſſa: nulla enim mentio terræ præceſſit: hæreditas autem Dei, Divinæ Scripturæ ſtylo, non terra, ſed populus, & populi hæreditas terra eſt.

Annuncio. David de inimicis ſuis: *De execratione & mendacio annuntiabuntur in conſummatione: in ira conſummationis, & non erunt*. Pſ. LVIII. 13. ſq. Execrationes illorum, & excogitata contra me mendacia tum narrabuntur, cum eos conſumet, penituſque deſtruet iratus Deus.

Annuo. *Qui annuit oculo, dabit dolorem: & ſtultus labiis verberabitur*. Prov. X. 10. LXX. clariſſime: *Qui nictat oculis fraudulenter, dolores hominibus congregat.* ſed & ſibi: luet enim aliquando fraudes, & linguæ ſuæ flagellum ipſe quoque ſentiet, inviſus, irriſus, derelictus, exagitatus, punitus.

Annus. Meſſiæ nomine ita loquitur Iſaias, LXI. 1. ſq. *Miſit me* (Pater) —— *ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis* Deo *noſtro*. Cui loco ſingularem ipſe Dominus honorem habuit, dum eum ex oblato ſibi Iſaiæ volumine interpretatus eſt, Luc. IV. 17. ſqq. Compertum ex hac ipſa explanatione habemus, ſcripta hæc de Chriſto eſſe, miſſo *prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis*. Tota nimirum Chriſti vita perpetuum Jubilæum erat: cui tamen dies *ultionis* ſeu *retributionis* additur, quia ante omnia Dominus pœnitentiam indixit, divinum ultionis genus: quam detrectantibus, judicium ſæpiſſime & graviſſime minitatus eſt.

2. Annus dierum. hebraico more pro anno abſoluto

to & integro. *Adhuc duo anni dierum*, cet. Jer. XXVIII. 3. Ubi completum fuerit biennium.

3. Annus unus. *Anno uno regni ejus*. Dan. IX. 2 id eſt, *In anno primo Darii filii Aſſueri*, ut ibid. v. 1. dictum erat.

Ante. Eſſe ante alios, pro miniſtrare, ſervire aliis. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles*. Prov. XXII. 29. Vir celer & ſtrenuus ab regibus in conſpectum admittetur, neque ignobilibus famulabitur.

Antichristus. Chriſto contrarius. græcum eſt. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt*. I. Jo II. 18. ii nimirum, de quibus idem Apoſtolus II. 7. ſcribit: *qui non confitentur*, Jesum *Chriſtum veniſſe in carnem*, quorum e numero quiſquis eſt, *hic eſt ſeductor & antichriſtus*. Antonomaſtice tamen hoc nomen ſervatur impio illi, qui ante ſupremum judicium omnia perturbabit.

Antiquitas. Ad Jeroſolymam dicitur; *Soror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & Samaria, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & tu, & filiæ tuæ, revertimini ad antiquitatem veſtram*. Ez. XVI. 55. Antiquitas eſt ſtatus priſtinus, ac temporum illorum felicitas, quibus earum urbium res florentiſſimæ erant. Ad hunc autem fortunæ habitum redire, neque Samariæ poſt captivitatem unquam contigit, neque Sodomæ penitus cum tota regione everſæ contingere potuit. Alio igitur & interiore ſenſu hæc de Chriſto Reparatore humani generis dicta ſunt. Sodomam nominat pro gentibus omnibus deos & crimina ſectantibus; dignam per ſua flagitia, quæ primo loco ponatur. Jam hæc eſt Divina pollicitatio: O popule Jeroſolymitane, religionis veræ aſſecla, ſed captivitatis jugo preſſe, per Chriſtum te liberabo, ſicut per illum reliquias Iſraelis, & gentes omnes dæmoni tyranno eripiam, & primævæ felicitati per gratiam meam aliquando reſtituam. Ideo de Sodoma & Samaria eodem loco hæc præmiſerat: *Convertam reſtituens eas converſione Sodomorum cum filiabus ſuis, & converſione Samariæ, & filiarum ejus: & convertam reverſionem tuam in medio ea-*

earum, ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus, quæ feciſti conſolans eas, ibid. 53. ſq. Ubi *convertere* & *converſio* ſunt liberatio e captivitate. Abruptis peccati laqueis, in integrum vos omnes reſtituam, & ad primævum æterni regni jus omnes populos revocabo. Quod tibi, Sion, idcirco prænuncio, ut ſervitutis Babylonicæ mala facilius toleres, & pudore plena, admiſſorum criminum pœnitentia ducaris, ſorores exemplo tuo conſolans, & ad ſimilia ſtimulans.

Antiquus. Pater Divinus, venerandi ſenis ſpecie apparens, dicitur *Antiquus dierum*. Dan. VII. 9. & 13. Id apud Hebræos eſt longævus, grandis natu.

Apadno. *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum*. Dan. XI. 45. Tabernaculum ſolii ſui, inquit peritiſſimus Hieronymus.

Aperio. Homines avari, peroſi neomenias & ſabbata, quibus emere ac vendere lex prohibebat, ita exclamant: *Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces: & ſabbatum, & aperiemus frumentum?* Amos VIII. 5. *Menſis* pro prima ejus die, ſeu neomenia. *aperire frumentum* eleganter pro venale exponere, horrea aperire. Diebus profeſtis inhiabant, ſoli lucro & fallaciis intenti, ut deinceps narratur.

Apertura. Optimatibus Hebraicis futurum ſupplicium Propheta indicit, ſub allegoria vaccarum. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ*. Amos IV. 1. Aliis mors impendebat ab hoſtibus, aliis captivitas. de morte dicitur, ſub eadem vaccarum imagine, coquendarum, & verubus ac contis infigendarum: *ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus*. v. 2. De captivitate autem: *& per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon, dicit Dominus*. v. 3. Convulſæ ab hoſtibus reipublicæ optima imago eſt ſepes ampliſſimi latifundii, a prædonibus dilacerata, atque hinc & illinc disjecta. Per alios atque alios ejus hiatus ejiciuntur boves captivæ, & exulatum aguntur in Armeniam uſque, ubi Armon.

Apocalypsis. Initium libri, qui hoc nomine inſcribitur,

bitur, Legis Novæ ultimus: *Apocalypſis* Jesu *Chriſti*. Vox græca, ejuſdem ſenſus, cujus in latinitate ſacra eſt *revelatio*. Quo modo & Paulus: *apocalypſim habet*. I.Cor.XIV.26. Revelatum ei eſt arcanum cæleſte.

Aporia. Græcum. Ambiguitas, hæſitatio in re perplexa, mœror animi. *Sicut in percuſſura cribri remanebit pulvis, ſic aporia hominis in cogitatu illius*. Eccl. XXVII.5. E cribro, ſi concutias, frumentum excidit, ſordes remanent: ſic homo perſæpe, omiſſis lætis ac utilibus, futilia animo agitat, quibus affliƈtatur.

Aporior. Dubito, hæreo, doleo. *Cum conſummaverit homo, tunc incipiet: & cum quieverit, aporiabitur*. Eccl.XVIII. 6. Cum homo Dei magnitudinem & ſtupenda opera ſatis jam perſcrutatus ſibi videbitur, jamque indagare ceſſaverit: demum agnoſcet, incipiendum ſibi eſſe rurſus: hærebit ac dubitabit, quaſi qui nihil egerit. Multi hic legunt *operabitur*. q. d. ad idem opus, ad eandem divinorum meditationem, redibit. Sed tenendum *aporiabitur*, ut ex græco fonte manifeſtum fit. *Aporiamur, ſed non deſtituimur*. II. Cor. IV. 8. In græco peculiaris venuſtas eſt, ex affinitate vocabulorum nata: quaſi latine dicas: hæſitamus, non tamen omnino adhæreſcimus: lapſamus, non tamen labimur.

2. De Deo, more humano, ut ſæpe alibi in Veteri Lege. *Vidit, quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat: & ſalvavit ſibi brachium ſuum, & juſtitia ejus ipſa confirmavit eum*. Iſ. LIX. 16. Vidit, neminem eſſe, qui jus faſque colat, qui in præceptorum via ſibi occurrat: quapropter indoluit, & ſalutem humanam, quam ipſi homines non quærebant, ſuo unius brachio (hoc enim eſt hebraico more *ſibi*, per ſe ipſe, ſua unius opera) reſtituit, perque ſuum Filium, per ſuam juſtitiam, ſibi ſatisfecit.

Apostata. Legitur Prov. VI. 12. quo quidem loco non ſignificat ſpeciatim religionis veræ deſertorem, ſed generatim hominem nefarium, qui a Deo legibuſque deſciſcit. Hebraice dicitur *homo belial*, homo abſque jugo, homo pravus. LXX. vertunt: vir inſipiens & contra legem vivens.

Apo-

Apostatrix. *Mitto ego te ad filios Iſrael, ad Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt a me*. Ez. II. 3. Mittitur Ezechiel ad Iſraelitas, tribus decem rebelles. LXX. exacerbantes me.

Appareo. Exul David ita Deum in ſolitudine alloquitur: *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi*. Pſ. LXII. 3. *Sic* pro *ſicut*. *Sanctum* pro *Sanctuario*. Non minus in loco hoc deſerto, invio, & arido, oculos animumque ad te converto, quam coram Arca & ſancto tuo tabernaculo. Canebat hæc religioſiſſimus princeps, *cum eſſet in deſerto* (ut docet hujus Pſalmi titulus) *Judææ*, ut habent codices hebraici, græci, chaldaici, & optima Vulgatæ exemplaria; patetque ex I. Reg. XXII. 5. Cave fidas editionibus latinis græciſque, in quibus legitur *in deſerto Idumææ*, quod cum Davidicæ vitæ hiſtoria, & fontibus, ut dixi, pugnat. In græco facile fuit librarium properantem labi, unius literæ *m* diſcrepantia: at in hebraicis & chaldaicis, in quibus Judæam inter & Idumæam majus diſcrimen eſt, exemplarium conſenſus pro Judæa ſtat.

Appendo. Pecuniæ olim appendebantur, etſi moneta non eſſet aurea, ſed inferioris metalli. Sic Jeremias, empto Hanameelis agro, ut ipſe de ſe narrat: *ſcripſi in libro, & ſignavi, & adhibui teſtes: & appendi argentum in ſtatera*. Jer. XXXII. 10. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium*. Zach. XI. 12. ſq. Examinato ad lancem pondere, pretium perſolverunt indigniſſimum, triginta argenteos, de quo Dominus conqueritur, & id projicere in templum Prophetam jubet. *Statuarii* nomen in hebraico proprie ſignificat figulum, deque ipſo Deo in Scripturis legitur, qui hominem e limo finxit. Tanti Judas Chriſtum vendidit, idque ipſum pretium deinde in templo projecit, unde ager figuli emptus. Quantum noſtræ monetæ illud ſanguinis Divini pretium æquarit, dicam Voc. *Argenteus*.

Appono. Pro pergere, inſiſtere, continuare. *Ut*

non

non apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram. Pſ. IX.39. Ne deinceps extollere ſe homo pergat.

2. De lucro, quæſtu, utilitate. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* (hebraice, *Quid dabit tibi, & quid apponet tibi lingua doloſa?*) *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis*. Pſ. CXIX. 3. ſq. Quid præmii, o criminator, lingua tua doloſa tibi afferet? quod emolumentum tibi ex illa naſcetur? Non aliud, quam acutæ omnipotentis Ultoris ſagittæ, & carbones diu urentes, male ſibi conſciæ mentis, & olim gravis ſupplicii. Pro *deſolatoriis* hebraice dicuntur carbones juniperorum, ſeu geniſtarum, ex quibus, & præſertim radicibus, relicti carbones ingentem ac diuturnum calorem efficiunt.

3. De odio, & animi alienatione. *Cumque appoſitus eſſet* (rex Antiochus) *contra Judæos, miſit odioſum principem Apollonium cum exercitu*. II. Mach. V. 24. Græce: cum in Judæos infeſto animo eſſet.

Apprehendo. Ut cladis futuræ atrocitatem Iſaias demonſtret, eloquentiſſime colore hoc utitur: *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*. Iſ. IV. 1. Tanta virorum ac juvenum ſtrages edetur ab hoſtibus, ut vix ſinguli viri pro compluribus feminis (*ſeptem*, numerus certus pro incerto) ſint ſuperfuturi. Ambient ergo virum, non victum aut veſtitum ab eo petentes, ſed de ſuo victuræ, dummodo nomen uxoris ſibi obtingat, & ſterilitatis probrum, quod tum habebatur maximum, auferatur.

2. *Apprehendite diſciplinam*. Pſ. II. 12. Illuſtris locus, & inter Hebraicos noſtroſque Doctores tanto ſtudio toties agitatus. Hebraice eſt: *Oſculamini filium*. Chaldaica habet: *Recipite doctrinam*. D. Hieronymus vertit: *Adorate pure*. LXX. & B. Lucianus nobiſcum: *Apprehendite diſciplinam*. Varietatem hanc peperit vocabulum hebraicum *bar* ſeu *var*., quod plura ſignificat, præſertim *filium*, & *munditiam*, ſive *puram integritatem*. *Oſculari* vero idem Hebræis eſt, quod *adorare*

rare, quoties oſculum intelligitur non amicitiæ, ſed reverentiæ. Nec aliis gentibus id ignotum, apud quas adoratio cum oſculo conjuncta, nunc manuum, nunc pedum, nunc veſtimenti. Cum ergo Pſalmum illum de Meſſia ſeu Divino Filio omnes intelligant, Hebræi non minus, quam Chriſtiani: componere interpretationes omnes licebit, ſi hunc in modum rem declaremus: Adorate Filium, ſed adorate pure, ſerio nimirum & vere, doctrinam ac diſciplinam ejus arripientes, & morum ac vitæ munditia exprimentes.

3. Pro eripere. *Apprehendes, & non ſalvabis: & quos ſalvaveris, in gladium dabo.* Mich. VI. 14. Eripere conaberis eos, quos maxime amas, hoſti in captivitatem abducenti: ſed eos ſervare non poteris. ſi quos tantiſper ſervaveris, ſuperveniet aliorum hoſtium gladius, qui eos interficiat.

Approbo. *Vox Domini ad civitatem clamat, & ſalus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud?* Mich. VI. 9. Quotuſquiſque mandatum, Dei nomine propoſitum, apud ſe magni facit, & opere ipſo exequitur.

Appropinquo. Cæleſtis Sapientia de ſe merito gloriatur: *Fluvius meus appropinquavit ad mare.* Eccle. XXIV. 43. Fluvius meus (ſub cujus allegoria doctrinam ſuam cæleſtem ſignificat) adeo ſe extendit, ut mare quoddam eſſe videatur.

Aqua. *Revelabitur quaſi aqua judicium, & juſtitia quaſi torrens fortis.* Amos V. 24. Pœna & juſtitia Dei, ut aqua inundans ac torrens, te invadet; videlicet inopinate, & celeriter, & nulla evadendi relicta facultate.

2. Aqua contradictionis. *Probavi te*, ait ad populum ſuum Deus, *apud aquam contradictionis.* Pſ. LXXX. 8. Nomen loci. *Hæc eſt aqua contradictionis, ubi jurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum.* Num. XX. 13.

3. Aquæ tranſeuntes. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa invenies illum.* Eccle. XI. 1. Sere in ſolo irriguo, unde ſuo tempore panem copioſum recipias. Senſu tropologico tranſeuntes aquæ ſunt pauperes, quorum copia ſemper affluimus:

panis

panis in illos diſtributus, liberaliſſime nobis aliquando reddetur.

Aquila. *Ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt.* Jobi XXIX. 30. Quod Servator ipſe repetiit: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Matth. XXIV. 28. atque iterum Luc. XVII. 37. Ubi tamen, ne erres, genus aquilarum deterius intelligendum, quod a Græcis propterea *Hypaetos* dictum eſt, quaſi *aquila inferior*. Vera enim aquila primarii ordinis veſci non dignatur niſi a ſe peremptis. Quod ſi tamen *cadaver* per catachreſin aut prolepſin accipimus, pro vivente nunc quidem præda, ſed quæ mox diſcerpta cadaver futura ſit: id in nobiliſſimam quoque aquilam cadit, & cum præcedentibus Jobi verbis conſentit: *Pulli ejus lambent ſanguinem.* quod niſi animante modo occiſa fieri non poteſt.

2. Calvitium ſicut aquila. *Dilata*, inquit ad urbem regiam Michæas, *calvitium tuum ſicut aquila: quoniam captivi ducti ſunt ex te.* Mich. I. 16. Sicut avis illa regia, paulo ante validiſſima & glorioſiſſima, cum plumas amittit, repente inops & imbecillis fit: ita Hieroſolyma, filia Sion, abreptis in captivitatem filiis, ſummo in luctu attonſa ac deformata ſquallet & conſeneſcit.

3. Aquila Nabuchodonoſor. *In gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini.* Oſ. VIII. 1. Extolle vocem quaſi tuba, & annuncia: Ecce Nabuchodonoſor tam rapido volatur in templum Domini ruet, quam aquila in prædam fertur.

4. Aquilæ duæ, Sedecias & Nabuchodonoſor, Ez. XVII. 3. ſqq. Aquila prior eſt rex Hebræus: cujus vineam aquila altera, rex Chaldæus, evellit ac deſtruit.

Aquilo. *Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Pſ. XLVII. 3. Fefellit hic locus eos Interpretum, qui montem Sion ac templum ad ſeptentrionalem Hieroſolymæ plagam ſita fuiſſe hinc perperam collegerunt. Sion mons cum arce ac templo, quæ urbs ſuperior ſeu acropolis dicebantur, meridiem reſpiciebant: urbs autem inferior

Jero

Jeroſolyma proprie dicta, & plano in loco ædificata, ad Aquilonem vergebat. Itaque ſenſus verſiculi eſt: univerſa terra plaudit fundationi tam templi & arcis in monte Sion, quam urbis regiæ ad Aquilonem pertinentis.

2. De Abrahamo. Eloquentiſſimum Caput XLI. Iſaias hoc epilogo concludit, Deum immortalem cum vanis gentium diis comparans, *Suſcitavi ab Aquilone, & veniet ab ortu ſolis: vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum.* v. 25. Quemadmodum hujus Capitis v. 2. cœperat ab Abrahamo, in quo gentes ad ſe vocavit Deus, ita & epilogum ab eodem orditur. Ego, inquit, ab Aquilone & Oriente, ex Meſopotamia & Chaldæa, Abrahamum excitavi: qui quia vocem meam audiens venit, meumque nomen adoravit, effeci ego, ut per ſe ac ſuos poſteros glorioſus reges ac principes conculcaret. Pergit: *Quis annunciavit ab exordio ut ſciamus: & a principio ut dicamus: Juſtus es? non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros.* v. 26. Abrahamo, ejuſque poſteritati futuros eventus tam miros tanto tempore ante Deus prænunciavit. quis falſorum deorum hoc potuit? ſic enim cauſſa hæc dijudicanda eſt, ſic dici poteſt, Tu verus es Deus. At illi neque proſpexerunt ipſi futura, neque unquam per quenquam annunciarunt. *Primus ad Sion dicet: Ecce adſunt, & Jeruſalem evangeliſtam dabo.* v. 27. Solus Iſraelis Deus prophetas ſuos miſit, & inter hos Iſaiam, qui Hieroſolymæ vaticinetur. *Et vidi, & non erat neque ex iſtis quiſquam qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum.* v. 28. Deos vero ſi circumſpicio, nec eorum ſacerdotes, nec ipſi, vel conſilium inveniunt, vel reſponſum expediunt. *Ecce omnes injuſti, & vana opera eorum: ventus & inane ſimulachra eorum.* v. 29. Injuſtum ergo eſt, eos colere, quorum nulla ſunt opera, cum ipſi ſint opera manus humanæ: ventus inanis ſunt, nihil ſunt.

3. De Holoferne. *Et eum, qui ab Aquilone eſt, procul faciam a vobis: & expellam eum in terram inviam & deſer-*

deſertam: faciem ejus contra mare Orientale, & extremum ejus ad mare noviſſimum: & aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus, quia ſuperbe egit. Joel. II. 20. Prædicitur victoria de Holoferne per Juditham. Chaldæi, quos ille ducebat, Hebræis ad Aquilonem erant. Eorum pars, occiſo duce, Orientem verſus ad mare Galilææ, pars ad Occaſum ad mare magnum, quod Mediterraneum vocant, alii alio fugam capeſſent, relictis ſociorum cadaveribus inſepultis.

4. De captivitate Babylonica. Grande ac terrificum eſt illud Jer. XVI. 14. ſq. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti; ſed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis.* Oſtendit enim, tanto ærumnoſiorem fore captivitatem Babylonicam vetere Ægyptiaca, ut hæc præ illa in oblivionem ventura ſit. Idem repetitur pæne totidem verbis Jer. XXIII. 7. ſq.

Ar. *Nocte vaſtata eſt Ar Moab.* Iſ. XV. 1. Urbs Moabitarum præcipua. Quæ deinceps nominantur urbes, ejusdem ſunt provinciæ Moabiticæ.

Aranea. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Pſ. LXXXIX. 9. Græcum, *arachne*, quo LXX. hic utuntur, & noſtrum *aranea*, tam animantem, quam ejus telam ſignificat: quod exempla ſcriptorum utriuſque linguæ docent apud eruditiſſimum Delrium in Adagialibus Vet. & Novi Teſtam. P. II. adag. 104. Meditandi verbum ſi paſſive accipis, ſententia erit: anni vitæ noſtræ fragiles inſtar araneæ reputabuntur. Sed rectius activo ſenſu intelliges, quem & græcum, & latinum vocabulum poſcit: anni noſtri, inſtar inquietæ araneæ, diſcurrentis, ſeque ob viliſſimæ prædæ ſpem eviſcerantis, inter curas has rerum infimarum & ſollicitudines conſumuntur. Eamdem veritatem ſimilitudine alia declarant Hebræa: Conſumpſimus annos noſtros tanquam vocem, tanquam halitum; & ut Chaldæus explicandi gratia addit, tanquam vaporem oris hyberno tempore. Vita noſtra vapor eſt, apparens, quidem, ut halitus in hyberno frigore, ſed momento prætervolans, nec veſtigium ſui relinquens.

Arca. *Non dicent ultra, Arca teſtamenti Domini: neque*

que aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius: nec viſitabitur. Jer. III. 16. De tempore loquitur captivitatis, in quam antequam diſcederent, ipſe *Jeremias invenit locum ſpeluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit*. II. Mach. II. 5. Cumque diligentiores aliqui obſervare locum vellent, non permiſit Propheta, ſed *culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget DEUS congregationem populi, & propitius fiat; & tunc Dominus oſtendet hæc*. ibid. v. 7. ſq. Quam ergo latentem viſitare non poterant Arcam, ſenſim oblivioni etiam dabant, & inutilem de ea ſollicitudinem ex animis omittebant.

2. Locus eſt non parum difficilis de Arca: *in qua, urna aurea, habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti*. Hebr.IX. 4. Cum tamen Regum hiſtoria ita narret: *In arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb*. III. Reg. VIII. 9. Et idem refertur II. Par. V. 10. Varia afferuntur, quibus in medio relictis, ſatis erit meminiſſe trium opinionum, quibus hæc inter ſe conciliat doctiſſimus Ribera, l. II de Templo & pertinentib. ad Templ. c. 2. Primo, inquit, verba Pauli *in qua* refer non ad Arcam, ſed ad Tabernaculum, quod græce *ſcena* dicitur genere feminino. In tabernaculo autem virga Aaronis, & urna cæleſte manna ſervans, locum facile habent. Deinde *in* pro *cum* accipi per hebraiſmum poteſt. Denique per hebraiſmum alium *in* pro *juxta* intelligere, nihil vetat. Ita ille fuſe, adjunctis probabilibus argumentis: primam tamen ſententiam ceteris ipſe antefert.

Arcanus. *Violabunt arcanum meum: & introibunt in illud emiſſarii, & contaminabunt illud*. Ez. VII. 22. Violabunt, inquit Dominus, templum meum: eo irrumpent Chaldæi prædatores & milites, illud inquinaturi.

Archisynagogus. Luc. XIII. 14, & alibi. Qui ſynagogæ præeſt.

Architriclinus. Joann. II. 8. ſq. Convivii moderator.

Arcus. Contra ingratos, Deique jugum excutientes Iſraelitas: *Facti ſunt quaſi arcus doloſus*. Oſ. VII. 16.

16. Qui alio, quam quo dominus deſtinavit, ſagittas emittit, vel etiam ipſum vulnerat. Idem eſt Pſ. LXXVII. 57. *converſi ſunt in arcum pravum*.

Ardeo. Deus *ſagittas ſuas ardentibus effecit*. Pſ. VII. 14. Quidam de ſagittis exponunt, quaſi dictum eſſet *ardentes*; ut ſenſus ſit, Deum iræ ſuæ fulmina in ſceleſtos parare. Si veritatem ſpectamus, nihil certius: quia tamen in hebraico participium *ardentibus* cum præfixa dativi nota legitur, fonti ſimul & Vulgatæ propior eſt hæc ſententia: Deus vindictæ ſuæ tela in eos vertit, qui prava cupiditate flagrant. Licet tamen utrumque conjungere. Scelere inflammatis Divina fulmina minantur.

Ardor. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Iſ. XXXIII. 14. Duplex eſt hoc loco ſententia; altera communis pæne omnibus, de æternis & intolerabilibus apud inferos flammis; ſingularis altera, & ingenioſe excogitata, de flamma ſacrificii, holocauſti præſertim, & igne altaris, quem intermori nefas erat. Audi, quæ ſequuntur: *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum*. ibid. v. 15. illinc igitur habitabunt in æternis ſuppliciis, qui juſtitiam, & veritatem colunt? hoſne devorabit inferorum ignis, qui ab avaritia & calumnia alieni puras manus ſervant? hinc ſempiternis tradentur ardoribus, qui aures & oculos a malo avertunt? Hæc non modo non cohærent, ſed pugnant etiam. Connectentur autem, & pulcre conſentient, ſi de igne altaris hunc in modum interpreter: Quis veſtrum dignus eſt ſacerdotio fungi, & altari aſſiſtere, ſive ut ignem holocauſto admoveat omnia devorantem, ſive ut altaris Divini flammam alat ſempiternam? Solus ille ſacro hoc munere dignus eſt, qui juſtitiæ ac veritati ſervit; qui avaritiæ, qui calumniæ, qui largitionibus incorruptus obſiſtit; qui crudelitatem & ſcelus nec ad aures, nec ad oculos unquam admittit. Vidi ego non paucos moveri, tum argumento hoc, tum

auctoritate Cæſaris Calini, cujus eſt in exponendo Divino Codice felicitas ſingularis. Ne tamen a priſca ſententia & univerſo ſummorum etiam virorum agmine cogamur diſcedere, efficiet, opinor, proximus ejusdem loci verſiculus. *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt*. ibid. v. 16. Addamus & alterum: *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus*. ibid. v. 17. Nulla ratio poſtulat, ut verſum quintum decimum ſuperiori potius, quam ſequenti jungamus. Eodem igitur jure ad inferiorem ſic revocabitur: *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam* cet. *iſte in excelſis habitabit*, terris ſublimior, & in ſolidæ virtutis arce collocatus, nec unquam alimento cæleſtis gratiæ uberrimo cariturus. Illuſtratis Divino lumine oculis in contemplatione ſupremi Regis diu noctuque verſabitur. Quod ſi recta & preſſe poſteriora conferre prioribus, & inferorum ſuppliciis opponere beatam æternitatem placet: etiam hoc perfacile ſenſu anagogico obtinebitur: *Qui ambulat in juſtitiis*, qui in ceteris eo verſiculo memoratis conſtanter perſeveraverit, *iſte in excelſis habitabit*, cæleſtis Hieroſolymæ incola, & loco receptus hoſtibus inexpugnabili, convivio Domini ac torrente voluptatis fruetur: fidele illi & perpetuum eſt ſuum præmium, quia Regis ſui gloriam nunquam non intuebitur.

Arena. Dominus de populo ſuo: *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ ejus ſuper arenam maris: induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie: miſi ſuper civitates repente terrorem. Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima ejus: occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies*. Jer. XV. 8. ſq. *Mihi*, id eſt, coram me. Hyperbole *ſuper arenam* innumeras fore viduas demonſtrat, viris gregatim ab hoſte trucidatis. Matribus juvenum Hebraicorum, vel ipſi matri omnium Hieroſolymæ; immittendus prædicitur vaſtator Chaldæus, qui liberis opibusque florentes ad orbitatem & miſeriam deducat, ac *meridie*, luce palam, ſuis omnibus ſpoliet. Tantos inter civitatum terrores, etiam fœcundiſſima quæque mater ex liberorum jactura doloribus obruetur, & in ſplendore me-

re medio felicitatis nox ærumnarum & ægritudinis ingruet.

Argenteus. *Quoties legitur argenteus ſine adjunƈo, ſubintelligitur ſiclus*. Ita inſignis Scripturarum Interpres, Tirinus, in Prolegom. de Antiquis Ponderib. ac Monetis, §. de Drachma & Siclo. Et magnus Cornelius a Lapide in Diſſert. de Menſur. & Ponderib. Hebr. quam Pentateucho ſubjunxit, §. 1. inquit: *Siclus ſubintelligendus eſt, quoties aureus, vel argenteus legitur*. Alibi quoque (in Exod. XXX. 13.) id confirmat *ex verſione Septuag. collata cum noſtra Gen. 20. 16. ibi enim Noſter vertit, mille argenteos; Septuag. vero, mille didrachma*. Eſt autem didrachmum hebraicum, quod LXX. more ſuo intelligunt, ſive tetradrachmum atticum, idem ac ſiclus, cujus pretium ad victoriatos (*batzios* vulgus appellat) octo, ſeu crucigeros 32 aſcendit.

2. De triginta argenteis, quibus Chriſtum magiſtrum Judas vendidit, certum illud eſt ex libro Exodi XXI. 32. pretium fuiſſe ſervi, bovis incurſu occiſi. Tanti Chriſtum Dei Filium emebant. Celeberrimus Baronius ad Annum Chriſti XXXIV. a n. 16. pluribus conatur probare ſuam de ingente ſumma ſententiam. Verum, ut Jeremias Drexelius in Deliciis Gentis Hum. P. II. c. 3. in animadv. ad §. 1. inquit, *paſſim rejicitur Cæſaris Baronii ſententia de 330. coronatis*, ſeu, ut declarat ipſe, totidem philippeis, ac proinde noſtratibus 440. florenis. Taceo rationes Theophili Raynaudi Operum T. IX. allatas, l. de Juda proditore c. 12. n. 3. ſqq. quia nihil certi conſtituere audet. Taceo & illos, qui per monetas hiſpanicas, italicas, gallicas, mentem ſuam explicarunt, ad ſuorum magis popularium, quam noſtrum uſum: quales ſunt Pererius, Pradus, Villalpandus, Lorinus, Maldonatus, alii. Ego ex iis, quæ præmiſi, Chriſti venditi pretium rotunde fuiſſe cenſeo noſtratis 16. fl. qui ad unguem reſpondent brabanticis 30. fl. In eadem ſententia Drexelius eſt, notiſſimæ diligentiæ ac eruditionis vir, in Joſepho, animadv. ad. c. 3. ubi tamen in edit. Operum ejus Mogunt. 1651. & Lugd. Gall. 1658. importunus error cavendus ponentium 36. fl. pro 16. Sed au-

quos tanquam probatiſſimum argentum puros tu deprehendiſti. Frequenter Hebræi particulam *ſicut* in comparationibus omittunt. *probati ſunt argento*, id eſt, ſicut argentum, ut v. 15. hujus ipſius Pſalmi, *nive dealbabuntur*, id eſt, inſtar nivis candidi erunt.

2. Eloquia Domini, argentum. *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ* (D. Hieronymus vertit, *ſeparatum a terra*) *purgatum ſeptuplum*. Pſ. XI. 7. Divina mandata & decreta ſunt inſtar puriſſimi argenti, quod multo igne purgatum, quod terque quaterque ab omnibus terræ fæcibus ſecretum, nihil omnino ſcoriæ habet.

2. Argentum, quod urtica hæreditabit. Hypotypoſis præclara, ad indicandam Hebræis exilii ſui diuturnitatem. *Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos: deſiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum*. Oſ. IX. 6. In Ægyptum fugient, nec quiſquam illorum inde vivus redibit. Pretioſæ villæ ac domus, multo argento emptæ aut ædificatæ, vel etiam ornatæ, interea ruinis ſuis ſepelientur ſic, ut rudera ipſa increſcentibus urticis & lappis tegantur.

Arguo. *Quam bonum eſt arguere, quam iraſci, & confitentem in oratione non probibere!* Eccli. XX. 1. Cum lingua hebraica gradibus comparationis careat, aliis ei ſupplementis utendum eſt. Itaque *bonum* ... *quam* ... idem eſt ac *melius* ... *quam* ... & ſententia fit hujuſmodi: O quanto melius eſt errantem arguere placide, quam excandeſcere! quanto ſatius eſt, fatenti culpam, roganti que veniam, eam benigne tribuere, quam negare!

Arida. Pro terra. *Circuitis mare, & aridam*. Matth. XXIII. 15. *Dixit Dominus piſci: & evomuit Jonam in aridam*. Jon. II. 11. *O præſumptio nequiſſima; unde creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius!* Eccli. XXXVII. 3. Contra infidelem amicum exclamat: Quis crederet, deterrimo huic vitio locum eſſe in hominis animo poſſe? ejus malitia ac dolo inundatur terrarum orbis.

Ariel. Hebraice eſt Leo Dei. Pro urbe Hieroſoly-

olyma uſurpatur allegorice ab Iſaia XXIX. 1. 4. *Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David! additus eſt annus ad annum: ſolemnitates evolutæ ſunt. Et circumvallabo Ariel, & erit triſtis & mœrens, & erit mihi quaſi Ariel.* Væ tibi, Jeruſalem, urbs olim a Davide expugnata! (II. Reg. V. 7.) Væ tibi, leo Dei, leo maxime! appropinquat ſenſim deſtinatum tuo ſupplicio tempus: poſt pauculos annos, poſt aliquot paſchata, cingam te hoſtibus, ut leo validus retibus & venatorum armis undique premitur, & ad exitium deſignatur.

2. Pro altari. *Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum* cet. Ez. XLIII. 15. ſq. Eſt ſumma pars altaris, unde quatuor cornua ſeu pyramides eminebant. Leonem Dei appellat, quod victimas devoraret. Ipſe etiam Deus Leo, pro ſuorum ſalute excubans.

Armon. Ad vaccas pingues, id eſt, Samariæ primores: *Projiciemini in Armon, dixit Dominus.* Amos IV. 3. Expellemini in Armeniam, ubi Armon. Cetera hujus allegoriæ paſtoritiæ tractavi in Voc. *Apertura.*

Aro. *Arabit Judas, confringet ſibi ſulcos Jacob.* Oſ. X. 11. Opponit Propheta trituram arationi, quarum illa præſens lucrum & alimentum præbet, hæc laborem poſcit multo demum poſt tempore profuturum. Trituræ nomine tegitur falſa inanium deorum religio, cui Ephraim ſeu Iſraeliticus populus indulgebat, libertatis & lucri amore illectus. Arare dicitur, qui legis Divinæ jugum in caſta religione ferens, & præſentis laboris patiens, futuram frugem expectat. Talis erat Judas, cum eoque ſociatus Jacob; id eſt regnum Juda orthodoxum, & qui ex decem tribubus ab Ezechia rege ſanctiſſimo ad ſacra patria revocati ſunt.

2. Arare impietatem, arare mendacium. Oſeas eodem loco in allegoria perſeverans ait: *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacii: quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.* Oſ. X. 13. Impia cogitaſtis, iniqua perpetraſtis, fructum ſcelerum percepiſtis, ſed inanem & fallacem. Vana fiducia elati, male innitebamini præſidio veſtrorum fortium, ſive militum, ſive deorum, quos ceu potentes

tentes adorabatis, cum viribus omnibus careant. *Noli arare mendacium adverſus fratrem tuum*. Eccli. VII. 13. Cave dolos ei machineris: noli ejus honori aut fortunis per mendacia inſidias tendere. Allegoria eſt ex eodem genere, cujus ibidem v. 3. illa: *Fili, non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum*. Si juſtitiam violes, tibi ſeris, tibi eidem & metis: ſeveriſſimas enim pœnas judex Deus a te exiget.

3. Arare vitula aliena. Samſon ad ſodales, quibus ænigma de leone ac favo propoſuerat, indignans inquit: *Si non araſſetis in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem meam*. Jud. XIV. 18. Niſi uxor mea me prodidiſſet, nunquam futurum erat, ut ænigma perſpiceretis.

Arreptitius. Jer. XXIX. 26. Homo inſanus, qui ſe pro vate divinitus miſſo gerit.

Artaba. Babyloniorum deo Bel præbebantur quotidie *ſimilæ artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ ſex*. Dan. XIV. 2. Veriſimilius eſt, àrtabam fuiſſe modiorum quinque, ſeu librarum 133. & paulo amplius. Amphora idem eſt, quod Hebræorum Batus, & Græcorum Metreta: quorum menſura definietur a me Voc. *Metreta*.

Asaramel. Elogium Simonis ſummi Pontificis promulgatum dicitur *in Aſaramel, in conventu magno ſacerdotum, & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis*. I. Mach. XIV. 27. ſq. Quid hoc loco ſit Aſaramel, multum inter ſe diſtantes exortæ ſunt conjecturæ. Quidam ſuſpicantur librariorum errorem, & *Jeruſalem* primo ſcriptum fuiſſe putant. Syriacus Interpres habet *Iſrael*. Serarius hoc *Aſaramel*, ſeu, ut in græco eſt, *Saramel* ex hebraico interpretatur Principem Populi Dei. Calmetus cenſet eſſe vallem Mello, monti Sion ſubjectam, de qua II. Reg. V. 9. quaſi ſit *Aſar-Mello*, ſeu *Haſer-Mello*, id eſt, pavimentum Mello; pavimentum ſcilicet pro valle accipiendo. Cornelius a Lapide inquit: *Forte* Asaramel *vocatus eſt locus ſynedrii, ſive aula magni concilii, in qua hoc decretum editum fuit*.

Ascendo. Deus *aſcendit ſuper Cherubim, & volavit: volavit ſuper pennas ventorum.* Pſ. XVII. 11. Eſt pars divinæ illius hypotypoſeos, qua regius poeta ultra omnem Pindari & Horatii ſublimitatem adventum Dei deſcribit, ad ferendum ſibi auxilium approperantis. Cherubinis, inquit, vectus, & omnibus ventorum alis velocior, currum ſuum huc egit, hoſtes aſpectu disjecit.

2. Aſcendere, de fluvio. *Lugebit omnis habitator ejus* (terræ ſcele(tæ): *& aſcendet quaſi fluvius univerſus, & ejicietur, & defluet quaſi rivus Ægypti.* Amos VIII. 8. Repetitur ab eodem Propheta IX. 5. *Univerſus* incola terræ Iſrael, totus populus, ab hoſtibus in unum agmen cogetur, ſimilis fluvio, qui ſolutis nivibus imbribuſque auctus, ad ſummam uſque ſui alvei oram aſcendit. Sic uno impetu captiva gens tota feretur in Aſſyriam: ſed in latiſſimis illis regionibus extenuabitur ut exiguus rivus, & abſorbebitur tanquam fluvius in mare illapſus. Simili ſenſu verbum *aſcendo* legitur in Jeremia. *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit: & veluti fluviorum intumeſcunt gurgites ejus?* Jerem. XLVI. 7. Ideo elatus ac tumidus inundationem minatur. *& dicet: Aſcendens operiam terram.* ibid. v. 8.

3. Aſcendit in cor. id eſt, venit in mentem. De Moyſe: *aſcendit in cor ejus, ut viſitaret fratres ſuos.* Act. VII. 23. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.* I. Cor. II. 9. Merces Deum amantibus præparata ſuperat, quæcunque videre, audire, cogitare magnifica poſſumus.

Ascensor. *Vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli.* Iſ. XXI. 7. *Aſcenſor aſini* eſt Cyrus, cameli Darius: quorum ille cum Perſis, hic cum Medis irrumpens, Babylonico imperio finem una nocte attulit. Hæc eſt *biga* illa, de qua ibid. v. 9.

Ascensus. Ad Deum: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Pſ. CIII. 3. Nubibus veheris. eſt enim hebraice, currum tuum. Particula *ſuper* in poetica hac imagine ſignificat, vel Deum ejusque currum inniti ventorum alis, vel eorum celeritatem volatu ſuo perniciſſimo ſuperare.

Ascopa. Ex græco *aſcopera* detruncatum. Judith X. 5. eſt uter vinarius. Emendatæ editiones habent *aſcoperam*.

Aser. Unus e duodecim patriarchis. *Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellavit eum, Aſer*. Gen. XXX. 13. *Aſchſcher* hebraice eſt beatum prædicare, & *aſchre* beatitudines. Quoniam Lia partu hoc altero Zelphæ ancillæ ſuæ beatam ſe & glorioſam ducebat, natum ex ea puerum *Aſcher* appellavit: quaſi noſtro more *Felix* diceretur. Nobis, mitigata pronunciatione, Aſer eſt; ut pro *Schelomo* Salomon, pro *Maſchiach* Meſſias, ceteraque ejuſdem generis.

Asina. Celeberrima de Chriſto vaticinatio: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*. Zach. IX. 9. *Satis*, id eſt, valde; more hebraico. Impleta hæc eſſe triumphali palmarum die, in Matthæo legimus: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis*. Matth. XXI. 4. ſq. Propheta pauperem, Evangeliſta manſuetum dicit, hebraicum *ani* ſeu *hani* utrumque ſignificat: & de Chriſto utrumque veriſſimum. Vides, mutatum a Chriſto jumentum eſſe: cum enim ambo ſcriptores Canonici aſinum & pullum jungant, inſediſſe utrique indicant. Allegorice, *ſubjugalis* eſt Synagoga mater; *pullus* eo uſque liber, omnis populus gentium: illa relicta, hunc Meſſias elegit, ejuſque poteſtati ſubjecta ſunt omnia. Viri quidam docti nodum in ſcirpo quæſiere, Vulgatæ objicientes, in Zacharia non aſinam; ſed aſinum eſſe, quandoquidem & hebraicum *chamor*, & LXX. Interpretum *onos* ſolius ſit generis maſculini. Quibus breviſſime reſpondebimus, tam hebraicum, quam græcum nomen generis eſſe communis: nam & *chamor* Hebræis ſexum etiam femininum ſignificat, ut II. Reg. XIX. 26. hebraice II. Sam. XIX. 27. & græcum *onos* pro feminino quoque uſurpari, non modo aliunde notiſſimum, ſed vel ex

hoc

hoc ipſo Matthæi loco, quem habemus in manibus, luculentum eſt, tam articulo, quam epitheto femininum genus prodente.

Asinus. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognovit.* Iſ. I. 3. Non de Chriſti præſepio agitur: neque enim ulla Meſſiæ fit mentio per totum illud Iſaiæ caput. Generatim tantum reprehenditur Iſrael, ſtupidior & ingratior ipſis pecoribus, quæ dominos agnoſcunt, & pro alimento obſequium exhibent. Senſu tamen accommodatitio, etiam a Patribus aliquot, ad Chriſti præſepe hæc traducuntur, cui bovem & aſinum aſtitiſſe, pia opinio eſt per manus tradita: at in ipſis Divinis Libris eorum animalium nullum uſpiam eſt reperire veſtigium: illud enim, quod ex initio Cantici Habacuc a quibuſdam recitatur, *In medio tuorum animalium cognoſceris*; neque ibi, neque alibi in toto Vulgatæ Canone reperitur. LXX. tantum Interpretes habent.

Asper. Liberatum ſe per Dei miſericordiam gratus David prædicat *a verbo aſpero*. Pſ. XC. 3. A morte per inſidias intentata, inquit D. Hieronymus. Alii: a peſte pravorum hominum; a fallaciis, ne contereretur. Nimirum a verbis hoſtium, aſpera & exitioſa minantium: de hoſtibus enim tam præcedentia, quam ſequentia in hoc Pſalmo loquuntur. Judicis autem Divini ſententia, *Ite maledicti*, equidem aſpera, ſed non hujus loci eſt.

Aspicio. *Congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: & aſpiciat in Sion oculus noſter*. Mich. IV. 11. Aſpiciat oculus noſter id, quod jam pridem cupimus. Sionis interitum. Modus loquendi ſimilis illi: *Euge, euge, viderunt oculi noſtri*. Pſ. XXXIV. 21. Tandem vidimus, quod tamdiu deſideramus, pernicie oppreſſum Davidem.

Aspiro. *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ*. Cant. II. 17. & IV. 6. Donec apropinquet, donec nos afflet dies, cum ad ortum ſolis grata nos aura refrigerat, & umbræ diffugiunt.

Assimilo. De Deo. *Locutus ſum ſuper prophetas, & ego viſionem multiplicavi, & in manu prophetarum aſſimila-*

milatus ſum. Oſ. XII.10. Miſi prophetas, qui ſermones meos, & viſa multa tibi annunciarent: horum miniſterio diverſas tibi ſimilitudines ac parabolas de me propoſui, cum de me loquerentur ſub imagine regis, paſtoris, amici, patris, leonis, urſi, pardi. Hæc explicatio utrique lectioni ſatisfacit, paſſivæ, *aſſimilatus ſum*, quam nos tuemur; & activæ, *aſſimilavi*, quam multi ex hebræo malunt.

2. De Cyro rege. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum, DEUS Iſrael. Propter ſervum meum Jacob, & Iſrael electum meum: & vocavi te nomine tuo: aſſimilavi te, & non cognoviſti me*. Iſ. XLV. 3. ſq. Pro noſtro *aſſimilavi te* hebraice clarius dicitur, *cognominavi te*. Amore populi mei electi, tibi o Cyre non modo nomen clarum inter reges terræ impertii, ſed etiam multis in rebus Chriſto (uncto a me Regi, Meſſiæ) ſimilem te eſſe volui, ejuſque adeo nomen, tametſi a cognitione mei alienus es, tibi impoſui. Factum hoc iis verbis: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo* (hebraice ſuo) *Cyro*. ibid. v.1.

Assumo. *Gloria magna eſt ſequi Dominum: longitudo enim dierum aſſumetur ab eo*. Eccli.XXIII.38. Timenti Dominum vita præſens diuturna, futura vero æterna obtinget.

2. Aſſumere terminum. *Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in tribubus Iſrael oſtendi fidem. Facti ſunt principes Juda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam*. Oſ. V. 9. ſq. Punito Ephraim, ſeu regno Iſraelis, & captivitati tradito, oſtendi me veracem, & fidem implevi eorum, quæ per prophetas meos toties prænunciaram. Principes autem Juda, qui par ſupplicium ſeria pœnitentia avertere ſe debebant, captorum fratrum ſuorum terminos invadere auſi ſunt, & vendicatis ſibi illorum terris, fines ſuos proferre. Quæ iniquitas, Divinis legibus vetita Deut. XIX. 14. & XXVII. 17. effecit, ut etiam regno Judæ ira DEI tanquam gravis imber aut inundans flumen ingrueret.

3. Aſſumat ebria ſitientem, rectius, abſumat. Deut. XXIX. 19. Vide *Abſumo*.

Assumptio. De Chriſto. *Dum complerentur dies aſ-*

ſum-

ſumptionis ejus. Luc. IX. 51. Appropinquante mortis tempore & iis diebus, quibus cælum repetiit pretioſiſſimum hoc depoſitum, terræ per tot annos concreditum. *Dum complerentur*, intellige, cum impleri inciperent: nam poſt hæc Dominus aliquot menſibus ſuperfuit.

2. De falſis prophetis. *Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones*. Thren. II. 14. Finxerunt viſa fallacia, teque deceperunt promiſſis mendacibus, Chaldæum hoſtem ejectum iri & propulſatum; cum tamen tuorum, o infelix, ejectio immineret, quam ipſa nunc vides & luges.

Assur. *Uſque ad te veniet de Aſſur*. Mich. VII. 12. Redux e captivitate populus tuus, o regnum Juda, uſque ad te perveniet, non tantum a Babylone, ſed inde ab Aſſyriæ finibus, quo erat diſperſus: adeo nullæ ejus reliquiæ in captivitate remanebunt. Cave credas, ſermonem hic eſſe de captivis in ipſa Aſſyria Hebræis, ſive de decem tribubus: illas enim DEUS nunquam reduxit. Totum contextum illuſtrabo Voc. *Lex*.

Astaroth. Fœdus eorum error eſt, qui Aſtaroth maſculino genere deum appellant. Aſtaroth hebraice, Aſtarte græce; illud plurali, hoc ſingulari numero; ſed utrumque generis eſt feminini. Latinorum Juno a vicinis Judææ populis Aſtarte ſeu Aſtaroth vocabatur: quod nominatim de lingua Punica, Hebraicæ filia, D. Auguſtinus affirmat q. 16 in I. Judic. Cur autem plurali numero deam hanc nominare viſum ſit, eodem loco idem ediſſerit: *Ad ſimulacrorum enim multitudinem referre voluit intellectum, quoniam unumquodque Junonis ſimulacrum Juno vocabatur. Ac per hoc tot Junones, quot ſunt ſimulacra, intelligi voluit*. Quemadmodum Juno Lacinia, Gabina, Argolica, Punica, Moneta, idem numen in ſimulacris pluribus fuit.

Astutia, Astutus. Sæpe in Divinis Scripturis in bonam partem accipiuntur, non pro callida malitia fallaciaque, ſed pro ſapientia & prudentia. Sic Eccli. I. 6. de ipſa Sapientia dicitur: *aſtutias illius quis agnovit?* Et Prov. XXVII. 12: *Aſtutus videns malum, abſconditus eſt: parvuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia*. Vir cau-

tus, ubi mali periculum prævidet, mature ſe recipit: improvidi, & puerorum inſtar incauti, viæ cuilibet inſiſtunt, atque ita in cladem incidunt.

Attacus. Genus locuſtæ.

Attondeo. De Sennacheribo rege, ejuſque exercitu intra unam noctem graviſſime atterendo. *Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures, ſic quoque attondentur* (pro *attondebuntur*) *& pertranſibit*. Nah. I. 12. Etiamſi Aſſyrii ſint viri fortiſſimi (ita vocabulum *perfecti* D. Hieronymus interpretatur) auctique præterea numero fuerint, contractis undique copiis: nihilominus tam facile, tam cito, tam conferti decident, quam e vertice tonſo capilli. Ipſe autem Sennacherib fugiet, paulo poſt etiam periturus.

Audio. *In inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*. Pſ. XCI. 12. *In* pro *de*: eam enim particulam verbis ſenſuum addere Hebræi amant. De malignis contra me inſurgentibus, audiam, ſerius, ocyus, Deum in eos animadvertiſſe. Apoſiopeſis non abſimilis illi, de qua Voc. *Aſpicio* dictum eſt.

2. Audiri, de ſideribus. *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum* (pro *quibus*) *non audiantur voces eorum*. Pſ. XVIII. 4. Nullæ ſunt nationes, quantumvis longinquæ aut barbaræ, quibus eorum voces non audiantur. Tacitus ille ſiderum clamor, Conditorem ſuum perpetuo prædicantium, ubicunque gentium auditur, & intelligitur.

Auditio. Canticum ſuum Habacuc ita orditur: *Domine audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*. Hab. III. 2. Extimuiſſe ſe dicit, audito Divino oraculo, de captivitate nimirum, tum & liberatione ſuæ gentis. Allegorice, de generis humani ſub peccato ac jugo dæmonis captivitate, ejuſque per Meſſiam liberatione. Hanc ut Deus perficiat, mox precatur: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*. Hebraiſmus eſt pronominis pleonaſtici, quo nihil in ea lingua frequentius. Noſtro more dicendum fuerat: *Domine in medio annorum vivifica opus tuum*, nam pronomen *illud* redundat. Domine, ſuo tempore, tempore per te definito, per-

age magnum hoc opus, opus vere tuum, quippe cui tuæ unius vires ſufficiunt.

2. Auditio cœtus. *Cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos ſecundum auditionem cœtus eorum.* Oſ. VII. 12. Vetante Deo, fugam ad Ægyptios parabant Judæi, ac velut aves, quæ appetente hyeme alio commigrant, mitius cælum quærebant. Sed totum hunc fugitivum gregem uno reti conſtricturum ſe Deus minatur, & immiſſis in Ægyptum uſque Chaldæis aucupibus jugulaturum quod, inquit, in ſuis cœtibus audierunt, cum a prophetis, atque inter hos ab Oſea, prædiceretur.

3. Auditio in anno, & poſt annum. *Ne forte molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio, & poſt hunc annum auditio; & iniquitas in terra, & dominator ſuper dominatorem.* Jer. LI. 46. Nolite concidere animis, aut expaveſcere rumores, quos audietis anno primo Balthaſaris de apparatu belli contra Babylonem, & anno altero de re protinus perficienda. Ingruet enimvero tum regioni Chaldæorum iniquitatis ſuæ pœna, & ejus regem alius potentior opprimet, Balthaſarem Cyrus.

Auditus. Pro rumore. *Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum.* Ez. VII. 26. Conturbabunt nos alii ex aliis terrores, alii identidem nuncii audientur de hoſte & clade imminente.

2. Pro verbo Divino, ſive ſermone Dei ad hominem. *Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu: quia venit.* Ez. XXI. 7. Ideo gemo, quia id accidere video, quod ex Deo audivi. *Hæc dicit Dominus DEUS ad Edom: Auditum audivimus a Domino* Abd. v. 1. Sermonem Dei audivimus, ego & alii prophetæ: hæc decrnit contra Idumæos, poſteros Edom ſive Eſau, quorum ſingulare fuit odium & crudelitas in populum Dei. Atque in hoc tota verſatur Prophetia Abdiæ, ut Idumæis Dei nomine ſupplicium prædicat.

3. Pro ſermone prophetæ, ſeu hominis Dei nomine loquentis. *Non omnes obediunt Evangelio. Iſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro.* Rom. X. 16. ex

16. ex Iſ. LIII. 1. *Cum autem tanta ſigna feciſſet* (Jesus *coram eis*, *non credebant in eum : ut ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur*, *quem dixit*: *Domine*, *quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?* Joann. XII. 37. ſq. Quis, inquit prophetæ ſui verbis Chriſtus, vel ſermonibus meis credidit, vel prodigiis, quæ per meum brachium Pater omnipotens coram eis patravit?

Averto. Miſericordi, & benefico in egentes, inter alia virtutis ſuæ præmia hoc etiam ſpondetur: *vocaberis ædificator ſepium*, *avertens ſemitas in quietem*. Iſ. LVIII. 12. Laudaberis, quod per tuam operam protegantur aliorum bona, tutæque ſint viæ publicæ, & prædia juxta vias ſita.

Aufero. In vaſtatione Hieroſolymæ per Romanos, *egredietur media pars civitatis in captivitatem*, *& reliquum populi non auferetur ex urbe*. Zach. XIV. 2. Pars incolarum altera abſtrahetur, altera relinquetur occiſa & inhumata. Cives tui omnes aut ſervient, aut cædentur. Capta ab Romanis urbe, mancipiorum numerata ſunt 97000.

Avis. Noli potentibus ac opulentis viris maledicere, quantumvis ſecreto: *quia & aves cæli portabunt vocem tuam*, *& qui habet pennas*, *annunciabit ſententiam*. Eccle. X. 20. Affine illis Græcorum proverbiis, Ibyci grues, & Beſſi hirundines. Beſſi enim parricidium hirundines, & necem a latronibus illatam Ibyco grues prodidere: ut Plutarchus l. de Sera Dei Vindicta narrat. Qua minime expectes ratione, etiam occultiſſima emanare ſolent, cum auctoris non raro pernicie.

2. Avis ab Oriente, Cyrus. *Vocans ab Oriente avem*. Iſ. XLVI. 11. Deus ex Perſide vocavit Cyrum, bellatorem celerrimum, in cujus militaribus ſignis aquila viſebatur. Cyri antitypus fuit Chriſtus victor, & electi populi liberator.

3. Avis avolans, Ephraim. *Ephraim quaſi avis avolavit*, *gloria eorum a partu*, *& ab utero*, *& a conceptu. Quod & ſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in hominibus : ſed & væ eis*, *cum receſſero ab eis*. Oſ. IX. 11. ſq. Ephraim, ſive regnum Iſrael, nulla re magis contra Judam, quam fertilitate ſua, & armatorum copiis

E glo-

gloriabatur, quippe regnum decem tribuum contra duas. Sed hæc gloria, dicit Dominus, inſtar avolantis volucris evaneſcet: nam eorum liberos vel ſtatim a partu interimam, vel ante ipſum partum abortu tollam, vel omnino concipi ac formari non ſinam. Siqui adoleſcere incipiant, ante pubertatem a me delebuntur. Væ ipſis quoque parentibus, *cum receſſero ab eis*. Poſtrema hæc verba Hebraizantes quidam contendunt in Hebraicis Bibliis eſſe corrupta, & a propheta ſcriptum ita fuiſſe: *Caro mea ex eis*. Sed boni hi viri non ſentiunt, ſe, dum Hebræos perfidiæ & corruptelæ arguunt, eos per noſtrum latus petere, & Vulgatæ gravem plagam infligere, quæ prophetæ tribuit, quod ille non ſcripſerit. Præclare illos refutat doctiſſimus Franciſcus Ribera in Commentariis majoribus in XII. Prophetas minores, ad Oſ. C. IX. n. 18. 25. Eruditiſſimus locus, ac digniſſimus, qui legatur; longior tamen, quam ut huc transferri poſſit.

4. Avis diſcolor. *Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? nunquid avis tincta per totum? venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad devorandum*. Jer. XII. 9. Difficilis & obſcurus locus: ſed præciſis ambagibus viam ipſam ingrediamur. Hæreditas Dei eſt Hebraicus populus, quem ſimilem facit avi peregrinæ; ſive diſcolori, id eſt, alios aliis membris colores habenti; ſive per totum corpus quibuſdam maculis ſparſæ; & propter hanc peregrinitatem avibus animantibusque aliis exoſæ. In quo reprehendit ſimulacra varia, quorum ſuperſtitionem Hebræi receperant. Quo autem modo beſtiæ avem aſſequuntur ac devorant? An cum acutiſſimo Joanne Mariana credemus, hebraicum *chaja*, quod ab radice *vixit* oritur, non ſolas beſtias ſignificare, ſed etiam volucres? ſic enim peregrina hæc avis objiceretur feris avibus inſectanda & laceranda. An potius intelligemus, avem diſcolorem ſeu maculoſam ex aere a Deo dejectam, vel fortuito humi deprehenſam, invadi a beſtiis, ac diſcerpi? Si primum eligimus, qua ratione dictæ ſunt *beſtiæ terræ?* apud Hebræos præſertim, qui *volucres cæli* appellare conſueverunt. Si amplectimur alterum, expeditam

vide-

videmur habituri viam. Invitantur nationes barbaræ, ut in Hebræos impetum faciant, & regnum diſcerpant.

Auricula. De Banaia. *Poſuit autem eum David ad auriculam ſuam.* I.Par. XI. 25. A ſecretis eum ſibi eſſe juſſit, conſiliarium intimum elegit.

2. *Auriculam revelare.* David ad Deum: *revelaſti auriculam ſervi tui, ut ædificares ei domum.* I. Par. XVII. 25. Secreto indicaſti mihi, poſteritatem meam fore ſempiternam.

Auriga. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Sic Eliam in curru igneo evolantem Eliſæus appellat. IV. Reg.II. 12. & ipſum Eliſæum morti jam proximum Joas rex Iſraelis. IV. Reg.XIII. 14. Egregie Onkelos in Targum ſuo Chaldaico ad utrumque locum: Qui tuis ad Deum precibus plus utilitatis Iſraeli affers, quam currus & equites.

Auris. *Deprecatio pauperis ex ore uſque ad aures ejus perveniet.* Eccl. XXI. 6. *Ejus*, intellige Dei, tametſi nulla præceſſit illius mentio. *Is* ergo dicitur hoc loco, ſicut ipſe de ſe dixit. *Qui ſum.* Ex. III. 14. quippe qui antonomaſtice eſt, imo qui ſolus vere ac proprie eſt.

2. Aures pro corpore. David ex perſona Meſſiæ ſic Divinum Patrem alloquitur: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: DEUS meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Pſ.XXXIX. 7. ſqq. Pars pro toto, aures pro corpore: demonſtrat hoc Pauli auctoritas, Davidis verba ſic referentis, dum de Chriſto loquitur: *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, DEUS, voluntatem tuam.* Hebr. X. 5. ſqq. Voluerat quidem Deus Pater ſacrificia legis, imo ipſe inſtituerat, multaque imperaverat: ſed unum erat ſacrificium, per quod pro peccatis digne ſatisfieri poterat, & præ quo cetera omnia non placuiſſe dicenda ſunt. Ad hoc excellentiſſimum ſacrificium, in cruce peragendum, vo-

cabatur Chriſtus, ore omnium prophetarum & oraculis totius legis. Atque ille reſpondit promtiſſimus: Ecce venio, paternam voluntatem ſacrificio hujus mei corporis impleturus. Nominatæ ſunt a Davide aures, veluti ſignum & imago quædam obedientiæ: cujus virtutis etiam nomen apud Latinos ab audiendo ductum eſt. Si literalem ſenſum petis, ſoli Davidis perſonæ inhærentem, hunc habeto: Obedientia tibi, Deus, præ victimis omnibus placet: hoc legis præcipuum caput eſt, ut voluntas mea cum tua conſentiat: idque toto animi conatu agam.

Aurugo. Conſternationis ac doloris in populo ſuo magnitudinem Jeremias per hoc declarat, quod videre eſſet *omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis, & converſæ ſunt univerſæ facies in auruginem.* Jer. XXX. 6. Præ vehementi doloris ſenſu lumbos manu ſtringunt, & colorem ex pallido flavum præferunt.

Aurum. *Ab Aquilone aurum venit.* Job XXXVII. 22. Simpliciter quidem ſi ſpectes, ſic quoque verum eſt: cum auri fodinæ non paucæ in plagis ſeptentrionem ſpectantibus reperiantur. Sed longe aliud ſublimiſſimo vati quæſitum eſt, quod LXX. his verbis expoſuerunt: *a Borea nubes ut aurum fulgentes*, ſerenato videlicet aere per illius venti flabra. Profecto cum præcedentibus hoc multo aptius, quam aurum e fodinis cohæret.

Ausitis. Mentio fit *terræ Auſitidis*. Jer. XXV. 20. Eſt regio Hus, olim Jobo habitata.

Auster. Antequam coturnices Deus in Hebræorum caſtra immitteret, *tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum.* Pſ. LXXVII. 26. Quidam hoc loco rati ſunt, ut alibi paſſim, hemiſtichium verſiculi poſterius a priore nihil differre, ſed meram ejus eſſe repetitionem: quaſi Auſter & Africus idem ſint ventus, & verbum *tranſtulit* ſignificet adduxit, attulit, invexit. Contrarium aperte docent LXX. dum vertunt: abſtulit Notum e cælo. Nimirum Deus flantem tunc Eurum ſeu Auſtrum Orientalem ex aere pepulit, ſuaque potentia illius loco induxit Africum, advehendis conturnicibus opportunum.

2. Ab Auſtro Deus. De lege Iſaelitis data; iiſdem-

demque per deſerta loca, ad Auſtrum ſita, ſenſim in Palæſtinam eductis: *DEUS ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* Hab. III. 3. *Veniet*, pro *venit* Hebraiſmus poeſi familiaris, præteritum & futurum promiſcue adhibenti. Ex Auſtrali plaga, a monte Pharan, ejuſque vicinitate, DEUS in Arca ſua ſancta habitans in terram promiſſam aſcendit. De monte Pharan, & hujus loci conſenſu cum Deut. XXXIII. 2. diſtincte agendi locus erit in Voc. *Pharan*, ubi allegoricum quoque ſenſum dabo.

AUSTRALIS. In lætiſſimo vaticinio de populis omnibus in Chriſti religione congregandis ait antiquæ legis evangeliſta Iſaias: *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra Auſtrali.* Iſ. XLIX. 12. Poſtremum hebraice eſt *a terra Sinim.* Quod intelligentiſſimus linguæ ſacræ, Divinique Codicis univerſi, Cornelius a Lapide, poſt Ofiorium, & Ariam Montanum, de ampliſſimo regno Sinarum intelligit, quibus & Japones vicinos annumerat. Argumenta fuſe & erudite ſtabilit, ad l. d. Certe, qui Joſiæ nomen per prophetam ſuum tanto ante prædixit, Sinarum quoque prædicere potuit. Id an fecerit per hoc nomen *Sinim*, per quod alibi (Gen. X. 17. & I. Par. I. 15.) Sinæi poſteri Chanaan ſignificantur, e Cornelii rationibus Lector ſtatuet, quem tamen opinionis tam mirabilis notitia fraudandum non putavimus.

AUTEM. Pro inquam. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a DEO tentatur: DEUS enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Jac. I. 13. *Intentator*, non ab intentando; ſed quaſi *non tentator*: voluit enim Interpres vim græci *apiraſtos* uno & ipſe vocabulo aſſequi. DEUS neminem ad malum illicit: ipſe, inquam, neminem tentat. In eundem ſenſum uſurpatur hæc particula *autem*. II. Cor. V. 8. & X. 2.

AZYMUS. Abſque fermento. Græcum. Proprie de panibus dicitur, quos paſchali tempore fermentatos comedere, nefas erat Hebræis, & capitale. Ex. XII. 15. Inde nomen adepti ſunt ſeptem illi dies paſchalis hebdomadis, maxime primus. *Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha.* Luc. XXII.

 1. *Pri-*

1. *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant.* Marc. XIV. 12. Traduxit ad nos hoc vocabulum Paulus. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.* I. Cor. V. 7. ut videlicet *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* ibid. v. 8.

B

BAAL. Profanorum veterum Belus; Græcis deinde ac Romanis Jupiter aut Saturnus. Quod plurali numero Baalim dicitur, non plures deos, ſed plures locos ſeu plura ſimulacra indicat, in quibus idem deus colebatur: quemadmodum ſuo loco de Aſtarta ſive Aſtaroth dea ex Auguſtini q. 26. in l. Judic. obſervatum eſt. Ita Jupiter Tarpejus, Eleus, Hercæus, Feretrius, Stator.

BAALI. DEUS de Synagoga, jam reſipiſcente, ſibique denuo fideli, ait: *Vocabit me, Vir meus: & non vocabit me ultra, Baali.* Oſ. II. 16. Hebraice & ſyriace Baali idem eſt ac Vir meus. Noluit tamen DEUS hoc nomine a Synagoga ſe appellari, odio falſorum numinum ſeu imaginum Baalim, ne vel nomine tenus aliquid cum iis commune haberet. Fere ut nunc inepte ac indecore ageret, qui DEUM verum nuncuparet *Jovem:* nam etſi is maxime & unice ſit *Juvans Pater*, ex quibus verbis contractum eſt *Jupiter:* profanato tamen hoc vocabulo cum ſuprema Veritate ac Majeſtate non convenit.

BABEL. Confuſio ſeu veniens confuſio: ab radice hebraica *balal*, confudit, permiſcuit. *Idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ.* Gen. XI. 9. Hebraice: quia ibi confudit (*balal*) JEHOVA labium omnis terræ.

BABYLON. Non pro ſola urbe, vel imperio, cujus urbs illa caput erat: ſed aliquando pro tota impiorum univerſitate. Erudite Laurentius Villavicentinus, in Phraſ. S. Script. ait, Babylonis nomen *colluviem hominum perditiſſimorum allegoria Scripturæ indicare, & omnino qualem Philippus ille Macedo inſtituit Pone-*

ropo-

ropolim, in quam perfidos omnes, perjuros, & quidquid eſt fæcis hujusmodi, relegavit. Eſt enim *Poneropolis* græce pravorum civitas.

Baculus. Generatim omne ſuſtentaculum. *Baculum ſenectutis noſtræ*, ingemiſcit de abſente Tobia filio Anna mater, Tob. V. 23. & X. 4. Qui ſolus ætate hac ſenili ſublevare nos poteſt. Elegantiſſima eſt metaphora!. Lev.XXVI.26. *Poſtquam confregero baculum panis veſtri --- comedetis, & non ſaturabimini*. Sic & Ez. IV. 16. *Conteram baculum panis in Jeruſalem*. Rurſum Ez. V. 16. *Conteram in vobis baculum panis*. Inopiam frugum in vos immittam, ut non ſuppetat, quo ſatiemini. Baculus enim panis eſt frumenti culmus. Pſ. CIV. 16, ubi nos habemus, *Omne firmamentum panis contrivit;* hebraice eſt, *omnem baculum panis*.

2. Baculus annuncians. *Populus meus in ligno ſuo interrogavit, & baculus ejus annunciavit ei*. Oſ. IV. 12. Simulacra ſua lignea conſuluerunt, eorumque invocato nomine virgas jactarunt, e quibus divinationem captarent. De hoc ſuperſtitionis genere Ludovicus Cælius Rhodiginus, Antiquarum Lectionum l. 7. c. 49. Hanc rhabdomantiam profani dixere, cognatam toxomantiæ, ſeu ariolationi e ſagittis, cujus exemplum occurrit. Ez. XXI.21.

Bahes. Rex Demetrius Simoni pontifici maximo, & genti Judæorum, ita reſpondet: *Coronam auream, & bahem, quam miſiſtis, ſuſcepimus*. I. Mach. XIII.37. Erat palmæ ramus; (& quidem hic Demetrio miſſus, ex auro) ut ibid. v. 51. ipſa Vulgata explicat, cum in græco ſit rurſum bahes.

Baptisma. Græcum: nobis lavatio, balneum. Inter Hebræorum ritus *baptiſmata calicum, & urceorum & æramentorum, & lectorum* Marc. VII. 4. numerantur. Poſt Chriſti mortem caſſæ a Paulo declarantur ceremoniæ legis antiquæ, abrogatis his *baptiſmatibus, & juſtitiis carnis*. Hebr. IX. 10. Accipitur etiam pro cruento illo ſacrificio, quo crimina totius orbis terrarum Servator moriens abluit. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſquedum perficiatur?* Luc. XII. 50.

Baptizo. Lavatione purgabantur, qui apud He-

bræos legalem immunditiam contraxerant: inter quos numerabantur ab lege, qui mortuum attrectaſſent. Verum, inquit per ingenioſam allegoriam Siracides, *qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Eccli. XXXIV. 30. Q. d. quid prodeſt expiare commiſſa, moxque iterum expianda committere?

2. Baptizari a foro. Phariſæi, *a foro niſi baptizentur, non comedunt*, Marc. VII. 4. Capere cibum non audebant ante, quam ſe abluiſſent a foro reduces, quippe ubi ſive ex alienigenarum conſortione, ſive e contactu rerum venalium, in immunditiam legalem incidere proclive eſſet. Ea religione inepte ductus Phariſæus, mirabatur, *quare non baptizatus eſſet ante prandium* Chriſtus. Luc. XI. 38.

Barba. Mirifice delectabantur veteres unguentorum uſu: quapropter ſi rem ſuaviſſimam dicere volebant, pretioſum unguentum dicebant. Concordiam fratrum laudaturus propheta regius, tam bonam eam eſſe ait, tamque jucundam, quam odoratum unguentum, idque minime parcum, ſed *ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*, Pſ. CXXXII. 2. quod liberali manu profuſum, dimanat in caput, ipſaque adeo barba ex omni parte irrigata, ad ſummæ veſtis oram pervenit, ſuavitate ſua omnes hominis ſpiritus recreans & reficiens. Male ſcribunt, qui *barbam, barbam Aaron* virgula interpoſita diſtinguunt, quaſi ſenſus ſit: *quod deſcendit in barbam*, & nominatim quidem in *barbam Aaron*. Ignoratione Hebraiſmi id factum, quo, cum rei copiam, magnitudinem, abundantiam declarare volunt, ejus nomen continenter geminant, aliquando & tertio repetunt, ut in Præfatione admonui. Sic inter decem Ægypti plagas, ubi de ranarum cadaveribus noſter inquit, *congregaveruntque eas in immenſos aggeres*. Ex. VIII. 14. hebraice eſt, *acervos acervos*. Apud nos Hebræi, tranſitum petentes, promittunt: *publica gradiemur via*. Deut. II. 27. Sed ipſe Moyſes dixit, & ſcripſit; *via via*, id eſt, lata, regia, militari. *Juſte quod juſtum eſt perſequeris*, Deut. XVI. 20. hebraice Moyſes præcipit: *juſtitiam juſtitiam*

ſtitiam ſectaberis, meram, puram putam juſtitiam, omni alio reſpectu vacuam. Eodem igitur modo *barbam barbam* eſt, undique per totam barbam, quam premiſſa eſt,

Barjona. *Simon Barjona* (tribus ſyllabis, non quatuor. *Bariona*) Matth. XVI. 17. Nomen Apoſtolorum principis, antequam a Domino Cephas ſeu Petrus appellaretur. *Bar Jona* eſt Filius Jona. Verum id *Jona* contractum fuiſſe oportet, ut ſit in populo, ex *Johanna*; nam Joann. XXI 15. ſqq. Petrum omnino ter ita Chriſtus alloquitur: *Simon Joannis*. Emendanda ſunt igitur ab erudito lectore Onomaſtica, Vulgatæ ad finem attexi ſolita, in quibus *Barjona* explicatur *Filius Columbæ*. Nam etſi *Jona*, cum purum eſt integrumque vocabulum, Hebræis columbam ſignificat: Petri tamen parens, non verus Jona, ut vidimus, ſed Jochanan ſeu Johanna, non a columba, ſed a gratia nuncupatus eſt. Neque verendum eſt, ne detrahatur aliquid Petro Eccleſiæ Capiti, ſi *Columbam* amittat, Spiritus Sancti imaginem: non minus enim vel glorioſus ipſe, vel certa & verax Eccleſia erit, aſſiſtente illis Divini Spiritus *gratia*, Joannis nomine ſignificata.

Basan. Quia Baſan regio erat opima, ideo, quidquid erat pingue ac lætum in paſcuis, a Baſan Hebræi cognominabant. Tales ſunt *quercus Baſan*, cum alibi, tum Iſ. II. 13. ubi cedris Libani junguntur. allegorice ibi cedri ſunt viri principes, firmæ & proceræ quercus, homines militares, & opulenti.

2. Ex Baſan convertens. *Dixit Dominus: Ex Baſan convertam, convertam in profundum maris: ut intingatur pes tuus in ſanguine; lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo* Pſ. LXVII. 23. ſq. Intelligitur victoria, quam Iſraelitæ poſt maris rubri tranſitum de gigante Og, rege Baſan, in Edrai reportarunt, ipſo rege cum filiis ac univerſo populo *ad internecionem* (Num. XXI. 35) deleto. *Convertam* hoc loco idem eſt, ac *educam*, atque ita legitur hebraice. *In profundum maris* autem non motum in locum, ſed ex loco ſignificat: quod clarius oſtendit fons hebraicus, in quo eſt: *ex profundo maris*, unde & magnus Hieronymus vertit: *de profundis maris*. Itaque totius loci ſententia hæc emergit:

git: Dixit populo ſuo Dominus: Ut ex profundo maris rubri; ita ex Baſan te educam: tantumque ſanguinis hoſtilis effundam, ut *ab ipſo*, ubicunque veſtigium poſueris, tingatur pes tuus, & canes eum lingere ad ſatietatem poſſint.

Batus. Tres modios continebat, ut Ephi, eo ſolo diſcrimine, quod Ephi menſura aridorum erat, Batus liquidorum. Hoc tamen *de Bato communi* tantum dictum vult Jacobus Tirinus, de Menſuris ſeu Vaſis, §. ultimo: nam Batum ſacrum, non ſine ratione, multo majorem fuiſſe ſuſpicatur.

Behemoth. Job XL. 10. ſqq. Nomen hoc hebraicum *animalia* ſignificat, tantæ nimirum eſt molis hæc animans, ut multarum inſtar una ſit. Allegorice draconem ſtygium interpretantur omnes. Senſu proprio, quidam hippopotamum exiſtimant, magna probabilitate; Sancius (*Sanchez*) taurum, ſatis commode; alii rhinocerotem; Hebræi & noſtri paſſim elephantem. Inter potentiæ ſuæ argumenta Deus Jobo proponit maxima duo terra marique animalia, Behemoth elephantem, & poſt illum (Job XL. 2. ſqq. & per totum XLI.) Leviathan balænam. Præteritis facilioribus, cetera ediſſeram. Cum tantus ſit elephas, eum tamen *feci tecum*, LXX. *apud te*, domeſticum & cicur animal: quod non ut aliæ belluæ cruento victu paſcitur, ſed *fænum quaſi bos comedet*, herbis ac terræ frugibus contentum. Singularis *fortitudo ejus in lumbis*, & *umbilico*: cinctu enim arctiſſimo tantum abeſt ut lædatur, ut etiam expeditus & alacer cum turri & armatis impoſitis ſe prælio inferat. *Ipſe eſt principium viarum DEI*, inter mutas animantes præcipuum Divinorum operum: de quo admiranda plurima plurimi hiſtorici prodidere. inter ea merito numeres *gladium ejus*, ſtupendam proboſcidem, qua contra hoſtem incitatus tam dextere utitur, quam enſe optimo peritiſſimus quiſque militum. Suo tamen ingenio relictus, nec hominem, nec pecus lædit: conſciæ lenitatis hujus, & ſecuræ, *omnes beſtiæ agri ludent ibi*, unde, conſpectis feris aliis, contentiſſime fugerent. Satur *in ſecreto calami*, & *in locis humentibus*, in ſolo roſcido &

arundinoſo quieſcit. Potus tanto corpori multus; ſed admodum lentus, ac proinde perdiu protractus, diceres, exhauſturum amnes: *ecce abſorbebit fluvium*. Tam robuſtam, tam ſolertem belluam Deus ceu prædam objicit imbecilli & agreſti homini, qui elephantem, *in oculis ejus*, videntem ac ſentientem capit, *quaſi hamo* leviſſimum piſciculum in ripam educeret. Noſtra etiam ætate exibit Hottentottus rudis, & elephanti longe impar ingenio; atque acuto palo in fovea depacto, ejus ſive pectus aut jugulum, ſive proboſcidem terebrabit: *in ſudibus perforabit nares ejus*. Summa id accuratione enarrat Petrus Kolbius in amœniſſimo volum. de rebus Hottentotticis, Epitom. Germ. P. I. c. 23. Jobi verba non tantum de inſidiis, ſed etiam vi aperta intelligere licet, qua elephantum aggreſſus venator proboſcidi ſudem infigat.

Belial. De conſceleratis hominibus dicitur, idemque in Hebræorum lingua ſignificat, quod in Oſea Caſca ſeu vetere *injux*, id eſt, *abſque jugo*. Appoſuit id in parentheſi noſter Interpres Judic. XIX. 22. *Viri civitatis illius*; *filii Belial* (*id eſt*, *abſque jugo*.) Impios contra Nabothum teſtes hiſtoria ſacra *filios Belial* appellat III. Reg. XXI. 10. & protinus v. 13. addit: *adductis duobus viris filiis diaboli; & viri diabolici*. cum in hebraico (I. Melachim XXI. 10. & 13.) ubique eadem phraſi dicantur *filii Belial*. Reperitur & abſolute poſitum. *Non adjiciet ultra*, *ut pertranſeat in te Belial*: *univerſus interiit*. Poſt tantam ſtragem, nocturnam ab Angelo, nullus jam te invadet Aſſyrius: periit ille exercitus: legis veræ ignarus, & omnis jugi impatiens *Torrentes Belial*. II. Reg. XXII. 5. in Pſalterio, ubi idem Davidis carmen repetitur, explicantur latine *torrentes iniquitatis*. Pſ. XVII. 5. Sic poetice appellat vates regius inſidias a ſceleſtis ſceleſtioris regis, ingrati & perfidi Saul, ſatellitibus ſibi comparatas.

Bellum. *Deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis: & eos, qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum*. Mich. II. 8. Avari & rapaces ne ipſas quidem veſtes fratribus reliquiſtis; & homines innoxios, abſque ullo nocendi conſilio

filio tranſeuntes, veluti captos bello hoſtes diripuiſtis: quaſi bello confractos, ait Chaldæus.

2. Pro periculoſo certamine. De Leviathan, ſeu balæna, Dei ad Jobum verba ſunt: *Pone ſuper eum maum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui*. Job. XL. 27. Aude belluam hanc adoriri, manum injice: ſed memento, quo tuo periculo in certamen ſis deſcenſurus: cui cum imparem te videas, gloriari ceſſa, & ſile.

Benedico. *Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus eſt*, poetice prorſus, & perornate, Job. XXXI. 20. Benedixerunt mihi pauperes, quorum latera texi, & gregis mei velleribus contra frigus munii, id *ſi non* feci, *ſi non* miſertus ſum, nec in me ſuam nunc miſericordiam Omnipotens vertat.

2. Pro benefacere. *Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur*. Prov. XI. 25. Homo beneficus beneficiis cumulabitur, & qui ubertim alios caritatis ſuæ indiciis implet, viciſſim & ipſe paria ubertim recipiet.

3. Pro maledicere, per antiphraſim. Accuſatores falſi de innocentiſſimo viro teſtantur: *Benedixit Naboth DEUM & regem, quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt*. III. Reg. XXI. 13. Satan, & Jobi uxor, eodem ſtylo; ille ad Deum de Jobo: *niſi in faciem benedixerit tibi*. Job. I. 11. *videbis. quod in faciem benedicat tibi*. Job. II. 5. hæc ad ſanctum conjugem: *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic DEO, & morere*. Job II. 9. id eſt, maledicet tibi: nondumne maledicis, jam jamque moriens?

Benedictio. *Dulces ſermones & benedictiones*. Rom. XVI. 18. blanda adulantium fallacia, qui quos beatos dicunt, decipiunt.

2. Pro dono, munere, ſtipe. Quam nos eleemoſynam dicimus, Apoſtolus II. Cor. IX. 5. *benedictionem* appellat, ſeu, ut eſt in græco, *eulogiam*, unde eulogiarum in Eccleſia nomen, quod diu viguit. Jacob ad Eſau fratrem, cum totos greges ei donaret, ita rogabat: *ſuſcipe benedictionem, quam attuli tibi*. Gen. XXXIII. 11. Naaman ſanatus, & munera Eliſæo offerens,

ferens, *Obſecro itaque*, inquit, *ut accipias benedictionem a ſervo tuo*. IV. Reg. V. 12.

3. Benedictionem facere. Rabſaces, ſui regis Sennacherib nomine, Jeroſolymitas ad deditionem impellens: *Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me*. Iſ. XXXVI. 16. Non eſt hoc, rogantis obſequium, favorem, gratiam, ac veluti beneficium: nec enim unquam ſic loqui dignaretur ſive rex arrogans, jam pæne totius Judææ victor; ſive Rabſaces, homo ſuperbiſſimus, &, ut priora ejus verba demonſtrant, inurbaniſſimus. Sed, ut LXX. loquuntur: *Si vultis benedici* (felices eſſe) *egredimini ad me*. Noſter quoque interpres IV. Reg. XVIII 31. ubi res eadem narratur, eademque ſunt in hebraico verba, ſic habet: *Facite mecum, quod vobis eſt utile, & egredimini ad me*.

4. Benedictionem ponere ſuper montem Garizim (Deut. XI. 29. quid ſit, oſtendetur in Voc. *Maledictio*.

Benefaciens. Vitari jubet Siracides crebrum cum ſexu molliore commercium, addita ingenioſiſſima ſimilitudine: *de veſtimento enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri*. Eccli. XLII. 13. Nequis forte diceret, Bona eſt, cum qua verſor: neque enim ex malo tantum panno, ſed etiam e bona veſte tinea naſcitur. Poſthæc ſubjicitur: *Melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens*. v. 14. Faceſſat jocularis illorum levitas, qui ut riſum concioni eliciant, hæc eo torquent, adeo vilem eſſe muliebrem ſexum, ut vel peccata virorum bonis illius operibus meliora ſint. Vera loci ſententia hæc eſt: melius tibi eſt, agere cum viro tibi iniquo, infenſo, injurioſo; quam cum muliere humaniter te tractante, tibique benefaciente: ille enim cautiorem te reddet: hæc ſenſim ſine ſenſu igniculos excitabit, invita fortaſſis ipſa, & ignara; ſed tamen ad crimen denique, tuumque probrum te adductura; ideo pergit: *& mulier confundens in approbrium*. ibid.

Bene Patiens. Juſti florebunt, & *adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi: & bene patientes erunt*. Pſ. XCI. 15. Ipſa eorum ſenectus erit fertilis, & vegeta: hæc etiam illorum ætas erit laborum patiens; hebraice, viri-

viridis. Poeta hebraicus, ut latinorum princeps, viridem ſenectutem vocavit; hoc melius ſacer, quod præmiſerat v. 13. palmam & cedrum arbores, quibus viriditas longæva congruit, & firmitudo incommodorum omnium patiens, quæcunque in cacumine Libani expoſitis afferre aeris injuriæ poſſunt.

Beneplacitum. Periculoſas impiorum blanditia, ſub olei (hebr. venenati) nomine, averſatus Pſaltes, addit: *adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum*. Pſ. CXL. 5. Imo & pro ipſis impiis DEUM precari pergam, ut ipſi quoque prava ſua deſideria comprimant, eaque odiſſe incipiant, in quibus male ſibi nunc placent.

Bersabee. *Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee: quia ibi uterque juravit*: Abraham, & Abimelech. Gen. XXI. 31. Berſabee enim hebraice eſt *puteus juramenti*, ut ſtatim verſiculo ſequente appellatur. Hebraice totidem literis ſignificat *puteum ſeptem*: quod magni auctores ad ſeptem agnas referunt, quibus Abraham locum hunc emit, v. 30. Nomen hoc deinde tranſiit in vicinam urbem, Gen. XXVI. 33. ubi expoſitionem duplicem recipit: nam ſi litera s vocabuli hebraici Berſabee punctum diacriticum in cornu dextero habere intelligatur, eſt puteus jurisjurandi; ſi in ſiniſtro, affluentiæ, ſive ſatietatis, quorum illud congruit cum v. 31. *juraverunt ſibi mutuo*; iſtud cum v. 33. *appellavit eum* (puteum) *Abundantiam*.

Bestia. *Omnes beſtiæ agri venite ad devorandum, univerſæ beſtiæ ſaltus*. Iſ. LVI. 9. Non optat, inquit Hieronymus, ſed prædicit fore, ut a dæmonibus devorentur. Ita ille ſenſu tropologico; in literali hoſtium legiones intellige, & prædatoria agmina, undique a Deo evocanda. Merebantur id ſacerdotes impii, avari, & ſumme negligentes, ut verſus ſequentes indicant. In operis hujus præfatione monui de Hebraiſmo hoc prophetico, in Pſalmis præſertim ſæpius occurſuro, ubi vates imprecantis ſpecie gravia mala prænunciat & minatur.

Beth. Secunda hebraici alphabeti litera, ut apud Latinos *b*, apud Græcos *beta*, quod ex hebraico natum, eidem & numero, & ſono reſpondet. Vide *Aleph*.

Be-

Bethaven. Nomen urbis, cujus in libro Joſue. & primo Samuelis ſeu noſtro primo Regum, fit mentio. Quia vero *Bethaven* hebraice domum vanitatis, iniquitatis, nihili ſignificat: ideo per irriſionem ita vocatur urbs Bethel, ubi ſacrilega vitulorum religio exercebatur. *Ne aſcenderetis in Bethaven, neque juraveritis, Vivit Dominus*. Oſ. IV. 15. Nolite adire urbem Bethel, domicilium vanitatis & nihili, id eſt, vituli: nolite per hunc jurare, qui nec dominus veſter eſt, nec omnino vivit.

Bethel. Hebraice domus Dei. Duæ hoc nomine urbes erant, altera in tribu Ephraim, in Benjamin altera. De priore narratur Gen. XXVIII. 19. *Appellavitque* (Jacob, viſa per ſomnum ſcala cæleſti) *nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur*, exclamaverat enim: *non eſt hic aliud niſi domus DEI*. v. 17.

Bethlehem. Domus panis. Natale Chriſti ſolum. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Mich. V. 2. At legis periti, de Meſſiæ patria ab Herode interrogati, prophetæ locum ita recitant: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael*. Matth. II. 6. Quidam, ducibus ſummis viris, Hieronymo ac Thoma Aquinate, ignorantia & memoriæ lapſu ita reſpondiſſe ajunt imperitos hos legis peritos. Alii cenſent, Michæam interrogantis ſenſu ſcripſiſſe: quod acriter ac docte propugnat Ribera. Planiſſima vero hæc eſt antilogiæ ſolutio, oppidum Bethlehem a Michæa parvum quidem dici, & fuiſſe, ſpectato loci ambitu, & incolarum fortunis; ſed nequaquam exiguum inter præcipuas etiam familias ac urbes futurum, quippe ex quo oriturum prædicit Dominatorem Iſraelis, Æternum, proinde Hominem DEUM. Cur addatur *Ephrata*, & *in terra Juda*, ea eſt ratio, ut ab altera Bethlehem diſcernatur, in tribu Zabulon ſita. *Ephrata* autem alterum nomen eſt hujus noſtræ Bethlehem, Gen. XXXV. 19. & XLVIII. 7.

Bethsaida. Urbs Galilææ, Philippi apoſtoli patria.

tria. Joann. XII. 21. cui Chriſtus Matth. XI. 21 & Luc. X. 13. infeliciſſimum Væ intentat. *Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur hebraice Bethſaida.* Joann. V. 2. *Hebraice*, id eſt, ab incolis Hebræis; non autem, lingua hebraica: nam inde a captivitate Babylonica ſyriacus erat Hebræorum ſermo vernaculus, non hebraicus. Hoc ipſum vocabulum ſyriacum eſt, nec *Bethſaida*, ſed *Bethesda*, domus effuſionis: quod eo loco ſanguis ovium & agnorum effunderetur, unde græcum probaticæ nomen: Græcis enim *probaton* ovis eſt. Atque ita Evangeliſtam ſcripſiſſe, argumento ſunt optima exemplaria Joannis græca, in quibus non *Bethſaida*, ſed *Bethesda* exaratum legitur. Sed indocti librarii notiorem ſibi vocem ſubſtituerunt *Bethſaida*, quod ſolius urbis, non piſcinæ nomen eſt.

Bibo. *Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: & bibent, & abſorbebunt, & erunt quaſi non ſint.* Abdiæ v. 16. Sicut vos, o Idumæi, hoſtes gentis meæ acerbiſſimi, de illius exitio inter convivia exultaſtis; ita de tuo populi ceteri, inſtructis & ipſi conviviis, lætabuntur. Ita te exhaurient, & abſument, ut nihil reliquum tibi facturi ſint, *& erunt* urbes tuæ, oppida, pagi, *quaſi non ſint*, nullo priſtinæ ubertatis apparente veſtigio.

2. Bibere ſubſannationem, iniquitatem. Eliu calumniator de innocente Jobo: *bibit ſubſannationem quaſi aquam.* Job XXXIV. 7. irridet libere, fidenter, avide. Verius ipſe Jobus: *inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* Job XV. 16. qui plurima in ſe delicta admittit, qui quotidie peccat.

3. Bibere, de ærumnis & ſuppliciis. *Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quaſi innocens relinqueris? non eris innocens, ſed bibens bibes.* Jer. XLIX. 12. Tune innocentis inſtar impunitatem ſperas, o Idumæa? ecce Hebræi, in captivitatem traditi, calicem furoris Domini bibent, qui tamen, ſi comparentur tibi, multo minus id merebantur: equidem tu eundem potum bibes, & ebibes.

Blasphemia. *Pater tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati ſunt in me. Et contaminavi principes ſanctos,*

ſtos, dedi ad internecionem Jacob, & Iſrael in blaſphemiam. (chaldaice & græce *opprobrium*.) Iſ. XLIII. 27. ſq. Pater eſt Adam; interpretes, Moyſes, & Aaron, viri ceteroquin ſancti, ſed ob leve peccatum, in quod a pervicaci populo impulſi erant, a DEO repulſi a terræ promiſſæ introitu. Populus autem univerſus, dempto ſolum Joſua & Calebo, in deſertis vario mortis genere confectus, immortali ſuo probro ad omnes vicinos & poſteros, contumaciam ejus & perfidiam merito reprehenſuros.

BOANERGES. Hoc nomen impoſuit Dominus Zebedæi filiis, Jacobo & Joanni, Marc. III. 17. *Boanerges, quod eſt, filii tonitrui*. Non eſt hebraicum, ſed ſyriacum, ut alia, quæ in Evangeliis & Apoſtolorum Actis peregrina a nobis leguntur. *Bane rges*. *bane* ſyriace filii, *reges* tumultus, tonitru. Litera *o* per indiligentiam librariorum irrepſit: nam, ut recte notavit Caninius l. de Locis S. Script. Hebraicis, c. 11. *ſcribendum eſt procul dubio* BANERGES *ſine* o, *quod nemo doctus negaverit*. quandoquidem, ut hebraice in ſtatu regiminis *bene* dicuntur filii, abſque *o*; ita ſyriace *bane*: *boane* inauditum eſt.

BONUS. *Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine*: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus*. Pſ. CXVII. 8. ſq. More latino, *melius eſt*. nam Hebræi gradu comparativo carent. *Quam bonum eſt arguere, quam iraſci, & confitentem in oratione non prohibere*! Eccl. XX. 1. Quanto melius eſt, in monendis errantibus moderatum eſſe, quam iracundum! quanto melius, confeſſo errorem ignoſcere, quam veniam negare deprecanti! *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti*. Pſ. CXVIII. 72. Lex, ore tuo Divino prolata, melior mihi eſt multis auri & argenti talentis.

BORITH. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus* DEUS. Jer. II. 22. In Vulgata nomen hoc nuſquam præterea legitur; in hebraico fonte ſemel inſuper, Mal. III. 2. ubi noſter aperte, *herba fullonum*. Ea vulgo dicitur ſaponaria: unde ſapo, cu-

jus in eluendis maculis quotidianus eſt uſus. Ait igitur per Jeremiam Deus: Si vel nitro (nam & iſto lavabant) vel quacunque fullonum arte purgare te ſtudueris, quocunque obtentu celevaris crimina, meos tamen oculos non latebis.

Bos. *Cognovit bos* (quilibet) *poſſeſſorem ſuum*. Iſ. I. 3. Qua ratione id ad Chriſti præſepe pertineat, obſervavi in Voc. *Aſinus*.

Bosphorus. *Hæreditabunt hi, qui ad Auſtrum ſunt, montem Eſau, & qui in campeſtribus Philiſtiim: & poſſidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: & Benjamin poſſidebit Galaad. Et tranſmigratio exercitus hujus filiorum Iſrael, omnia loca Chananæorum uſque ad Sareptam: & tranſmigratio Jeruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit civitates Auſtri*. Abdiæ v. 19. ſq. Hæc *tranſmigratio exercitus* ex filiis Iſrael & Jeruſalem eſt cohors Apoſtolorum, & apoſtolicorum virorum, quaquaverſum per orbem ſparſa, in cujus regnis omnibus debellata ſuperſtitione, innumeros in fidem Jesu Imperatoris ſui recepere. Pro Boſphoro hebraice eſt *Sepharad*, quo nomine Hiſpaniam ad hunc uſque diem Hebræi appellant.

Bosra. Urbs Idumææ ſeu Edom præcipua. Iſa. LXIII. 1. ſqq. eloquentiſſima eſt figura dialogiſmi, quærentibus angelis bonis, vel etiam ex mente D. Athanaſii malis, reſpondente Meſſia, dum triumphans in cælum aſcendit. Idumææ nomine Judæa, & Boſræ Hieroſolyma hoc loco tegitur. Quia vero *Edom* hebraice eſt ruber, & radicales literæ vocis *Boſra* vindemiatorem & vindemiam ſignificant: ingenioſe Propheta cruentam Meſſiæ necem ſub allegoria vindemiæ celat. Torcular, quod calcaſſe ſe dicit, impietas eſt gentium, qua protrita, ſuum ipſe ſanguinem pro hoſtili obtulit Divino Patri, eaque vindicta illi pleniſſime ſatisfecit.

Brachium. De impio rege Antiocho vaticinans Daniel. inter alia multa inquit: *Brachia ex eo ſtabunt*. Dan. XI. 31. Brachia vocat potentiores Judæorum, qui Antiochi partibus favebunt, ab eoque ſtabunt.

2. Pro auxilio & præſidio humano. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus*. Jer. XVII. 5. Qui totam ſuam fiduciam in homine locatam habet, ejuſque præſidio ita nititur, ut a Deo recedat.

3. Pro potentia Divina. Deus Hebræos ex Ægypto eduxit *in brachio excelſo*. Act. XIII. 17. id eſt, luculenta potentia, inter admiranda prodigia.

4. Pro armo victimæ. *Propurga te cum brachiis*. Eccl. VII. 33. Vitæ tuæ maculas ſacrificio expia, & armos offer, quemadmodum lege ſancitum eſt. *Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum*. Mal. II. 3. Armus dexter è ſacrificio, niſi id eſſet holocauſtum, cum ventriculo ſacerdotibus debebatur. Quorum ſceleribus iratus Deus, Ecce, inquit, projiciam in vos armum, ex victima a me vobis relictum, & *ventriculum*. Ita habent LXX. Sed majoris probri cauſſa in hebraico dictum eſt *pereſch*, quod ſimpliciter & abſque circuitu noſter interpretatus eſt *ſtercus*. Hoc *aſſumet vos ſecum*, vos involvet, vobis adhærebit. Id eſt: Coram omni populo propter flagitia veſtra vos in contemptum adducam, qui veſtro nomini inſidebit.

Brevis. *Cum exarſerit in brevi ira ejus*. Pſ. II. 13. id eſt, paulo poſt. Propinquum Dei judicium commemorat.

Bubalus. *Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubalis, quoniam convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium?* Amos VI. 13. Expeditiſſime cum Franciſco Ribera in hunc locum dicemus, vitam & mores iniquorum ac impiorum, qui Deum & homines irritant ac exacerbant, tam eſſe contra naturam, quam contra naturam equi eſt, currere per prærupta ſaxa; vel contra naturam ſylveſtris & indomabilis bovis, aratro manſuete ſervire.

Butyrum. Ad regem Judææ Achaz de Emmanuele Virginis Filio dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum,* de-

derelinquetur terra, quam tu deteſtaris a facie duorum regum ſuorum: Iſ. VII. 15. ſq. Tametſi puer hic futurus eſt Emmanuel, ſeu verus *nobiſcum* Deus: aletur tamen ut alii ſuo tempore regionis noſtræ infantes, donec ad eam ætatem perveniat, qua pueri alii pro uſitato & naturali vitæ curſu internoſcere bonum a malo incipiunt. Antequam vero admirabilis hic puer naſcatur, deſeretur a Deo, ac deſerta vaſtabitur provincia utraque, Iſraelis, & Syriæ, quas tu nunc abominaris & metuis, propter illata tibi arma a Phacee Iſraelis, & Raſin Syriæ regibus.

2. Butyro pedes lavare. Modus loquendi adagialis, qui illius rei abundantiam apud Hebræos denotabat. *Lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei*. Job. XXIX. 6. Tam pinguis tum erat mea fortuna, ut butyro & oleo inſtar aquæ affluerem, tanta copia, ut vel pedibus, ſi ita viſum eſſet, lavandis ſufficeret.

Buxus. Vaticinium ſuum exarare jubetur Propheta *ſuper buxum*. Iſ. XXX. 8. in tabella nimirum buxea, more veterum, codicillos ligneos uſurpantium. Sic *obſignatam abietem* pro epiſtola tabellæ abiegnæ inſcripta legimus apud Plautum Perſ. Act. II. ſcen. 2. Præcipitur hoc Iſaiæ ad diuturnitatem: nam tabella hæc *erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque in æternum*. Ibid.

C

Cabus. Menſuræ genus, propemodum librarum quatuor & ſemis, ſi Tirinum audimus. Cabum hebraicum fuiſſe parem volunt chœnici Græcorum. Erat autem chœnix diarum frumenti, quod ſervis domini quotidie præbebant. Unde illud Pythagoricum, ſuper chœnice non ſedendum; hoc eſt, ſectandum non eſſe cibum alienum per otium, ſed ſua cuique induſtria vivendum.

Cado. *Dixeruntque ad Jeremiam Prophetam: Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo*. Jer. XLII. 2. *Si forte cadat oratio eorum in conſpectu Domini*. Jer. XXXVI.

7. Au-

7. *Audi obſecro domine mi rex: Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo*. Jer. XXXVII. 19. Idem eſt horum ſenſus, & in hebraico eadem ubique phraſis. Patere te exorari: ſi Deus flecti ſe precibus ſinat.

2. Cadere in terram, pro deperire, irritum fieri. De Samuele Propheta: *non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. I. Reg. III. 19. Nullam ejus vaticinationem eventus fruſtratus eſt. Jobi, adhuc tum felicis, ea erat auctoritas, ut, etſi benigno & ridente vultu ſuos exciperet, vererentur tamen illi, nec quidquam idcirco de gravitate ejus ac dignitate detraheretur. *Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram*. Job. XXIX. 24.

Cæcus. Cum David rex Jebuſæis, arcem Sion tenentibus, deditionem imperaſſet: illi ſuperbe & contumaciter reſponderunt: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos: dicentes, Non ingredietur David huc*. II. Reg. V. 6. Tanta erat arcis firmitas, ut vel cæci & claudi præſidiarii ſuffecturi ſperarentur. Fortaſſis erant hi e veteranorum numero, qui oculis pedumve uſu in bello amiſſis, in arce tanquam in Prytaneo alebantur. Davidis certe odium, fiduciamque loci tantam conceperant, ut dicerent, ſe vivis nunquam fore, ut ille mœnibus potiretur. *Cepit autem David arcem Sion*. v. 7. & abſtulit *cæcos & claudos, odientes animam David. idcirco dicitur in proverbio: cæcus & claudus non intrabunt in templum*. v. 8. Non placent, qui cæcos & claudos hos, non homines, ſed Telamones ædificii vel ſtatuas fuiſſe autumant: mutæ enim mortuæque imagines quo modo ſunt *dicentes*, & *odientes*? quo modo ſtatuarum odio David Jebuſæos cæcos & claudos templo in perpetuum excludit? Proverbium notabat oſtentatores, qui in pœnam incidiſſent: vel etiam de re quacunque uſurpabatur, quam fieri non poſſe opinarentur.

Cædo. *Stultus cæditur labiis*. Prov. X. 8. hebraice, implicabitur, ſternetur. græce, ſupplantabitur. chaldaice, capietur. Stultus ſuis ipſius dolis implicabitur & capietur, iiſque deprehenſis punietur. adeoque ſuis *ſtultus labiis verberabitur*. ibid. v. 10.

Cælum. Ab Eliu, Jobi criminatore, poetice dicuntur cæli *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi*. Job.XXXVII.18. hebraice & chaldaice eſt opus fuſile, æreum ſpeculum. nimirum ob figuram, quæ nobis apparet concava: ob ſpeciem ſereni cæli puram & lucidam: ob ſtabilitatem per tot ſæcula inconcuſſam.

Cæmentum. *Sicut pali in excelſis, & cæmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtet*. Eccl. XXII. 21. ſq. Tam facile ſtultum timor validior dejicit, quam facile ingruens venti impetus deturbat palos in edito loco expoſitos, & laterculos disjicit male hærentes, quia tenui cæmento parce inter ſe commiſſos.

Cain. Eva *peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per* Deum, per Dei gratiam. Gen. IV. 1. Hebraice a poſſidendo dictus, tanquam poſſeſſus, aut poſſeſſio.

Calamus. *Non emiſti mihi argento calamum*, inquit ad populum ſuum Deus, Iſ. XLIII. 24. aromaticum, ſeu odoriferum, cujus erat uſus in redivina. De illo Deus alibi: *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuave olentem de terra longinqua?* Jer. VI. 20.

Calcaneus. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Pſ. XLVIII. 6. Cur timebo die calamitoſo & periculoſo, præſertim judicii? Nihil aliud me terrere ac implicare tum poterit, quam iniquitas meorum operum (hæc enim Hebræi per pedes, greſſus, & ſimilia ſignificant) maxime ſi ad vitæ finem, ceu calcem, impius invenirer. Sed hoc illi timeant, *qui confidunt in virtute* (potentia) *ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur*. v. 7. Fruſtra quidem: nam neque frater fratrem, neque hominum quiſquam hominem alium redimere tum poterit, aut iratum Judicem placare, vel pretio delinire.

Calceamentum. Victor David ſemel atque iterum exclamat: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Pſ. LIX. 10. & CVII. 10. Eam conculcabo, victor impoſito pede proteram.

Calendae. Prima dies cujuſque menſis, non tamen Ro-

Romani (in Divinis his voluminibus) ſed Hebraici, id eſt, non ſolaris, ſed lunaris. Proprie eſt Neomenia, ſeu nova luna. Sic Iſ. I. 13. nos habemus *neomeniam*, & ſequente v. 14. *calendas*. hebraice autem & græce idem eſt in utroque verſu vocabulum, quod novam lunam ſive neomeniam indicat.

Caliga. Vulgus, & vulgaria Lexica, in hoc nomine paſſim labuntur: eamdem enim ſignificationem ei tribuunt, quam vox *femoralia* habet. Falſo prorſus caliga namque calcei genus eſt, ſolea duntaxat conſtantis, quæ pedi loris aſtringebatur, nonnunquam clavis armata. Teſtimoniis plurimis, ex omni antiquitate collectis, hoc demonſtrant Lælius Biſciola in Horis ſubſecivis, Tom. II. l. XVII. c. 21. & Julius Nigronius, qui operæ pretium facere ſe putavit, propriam *De Caliga Diſſertationem* vulgando. Præcipue id eſt militare vocabulum: quare admodum proprie Abramus ad regem Sodomorum ait, ex hoſtium a ſe victorum manubiis nihil ſe accepturum *a filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ*. Gen. XIV. 23. quippe de copiis militaribus ſermo erat. Eo ipſo autem loco tam hebraica vox, quam græca LXX. Interpretum, calceum ſine dubitatione ſignificat. Apertiſſimum vero eſt illud Angeli ad Petrum in carcere: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*. Act. XII. 8. In græco fonte eſt: *ſandalia tua*.

Calix. Ut Latinis *ſors*, ita Hebræis *calix* ambiguum nomen eſt: quo fatum ſignificant a Deo cuique deſtinatum, ſive lætum & felix, ſive acerbum & ærumnoſum. Lætum eſt illud Davidis: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*. Pſ. XV. 5. In quo hebraiſmum obſerva, adjectivi loco ſubſtantivum ſubſtantivo addentem, ut in præfatione monui. Latina conſuetudine ſenſus hic fieret, eſſe quidem Deum hæreditatem & ſortem Davidis, ſed ex aliqua parte tantum, ita ut præter Deum etiam alia ſperet & opperiatur. Verum hoc longe abeſt a vate ſanctiſſimo, & a lingua hebraica, in qua *pars hæreditatis* eſt pars ſeu portio hæreditaria, *pars calicis* tota portio mihi bibenda. Itaque dicitur a propheta regio Dominus

tota ſua hæreditas tota ſua ſors. Luctuoſiſſima vero impiorum ſors, de quibus idem David: *ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*. Pſ. X. 7. Portio illis epotanda, eſt ignis furoris Domini, & excitatum procella ſulphur: exquiſita illos manent ſupplicia. Non diſſimilis eſt *calix in manu Domini vini meri plenus miſto*. Pſ. LXXIV. 9. calix iræ, non dilutus aqua, non temperatus miſericordia, ſed mero vino furoris impletus; eoque non ſimplici, ſed mixto. Sicuti vina non unius generis, vehementia omnia, in eumdem calicem infuſa, eo magis inebriant: ita miſeri hi eo gravius luent, quod non modo non parcet Deus, ſed etiam plura pœnarum genera commiſcebit. *Et inclinavit ex hoc in hoc*: calicem iſtum huc & illuc circumferret, alios atque alios haurire jubens, ut cujuſque crimina merebuntur. *verumtamen fæx ejus non eſt exinanita*: *bibent omnes peccatores terræ*. ibid. ad fundum nunquam ebibent: æterna ſupplicia haurient, nec unquam tamen exhaurient.

2. Calix ſalutaris. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* (pro omnibus beneficiis?) *Calicem ſalutaris accipiam*. Pſ. CXV. 3. ſq. Libabo Domino calicem ſalutarem. id enim fiebat in ſacrificiis, quæ grati animi cauſſa offerebant, appellabantque *Pacifica*, & *Sacrificia Salutaria*, ſive *Salutaris*; ut eſt apud Philonem l. de Sacrificiis.

Calor. De Babyloniis: *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit Dominus*. Jer. LI. 39. Efficiam, ut incaleſcant vino, iræ meæ; eoque inebriati in ſomnum prolabantur altiſſimum, mortis a quo nunquam expergiſcantur. Allegoria ingenioſiſſima: temulentis enim, tum maxime Babyloniis ſupervenere Medi & Perſæ, una ruina omnia involventes.

Calvitium. Indicium luctus maximi: in eo enim tondebantur. Ubi ſummam omnium triſtitiam indicit Deus, denunciat etiam *ſuper omne caput calvitium*. Amos VIII. 10. Job, amicis fortunis, *ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adoravit*. Job. I. 20. *Decalvabit Dominus verticem filia-*

rum

rum Sion. Iſ. III. 17. *Et erit --- pro zona funiculus*, *& pro criſpanti crine calvitium*. ibid. v. 24. Captorum quoque radebatur crinis. *de captivitate*, *nudati inimicorum capitis*. Deut. XXXII. 42. Mortui *non ſepelientur*, *neque plangentur*, *& non ſe incident*, *neque calvitium fiet pro eis*. Jer. XVI. 6. Vetabantur quidem lege Judæi: *non vos incidetis*, *nec facietis calvitium ſuper mortuo*. Deut. XIV. 1. Sed eo tempore, ut alia plurima, ita hoc quoque adverſus inſtituta Divina invaluerat. Deus autem tantam funerum copiam fore ſignificat, ut profanum hoc ſupremi honoris genus obtingere illis non poſſit.

Camelus. Chriſti effatum eſt, facilius camelum per foramen acus, quam divitem in cæleſte regnum penetraturum. Matth. XIX. 24. Marc. X. 25. Luc. XVIII. 25. Non defuerunt viri ſapientes ac docti, inter quos olim Bartholomæus Riccius in Vita Chriſti c. 106. & noſtra ætate Carolus Ruæus Conc. 2. in Dominic. IV. Jejunii Maximi; qui non camelum animal, ſed rudentem ſeu funem nauticum interpretarentur, cujus tranſitus ſperari nequeat per foramen acus, non niſi filo tenui pervium. Et vero ingenii laudem auctoribus his nemo negaverit: obſtat tamen fons ſyriacus & græcus, qui camelum animal conſtanter habent. Et autem adagium vetus hebraicum, a Thalmudicis quoque relatum: Facilius camelus per acum. Cui affine alterum in eadem lingua: Elephas per acum. Utrumque de iis rebus, quæ fidem ſuperent, & fieri vix, ac ne vix quidem poſſint.

Camus. David optat. Pſ. XXXI. 9. ut *camo & fræno* conſtringantur eorum maxillæ, quos equis & mulis ſimiles indomitæ cupiditates ſuæ effecerunt. *Camus* oriundum a græco eſt, retinaculum indicans, quod corbis inſtar os beſtiæ circumquaque concludit.

Canalis. *Comæ capitis tui* (ait Sponſus ad Sponſam) *ficut purpura regis vincta canalibus*. Cant. VII. 5. In canales immittebatur purpura regia ab infectoribus, quo melius in illis colorem inbiberet, & pulcrius ac ſplendidius tingeretur.

Candidus. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*, *& oleum*

& oleum de capite tuo non deficiat. Eccl. IX. 8. Lætitiæ ſigna ſunt. Unguentati convivia celebrabant: & veſtes in epulatione candidas fuiſſe, non Romanis tantum, ſed & Hebræis, ex Philone notum eſt. Animum, quoad licet, ſemper & ſervare lætum, & præſeferre, Salomon jubet.

Cani. De populo Iſraelitico: *cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignoravit*. Oſ. VII. 9. Pedetentim ad interitum ſuum acceſſit populus, non ſentiens: ut homo negligens, qui ſenſim incaneſcit, neque tamen appropinquare ſe tumulo animadvertit.

Canis. *Quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem*? Eccl. XIII. 22. Quæ animorum conjunctio eſſe poſſit inter purum & impurum? quid a paupere ſperare dives queat? Noli ergo, vir bone, ſed fortunæ tenuis, amicitiam improborum aut locupletum appetere, ſed ſimilis ſimili gaude. In græco fonte pro homine ſancto hodie apparet hyæna, mira ſane diſcrepantia. Vide, ſi lubet, infra in Voc. *Hyæna*.

Canticum. Nonnunquam pro ludibrio. *Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die*. Thren. III. 14. *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos*. Ez. XXXIII. 31. Irridendi cauſſa te ac ſermones tuos verſiculis & modulis illigant, & mordacem in te ſatyram canunt.

2. Canticum canticorum Salomonis. Hebraiſmus excellentiam indicans: quaſi dicas, Canticum omnium præſtantiſſimum. In pleriſque Vulgatæ editionibus latino titulo hebraicus additur, *Sir Haſirim*. Sed vera hebraicæ pronunciationis ratio poſcit *Schir Haſchſchirim*. Sicut neque Geneſi *Bereſith*, neque Exodo *Veelle Semoth*; neque Judicum libro *Sophetim*, aut Proverbiis *Misle* præſcribendum fuit; ſed ubique per *ſch Bereſchith*, *Veelle Schemoth*, *Schophetim*, *Mischle*.

Capillus. Deus *confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis*. Pſal. LXVII. 22. Hebraiſmus, qui loco epitheti ſubſtantivum ſubſtantivo adnectit. verticem comatum.

Capio.

Capio. Jesus de ſua morte vaticinans, eam non alibi decretam ſibi eſſe oſtendit, quam ubi tot alii prophetæ ſublati ab impiis eſſent. *Non capit prophetam perire extra Jeruſalem*. Luc. XIII. 33. q. d. fieri non poteſt, ut alibi occumbat Propheta.

2. Capere, pro, habere locum. *Sermo meus non capit in vobis*, inquit Chriſtus Joann. VIII. 37. Doctrinam meam non recipitis, ſermo meus locum apud vos non invenit.

3. In ea capere, pro, eam capere. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus*. Thren. IV. 6. Major eſt Hieroſolymæ, ſicut iniquitas, ita & pœna, quam Sodomæ, quæ puncto temporis everſa eſt, non hoſtili manu capta.

✱ 4. Antiochus captus. Inter ea, quæ de Romanorum præclaris facinoribus ad Judam Machabæum perlata ſunt, etiam narratur victus Antiochus, cognomento Magnus, & *quia ceperunt eum vivum*. I. Mach. VIII. 7. Quidam eo confugiunt, ut dicant, audiſſe quidem hæc Judam & ſocios, ſed, ut fere uſuvenit, amplificante fama exaggerata; neque enim Divinum Hiſtoricum interponere auctoritatem ſuam, ſed id unum præfari, *audivit Judas*, ibid. v. 1. & *audierunt*, v. 2. Alii non vere captum quidem, ſed pene captum dicunt, & in eas redactum anguſtias, ut inſtar captivi ad infimas quaſque conditiones deſcendere cogeretur. Aliis ſufficit, Lyſimachiam veniſſe Antiochum, data a Romanis fide, ibique cum eis pepigiſſe. Neutrum placet. Quis uſpiam alibi tam improprie loquitur? Qui pene captus eſt, non eſt captus: ſicut qui pene occiſus eſt, non amiſit vitam; & qui pene donavit, nihil dedit. Quis vero eum captum dicit, qui accedit ultro ad paciſcendum, data præſertim fide? Cum igitur diſertis verbis Hiſtoricus doceat, *ceperunt eum vivum*, ſenſu proprio id accipi ab orthodoxo lectore par eſt. At ſilet tota antiquitas. Quaſi vero Machabæorum ſcriptor non ſit ipſe ex antiquiſſimis: aut quaſi novum ſit, rei adjuncta ab aliis hiſtoricis alia prodi, & ſuppleri ab his, quæ illos effu-

effugerint. In ipſo Divino Codice id factum videmus: Paralipomenon libri in Inſtrumento Vetere, & in Novo Joannes recenſent plurima, quæ in Regum hiſtoria & Evangeliis tribus prioribus ſilentio prætereuntur. Si captivus in Romanorum manibus diu hæſiſſet Antiochus, fateor, parum fore credibile, id vel ignoraturos fuiſſe ſcriptores ceteros, vel omiſſuros. Sed ad rem præſentem ſatis eſt, exiguo temporis ſpatio ab iis detentum, ſive vi, ſive pretio aut gratia ſe liberaſſe: quorum nihil Romanis tam honorificum, ut non ſupprimere potius, quam ſpargere expediret. Prætermiſſum certe ab aliis, noſter docuit: cujus antiquitatem quis Criticorum negabit? aut quis Livium & Pompejum Trogum vel diligentiores hiſtoricos, vel prudentiores viros eſſe dixerit Matthæo & Marco? quis vero Juſtinum & Florum Samuele ſeu pleniores ſeu fideliores appellare audeat? atqui ſunt in manibus omnium, quæ poſt illos Paralipomenon auctor & Joannes auctoritate non minus Divina addidere.

Capitium. *Quaſi capitio tunicæ* (hebraice *quaſi os tunicæ*) *ſuccinxerunt me*. Job XXX. 18. Multitudo vermiculorum, ſurſum a collo in caput ſurrepentium, proximam capitis partem obducit.

Capitulum. *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur*. Hebr. VIII. 1. id eſt: ut ſummatim dicam, ut breviter complectar dicta.

Cappadocia. Sicut Iſraelitæ ex Ægypto, ita Palæſtini e Cappadocia aſcendiſſe dicuntur Amos IX. 7. non quaſi Palæſtini unquam in Cappadocia ſervitutem tulerint, ut in Ægypto Hebræi: ſed quia veteres Cappadociæ incolæ, e patria egreſſi, in Palæſtinam venerint, expulſiſque inde Hevæis, ibidem conſederint. Deut. II. 23. Quapropter & Jeremias XLVII. 4. Palæſtinos appellat reliquias Cappadociæ.

Capparis. In diſertiſſima illa Senectutis hypotypoſi, quam totam in unum collectam dabo Voc. *Tenebreſco*, & hoc legitur: *diſſipabitur capparis*. Eccl. XII. 5. in fonte hebraico perſpicue: abrumpit ſe cupiditas, ſeu appetitio. Cibi, potus, voluptatum appetentiam ſenectus hebetat.

Capti-

Captivitas. Hebraico more, pro perſonis & rebus captis. Hoc ſenſu Jonathas Machabæus *miſit ad eum* (hoſtem) *legatos componere pacem cum ipſo, & reddere ei captivitatem*. I. Mach. IX. 70. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus: etenim non credentes, inhabitare Dominum* Deum. Pſ. LXVII. 19. Aſcendiſti cum populo tuo, o Deus, Moyſe duce ex Ægypto in terram promiſſam: abduxiſti tecum ſpolia Ægyptiorum, & gentem tuam pridem apud illos captivam: accepiſti ſeu abſtuliſti aurum, argentum, aliaque dona (Ex. III. 22.) pro tuis hominibus. (*in* per hebraiſmum loco *pro*.) etenim, id eſt, etiam, non credentes, rebelles, & eo uſque pervicaces accepiſti ſeu tibi ſubjeciſti, ut ab illis quoque adorareris veluti Deus ac Dominus, & in ipſorum animis habitares. Hæc ſenſu literali; allegorico autem & nobiliore, ut oſtendit Paulus Eph. IV. 8. de Chriſto hęc ſcripta ſunt, in cælum aſcenſuro cum liberatis e limbo patribus, atque inde miſſuro hominibus Spiritum Divinum, & innumera dona ſuo ſanguine parta, ad gentes terrarum omnes Deo Patri conciliandas. *In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicuti conſolati*. Pſ. CXXV. 1. Per gentis noſtræ liberationem e captivitate ſummo ſolatio nos Deus perfudit, ita ut inſtar ſomnii hæc tanta nobis promiſſa felicitas videretur. nam hebraice pro *conſolati* eſt *ſomniantes*. Tum rogant, ut acceleret Deus, quod ſpoponderat: *Converte Domine captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro*. v. 4. Reduc Domine captivos noſtros omnes: quod gaudium nobis tantum afferet, quantum torrens in deſertis & ſabuloſis ad Auſtrum locis degentes recreat. Tu igitur illos tam celeriter ac potenter advehe, quam torrens fertur, ſolutis ab Auſtro nivibus auctus.

2. Captivitas perfecta. Gazenſibus veniam negat Deus, *eo quod tranſtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa*. Amos I. 6. Tyriis quoque, *eo quod concluſerint captivitatem perfectam in Idumæa*. ibid. v. 9. id eſt, quod omnes, nemine relicto, captivos in Idumæam abſtraxiſſent.

Ca-

Capto. *Captabunt in animam juſti*. Pſ. XCIII. 21. Innocentis vitæ inſidiati ſunt. Hebraica vox militaris eſt: conglobarunt ſe contra me, catervatim coierunt.

Caput *Dederunt caput*. II. Eſdr. IX. 17. Obfirmarunt animum: ſeu, ut germanice loquimur, *ſie haben ihren Kopf aufgeſetzet*.

2. Caput movere, teſtandæ miſerationis & conſolandi gratia, *Vaſtata eſt Ninive: quis commovebit ſuper te caput? unde quæram conſolatorem tibi?* Nah. III. 7. *Conſolarer & ego vos ſermonibus, & moverem caput meum ſuper vos*. Job. XVI. 5. Serio & ex animo vos conſolarer, cum vos me his ærumnis obrutum ficto tantum officio & ſimulata miſericordia proſequamini.

3. Caput movere irridendi cauſſa. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt & moverunt caput ſuum ſuper filiam Jeruſalem*. Thren. II. 15. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum.... commotionem capitis in populis*. Pſ. XLIII. 14. ſq. Omnium ludibrio nos expoſuiſti. *Factus ſum opprobrium illis: viderunt me & moverunt capita ſua*. Pſ. CVIII. 25. quæ vaticinatio in Chriſto patiente impleta eſt Matth. XXVII. 39. & Marc. XV. 29.

4. Reddere vel ponere in caput. *Neque miſerebor: viam eorum ſuper caput eorum reddam*. Ez. IX. 10. *Horum viam in capite ſuo ponam*. Ez. XI. 21. *Viam eorum in caput eorum reddidi*. Ez. XXII. 31. Eadem ubique ſententia: puniam, aut punii, pro eorum meritis.

5. Caput Syriæ & Ephraim. *Caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin: & adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus: & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ*. Iſ. VII. 8. ſq. Locum nonnihil intricatum evolvit optime D Cyrilus dum per zeugma ſeu ſynœcioſin vocabulum *deſinet* ad ſingula inciſa refert, in hunc modum: deſinet urbs Damaſcus eſſe caput Syriæ: deſinet Raſin eſſe rex Syriæ: deſinet, elapſo tempore a me ſtatuto, regnum Iſrael ſeum Ephraim, ejuſque urbs princeps Samaria & rex Phacee filius Romeliæ ſimul corruent.

6. Caput circuitus, pro duce ſeu principe inſidiantium.

tium. *Caput circuitus eorum : labor labiorum ipſorum operiet eos*. Pſ. CXXXIX. 10. Anteſignanum eorum, qui me circumdant machinantes perniciem, & hos ipſos meos inſidiatores, labor linguæ ſuæ iniquæ obruet ac operiet : in ipſorum caput recident fraudes, maledicta, & conſilia, quibus me petunt.

7. Caput & cauda. *Diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam, incurvantem & refrænantem, die una. Longævus & honorabilis, ipſe eſt caput: & Propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda*. Iſ. IX. 14. ſq. Diſſipabit & perdet ſummos juxta, & imos; præpotentes, & infima curantes; ætate ac dignitate conſpicuos, & Prophetarum mendacium fæcem. *Non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam*. Iſ. XIX. 15. Nullum in Ægypto erit opus, ex quo appareat, eſſe vel prudentem magiſtratum, qui jubeat; vel fidelem civem, qui pareat.

8. Fieri in capite. Capta ab hoſtibus patria, ſic lamentatur Jeremias: *Facti ſunt hoſtes ejus in capite*. Thr. I. 5. Hoſtes eam ſubegerunt.

9. Caput libri. *In capite libri*. (hebraice *in volumine libri*, quo modo etiam vertit B. Hieronymus) *ſcriptum eſt de me*. Pſ. XXXIX. 9. in libro nimirum legis, quam Chaldaica nominatim indicat. Eſt autem legis caput, ut Dei voluntas a nobis fiat. *ut facerem voluntatem tuam*, pergit ibidem Pſaltes. Allegorice, ut videmus Hebr. X. 7. accipienda hæc ſunt de Chriſto, & Redemptionis beneficio, cujus prædictione plenum eſt totum legis volumen *in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ*. Luc. XXIV. 25. Atque ipſe Dominus, cum e tumulo rediiſſet, diſcipulis id oſtendit, *incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis*. ib. 27. Confeſtim *in capite libri*, ſeu initio legis, ubi primorum parentum lapſui pœna a Deo, indicitur, ſimul remedium benigniſſime oſtenditur, per ſemen mulieris afferendum. Gen. III. 15.

10. Caput anguli. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud*. Pſ. CXVII. 22. ſq. Vaticinium illuſtriſſimum de Jesu Meſſia, quem principes ut lapidem inutilem cum rejeciſſent, angularem eſſe lapidem Divinus Pater juſſit, qui legis utriuſque parietem jungeret, totam-

que

que molem ædificii ſuſtentaret. Celebratur hic locus Matth. XXI. 42. Luc. XX. 17. Act. IV. 11. & I. Petr. II. 7.

11. Caput viæ. Ez. XXI. 19. Eſt bivium, quod ibid. v. 21. caput duarum viarum, & hebraice eleganter *mater viæ* dicitur. Ex eo bivio dextera Hieroſolymam, læva Rabbatham urbem principem Ammonitidis ibatur. Utram harum peteret, conſiſtens ibi Nabuchodonoſor deliberavit, remque ſorti permiſit, ſagittis inter ſe permixtis ducendæ, inſpectis tamen etiam victimarum extis, ut ibid. propheta narrat.

Carbo. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos: in miſeriis non ſubſiſtent.* Pſ. CXXXIX. 11. Sceleratos, o Deus, variis pœnarum generibus obrues, ac denique in ignem orci ſempiternum dejicies, e cujus miſeriis (hebraice, foveis) nunquam reſurgent.

2. Grando, & carbones ignis. Pſ. XVII. 13. Carbones hi poetice dicti ſunt lapides igniti, quos veluti ardentem grandinem in hoſtes ſuos immiſſam David in luculenta illa Dei liberatoris hypotyposi proponit. Tali grandine uſus eſt Dominus contra Ægyptios: *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Sap. XVI. 17. *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant.--- ignis ardens in grandine, & pluvia coruſcans.* ibid. v. 22.

3. Carbones deſolatorii. Pſ. CXIX. 4. carbones vehementer urentes & exurentes. Hebraice eſt, carbones geniſtarum, ſive juniperorum. carbones ex hujus arbuſculæ radicibus caloris vi magna pollent, eumque diu conſervant. Quid commodi, inquit Pſaltes, tibi afferret lingua fraudulenta? acuta omnipotentis tela in te concitabit, & flammæ perniciosiſſimæ carbonibus te cruciabit.

4. Carbones peccatorum. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos: & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* Eccl. VIII. 13. Cum legis violatores arguendi erunt, noli id juſto ardentius facere, ne illos ad iram inflammes, & fortaſſis ipſe quoque viciſſim inflammeris, & per illata tibi ab iratis detrimenta non leviter aduraris.

5. Car-

5. Carbones ſuper caput. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*. Rom. XII. 20. ex Prov. XXV. 21. ſq. Candentes carbones in hoſtis caput ingerere, adagium eſt hebraicum, quo ſignificant, diſſoluto eum torpore ac odio, ad amicitiam incenſum iri.

Carcer. *Nunquid mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?* Job. VII. 12. Ait vir ſanctus, ſe *neque mare ſuperbum, neque immanem cetum* fuiſſe, *ut ſuperbiæ atque ſævitiæ tantas pœnas dare debuerit*. ita ſolertiſſimus Jobi interpretum, Joannes Pineda. Neutro crimine in principatu ſe meruiſſe dicit, ut amariſſimis dolorum fluctibus, & procellis ærumnarum, intra vaſtiſſima littora tanquam carcerem ſuum libere tumultuantibus; exagitandus traderetur.

Caritas. Pretioſiſſimum ſuum ferculum Salomon *media caritate conſtravit*. Cant. III. 10. id eſt, rebus cariſſimis, gemmis, quæ diligi maxime ſolent; fortaſſe pyropis, inflammati amoris ſpeciem referentibus.

Carmelus. Deliteſcentibus in Ægypto Judæis cladem certiſſimam Deus prædicit, a Chaldæis inferendam. *Vivo ego, inquit Rex, Dominus exercituum nomen ejus, quoniam ſicut Thabor in montibus, & ſicut Carmelus in mari, veniet*. Jer. XLVI. 18. Obvius ſenſus eſt; tam certam & conſpicuam incredulis plagam imminere a Nabuchodonoſore, quam conſpicui ſunt Thabor inter montes, & inter promontoria Carmelus. Sed acutius vir acerrimi ingenii Joannes Mariana: ſicut, inquit, venationi aptiſſimus Thabor eſt, mons nemoroſus, & feris abundans: ita copioſas e bonis veſtris prædas aget rex Chaldæus: & quam celeriter avehuntur naves e Carmeli arboribus fabricatæ, tam cito ille vos & opes veſtras in Babyloniam auferet.

2. Carmelus allegorice. *Luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exſiccatus eſt vertex Carmeli*. Amos I. 2. Propheta, paſtor ipſe Thecuites, paſtorali allegoria prænunciat iram Dei, *Dominus de Sion rugiet*, ibidem

everſionem populi, regum & optimatum excidium. Erat Carmelus mons ſpecioſiſſimus ac fertiliſſimus.

3. Carmelus regis Sennacheribi. Dicitur Deus inſtar flammæ incenſurus Aſſyrias, ſpinas & vepres, ita ut ſemel pereat *gloria ſaltus ejus, & carmeli ejus*; adeo quidem, ut vel puer numerare poſſit reſiduas arbores (reliquias exercitus) & totum earum cenſum peragere. Iſ. X. 17. ſqq. *Carmelus* hoc loco; ſive nomen ſit proprium montis, ſive appellativum loci cujuſvis amœni, opulentum Sennacheribi exercitum ſignificat, propter ſpeciem ad aſpectum præclaram: ſicut idem, propter inſigne copiarum robur, ſaltus appellatur.

Carmen. *Dedit carmina in nocte*. Job. XXXV. 10. Varii varia. Planiſſimum hoc videtur: Deus etiam in calamitatum nocte lætitiam & cantica confirmatis hominum animis (inter quos ipſe maxime Jobus, divinus poeta) indidit & inſpiravit.

Caro. Pro homine, paſſim. *Non fieret ſalva omnis caro*. Matth. XXIV. 22. id eſt, nemo hominum. *Videbit omnis caro* (homines omnes videbunt) *ſalutare DEI*. Luc. III. 6. ex Iſ. XL. 4. Chriſtus ad Petrum poſt nobilem illam de Divina ejus perſona ac dignitate confeſſionem: *Caro & ſanguis non revelavit tibi*. Matth. XVI. 17. non homo ullus, ſed Pater meus cæleſtis. *Continuo non acquievi carni & ſanguini*. Gal. I. 16. Hominibus, abſtrahere me a Chriſto conantibus, non ceſſi.

2. Pro quovis animali. *Cuncta animantia*, ait ad Noachum Deus, *quæ ſunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus, quam in beſtiis & univerſis reptilibus*. Gen. VIII. 17. Siracides, ubi animantes rationis expertes homini opponit, eas carnem appellat. *Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur*. Eccl. XIII. 20.

3. Pro cognatis & fratribus. Cognatos ac tribules ſuos ad Chriſti amorem exemplo ſuo traducere Paulus cupit: *ſiquo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis*. Rom. XI. 14. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi*

eum,

eum, *& carnem tuam* (fratrem tuum) *ne deſpexeris*. Iſ. LVIII. 7.

4. Pro homine voluptario, carnis illecebris immerſo. Sic Gen. VI. 3. delere Deus hominem ſtatuit, *quia caro eſt*.

5. Carnibus ſaturari. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* Job XXXI. 31. Qui Euchariſtiam hic agnoſcunt, ad ſenſum myſticum divertunt. Qui vero ad Jobi amicos id referunt, quaſi præ amoris magnitudine ipſo veſci ut cibo deſiderarint: mirabile profecto amicitiæ genus excogitarunt, internecinum, & inter cultos barbaroſque populos æque ignotum. Ad iniquorum odium pertinent verba hæc, qui propter morum diſſimilitudinem ſic eum deteſtabantur, ut, ſi poſſent, immanium ferarum inſtar vel dentibus dilacerarent. Cujuſmodi & illud eſt de regii vatis hoſtibus: *appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas*. Pſ. XXVI. 2.

Cartallus. Caniſtri ſeu corbis genus. *Converte manum tuam quaſi vindemiator ad cartallum*. Jer. VI. 9. Redi, Chaldæe, & quod primo te præteriit uvarum, nunc in caniſtrum injice. q. d. Exſpolia terram penitus, & ultimas etiam reliquias tolle.

Caslev. Nonus menſis Hebræorum, ut patet ex Zach. VII. 1. & I. Mach. IV. 52. Cavendus in hoc nomine illorum error, qui literarum ſimilitudine decepti, pro *Caslev* legunt *Caſſev* aut *Caſſeu* *s* geminato. Quod adeo factu proclive eſt, ut in excuſis etiam exemplaribus *Caſſeu* nonnunquam occurrat. Quid autem illi viderint, qui cum aſpiratione *Caslheu* ſcripſere, non intelligo: cum literæ *h* nullum ſit in hebraico, multoque minus in græco veſtigium.

Cassidile. Tob. VIII. 2. Pera reticulata, ſeu in modum caſſis facta. Utuntur & hodie venatores ac piſcatores.

Castores. Paulus & Lucas Romam vecti ſunt navi, *cui erat inſigne Caſtorum*. Act. XXVIII. 11. Caſtoris nimirum & Pollucis, qui a Græcis uno nomine Dioſcuri ſeu Jovis filii dicuntur.

Cata. *Cata mane mane*. Ez. XLVI. 14. ſq. Singulis diebus mane.

Cataclysmus. *Quomodo cataclyſmus aridam inebriavit: ſic ira ipſius gentes, quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit*. Eccl. XXXIX. 28. Ut orbis totus diluvio inundatus eſt, ita gentes omnes infideles ira Dei poſſidebit ac perdet.

Cataplasmo. Sanatus eſt Ezechias per maſſam illam ficuum, quam Iſaias afferri juſſit, ut *cataplaſmarent ſuper vulnus*. Iſ. XXXVIII. 21. ut ulceri Ezechiæ imponerent. Obſerva, Lector, verſiculum proximum, hujus capitis ultimum, librariorum vitio huc eſſe trajectum in locum non ſuum: intelligendus eſt enim ante verſum ejuſdem capitis ſeptimum, hoc ordine: *Et dixit Ezechias: Quod erit ſignum, quia aſcendam in domum Domini?* Reſpondet propheta: *Hoc autem tibi erit ſignum*, & quæ ſequuntur de umbra horologii, decem lineis retroacta. Atque hic ordo ſervatur in hujus ipſius rei narratione IV. Reg. XX. 8. ſq.

Cataracta. Principio diluvii *cataractæ cæli apertæ ſunt*. Gen. VII. 11. Metaphora a cataractis fluminum, eorum aquas per vim retinentibus: quæ ſi aperiantur, toto impetu aqua effunditur.

2. Vox cataractarum. *Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum*. Pſ. XLI. 8. Cataractæ per metaphoram hic ſunt Divina judicia, quæ alias ex aliis calamitates, tanquam ſonantes & continuo agmine ſibi ſuccedentes aquarum fluctus, in hominem juſtum immittunt. Aptiſſime ad locum, quo hæc ſcribebantur; videlicet in monte Hermoniim minore, ubi cataractæ ſunt Jordanis, non arte humana factæ, ſed naturales: quales cataractæ Nili, Rheni, aliorum fluminum; ubi ex edito & præcipiti loco aquæ in ſubjectum alveum ruunt.

Catena. Opitulaturum ſe tibi Deus promittit, *ſi abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt*. Iſ. LVIII. 9. Catena quidem & ſervitus eſt omne peccatum grave, ſed Chaldaica docent, quod genus peccati hoc loco jubeatur auferri: *corruptelam judicii*. Ideo monuerat v. 6. *diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes*. Noli ſocietate cum iniquis inita pauperes

pre-

premere ac obruere. Si reddideris libertatem judiciis, ſi deſieris minacem & inſultantem digitum extendere in fratres, ſi caſſa & futilia loqui ceſſaveris: tum vero tibi Dominus aderit.

CATHEDRA. *In cathedra peſtilentiæ* (hebraïce, in ſede irriſorum) *non ſedit*. Pſ. I. 1. Malus eſt, & infelix, qui abduci ſe à virtutis ſemita ad crimen patitur; pejor, & infelicior, qui in ſcelerum via conſiſtens, malis ſuis aſſueſcit; peſſimus, ac plane peſtilens, qui pravitate acquieſcens, virtutem & religionem apud ſe & alios irridet.

2. Pro Conſeſſu. *Exaltent eum in eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum*. Pſ. CVI. 32. in concilio populi: & in conſeſſu, cœtu, conventu ſenum.

CATTA. Bar. VI. 21. Feles. Græcus fons, æluri.

CAUDA. Nomine DEI dicitur ad Achàz regem: *cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris*. Iſ. VII. 4. Cauda titionis, pars extrema & ſemiuſtulata ligni cremati. Hebraiſmus ſignificans per contemptum homines nihili, inutiles; hic regem Syriæ Raſinum, & Iſraelis Phaceam.

2. Caput & cauda quid ſint Hebræis, dictum paulo ante in Voc. *Caput*.

CAUMA. Græcum, calor. Job XXX. 30. eſt ardor ſeu æſtus febricitantis.

CAUSSA. Qui ſolis labiis me colunt, inquit Dominus, corde a me longe avulſi, *ſine cauſſa* colunt me. Matth. XV. 9. Non quaſi eis cauſſa non ſuppetat adorandi DEI, cum ſint innumeræ; ſed fruſtra, ſine emolumento, incaſſum, (ut eſt in fonte) id faciunt; quia male.

CAUTERIATUS. Stigmaticus, ſtigmate inuſto notatus. Talis dicitur impiorum quorundam, erroris non unius magiſtrorum, conſcientia, I. Tim. IV. 2.

CEDAR. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem; ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*: Cant. I. 5. Cedar Iſmaelis filius, Gen XXV. 13. unde ad ejus poſteros, gentem Arabicam, nomen manavit. Hæc ſub tentoriis, ardentiſſimo ſoli expoſitis, ætatem degebat. Ait er-

go Sponſa, fuſcam ſe quidem eſſe a ſole, in quo laboribus paſtoritiis fungebatur; & colore tabernacula Cedaritarum referre: ſed addit, formoſa ſibi lineamenta oris eſſe, membrorumque compoſitionem egregiam: eaque de cauſſa cum Salomonis tentoriis, inſtructiſſimis, & ornatiſſimis, ſe comparat. Dixi gentem Arabicam, neque incolas Cedar apud Nomades ſeu Numidas Afros, aut inter Scythas quæro: idem enim vocabulum Gedar, & eodem modo ſcriptum; quo hic in Canticis, & Pſ.CXIX. (hebraice CXX.) 5. legitur, recurrit Iſ. XXI. 16. ubi manifeſte ad Arabiam pertinere oſtendit verſus 13. Quod de Arabico populo etiam dictum Pſalmi locum interpretor: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar*. Dolet de ſua tam diuturna peregrinatione, ut Hebraica declarant: in quibus additur, Habitavi cum tabernaculis Cedar. vagus nimirum, nec ulla certa ſede, Cedarenorum inſtar; & inter homines agreſtes & aſperos, quales illi Arabes erant.

Cedrus. Allegoria Ez. XVII. 22. ſqq. etiam fatentibus Hebræis doctoribus, Meſſiam ſignificat.

Celeuma. Jer. XXV. 30. Græcum dicitur & celeuſma. Eſt cantus, quo remiges ab laborem incitabantur. Hoc Jeremiæ loco de iis accipitur, qui uvas calcant: ſed torcular eſt allegoricum, furoris Domini.

Celte. Votum Jobi eſt, ut exarentur ſermones ſui *ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice*. Job XIX. 24. *Celtis* latinitati mediæ idem erat, quod *cælum* priſcæ. Multi pro *celte* maluerunt *certe*: quorum argumenta congeſſit Franciſcus Lucas Notatione 82. in Sacra Biblia. Verum, ut cetera leviora prætercam, ſiquid Hebraica & Chaldaica roboris contra Vulgatam haberent, non *certe*, ſed *in perpetuum* legendum eſſet. Adde, quod ſatis per ſe quiſque intelligit, firmiter & in perpetuum eſſe ſcriptum, quidquid a cælatore inſculptum in ſilice eſt.

Cephas. Nomen ſyriacum, & hebraicum, Apoſtolorum principi a Servatore inditum. *Tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus*. Joan. I. 42. petram enim ſeu ſaxum ſignificat. Latinis nativam elegan-

tiam aſſequi non licuit; cum *Petrus* & *petra* genere grammatico differant, quæ in hebraico, ſyriaco, & chaldaico, ejuſdem ſunt generis, ſive de homine, ſive de lapide accipiantur. Quemadmodum apud Germanos *Stein*, apud Gallos *Pierre*, *Roche*, & *Roc*, propria virorum nomina eſſe genere maſculino poſſunt. Græco *Petros* idem ornamentum ſenſûs gemini ineſt: neque enim, ut vulgus putat, *petra* tantum græce dicitur, ſed & *petros*, ut ex Homero & Xenophonte inter eruditos compertum eſt. Quod autem ex Optato Milevitano voci huic aſtruere græcam originem conantur aliqui, quaſi Cephas a capite dictus ſit, quippe totius Chriſtiani corporis caput: id religioſe magis, quam perite affirmant, detruncato vocabulo, & repugnante apertiſſime quantitate: *Cephas* enim vocalem *eta* ſeu *ita*, natura longam, in prima ſyllaba habet; *Kephale*, *cephalicus*, *cephalalgia*, *bucephalus*, *acephalus*, & quæcunque ſtirpis ejuſdem ſunt, ante aſpiratam *ph* epſilon, natura breve, exhibent. Quis præterea credat, voluiſſe Chriſtum, non patrio ac vernaculo, ſed externo & græco nomine Eccleſiæ ſuæ principem inſignire?

Certor. *De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris.* Eccl. XI. 9. Ne certes, ne contendas. Verbum deponens pro activo: ut *ſupercertari - - - fidei*, Jud. v. 3. certare pro fide.

Cervicatus. *Sicut ſexcenta millia peditum, qui congregati ſunt in duritia cordis ſui: & ſi unus fuiſſet cervicatus* (græce eſt, *duræ cervicis*) *mirum, ſi fuiſſet immunis.* Eccl. XVI. 11. Sicuti Deus totum exercitum Hebræorum pervicacium puniit, ita ne uni quidem e ſexcentis millibus peccanti peperciſſet. Atque ita caſtigatos videmus tum Achanem, tum eum, qui diem ſabbati violaverat.

Cervus. *Vox Domini præparantis cervos.* Pſ. XXVIII. 9. Cervæ, cum partus habeant difficiles, ſubito terrore ſolvuntur, dumque cælum & ſylvæ tonitribus contremunt, perculſæ fœtum edunt. Græcum *elaphos* utriuſque eſt generis: quod ſecutus noſter *cervos* pro *cervas* poſuit.

Cetei. Romani *Philippum*, *&* *Perſen Ceteorum regem* contriverunt. I. Mach. VIII. 5. Macedonum regem utrumque. Ambos armis ita fregerunt, ut Philippum patrem ad infimas quaſque conditiones adigerent; Perſeum filium, regno exutum, in triumpho cum liberis in Capitolium ducerent.

Cethim. Pro Macedonia, ut modo *Cetei* pro Macedonibus. dicitur enim *Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra Cethim.* I. Mach. I. 1. Sed latius etiam pro Græcia, & inſulis extra Græciam ſitis, accipitur Iſ. XXIII. 1. *Ululate naves maris*: quia Tyrus vaſtata eſt, ad quam undique commeare mercimonii gratia ſolebatis. *de terra Cethim revelatum eſt eis*, onerariis mercatorum navibus: *de*, id eſt, *ex* inſulis mediterranei maris, ex Græcia ipſa, fortaſſis & ex Italia, viciniſve inſulis, nunciatum eis eſt, periiſſe Tyrum, ejuſque incolas penitus proſtratos tacere. *tacete, qui habitatis in inſula*. ibid. v. 2. Nondum enim tum continenti junctam fuiſſe Tyrum, ſed inſulam, e Curtio intelligimus.

Cham. *Jacob accola fuit in terra Cham.* Pſ. CIV. 23. Jacobi poſteritas, Hebraicus populus, *accola*, i. e. incola fuit, hebr. peregrinatus eſt, in Ægypto. Nam gentis Ægyptiæ conditor Meſraim filius Chami fuit ſecundo loco genitus. Gen. X. 6. & I. Par. I. 8. Unde & hebraicum Ægypti nomen, *Midſrajin*. Eodem modo, *in tabernaculis Cham*, Pſ. LXXVII. 51. nihil eſt aliud, ac in Ægypto.

Chamos. *Confundetur Moab a Chamos, ſicut confuſa eſt domus Iſrael a Bethel, in qua habebat fiduciam.* Jer. XLVIII. 13. In ruborem dabitur Moab a falſo Deo ſuo Chamos, ut Iſrael a vitulo, quem in urbe Bethel adoravit, inani ejus fiducia fretus.

Chanaan. Ita propter ſcelerum immanitatem appellati nonnunquam a prophetis Hebræi. *Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa, calumniam dilexit.* Oſ. XII. 7. Populus meus, ſimilis Chananæo, judicia pervertit, & calumniis innocentes oppreſſit. *Conticuit omnis populus Chanaan, diſperierunt omnes involuti argento.* Soph. I. 11. Obmutuerunt attoniti, jamque excidio proximi,

He-

Hebræi hi ſuo nomine indigni, & criminoſo divitiarum amore impliciti. *Semen Chanaan, & non Juda*, vocatur alter impiorum ſenum, Suſannæ interitum machinantium, Dan. XIII. 56. Quemadmodum ad nefarios Hieroſolymæ proceres, ceteroſque incolas dicitur: *Audite verbum Domini principes Sodomorum, -- populus Gomorrhæ*. Iſ. I. 10. Quale & illud.: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*. Ez. XVI. 3.

CHARCAMIS. In proſopopœja ſacrilega Sennacheribi: *Nunquid non ut Charcamis, ſic Calano; & ut Arphad, ſic Emath? nunquid non ut Damaſcus, ſic Samaria?* Iſ. X. 9. Charcamis urbs præclara Syriæ: Calano, regum Parthorum ſedes. Arphad, Damaſco vicina: & Emath, quæ deinde Antiochia dicta eſt, totius Romani imperii urbs tertia fuit. Hebræorum DEUM perinde aſpernabatur Sennacherib, ut inanes ceterarum gentium deos; cum tamen non niſi inſtrumentum eſſet (ibid. v. 15.) quo ad caſtigandum ſuum populum DEUS tum utebatur.

CHARITAS. Vide *Caritas*.

CHARMEL. *Erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur*. Iſ. XXXII. 15. Allegoria gentium, & Synagogæ: illarum ſterile ſolum, dum Meſſiam adorabunt, amœnitatem & fertilitatem ſummam induet: at Synagoga, dum eum repudiabit, amiſſa ubertate priſtina, inculti & horridi ſaltus inſtar ſylveſcet.

CHERUB. CHERUBIM. Cherub ſingulari numero, Cherubim plurali dicitur, utrumque hebraice genere maſculino: græce tamen Hebr. IX. 5. Cherubim cum neutro genere legitur, quod Vulgata ibidem & Ez. X. 15. imitata eſt. Ad ineptias igitur ablega, erudite Lector, illum vulgi errorem, ex indoctis imaginibus maxime hauſtum, paradiſi aditum ab uno tantum cæleſti & armato genio cuſtodiri: quandoquidem DEUS *collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim*. Gen. III. 24. Qui latino more *Cherubinum* & *Cherubinos* inflectunt, habent, qua ſe tueantur, linguam chaldaicam: illa etenim pluralem numerum facit, *Keruvin*, *m* hebraico in *n* mutato.

2. Qui ſedet ſuper Cherubim. Pſ. LXXIX. 2. videli-

delicet ſupra arcam fœderis, quam ſtantes hinc & illinc Cherubim tegebant. in aureo quippe propitiatorio veluti habitabat majeſtas Divina, unde oracula fundebantur. *Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim*. Ex. XXV. 22. Poſſis & ſic exponere: qui in cæleſti ſuo ſolio etiam ſublimiſſimis ſpiritibus imperat.

3. Cherub extentus. Ad regem Tyri dicitur: *Tu Cherub extentus, & protegens*. Ez. XXVIII. 14. Ut Cherubinos in monte Sion, ita te, inquit Dominus, in monte tuo & arce regia collocavi. Scientia & providentia te illuſtravi: protegendi populi tui potentiam late extendi. Quod multi hæc & ſqq. ad Luciferum trahunt, myſticum eſt.

Chodchod. Gemma pretioſa. Ez. XXVII. 16. Occurrit & Iſ. LIV. 12. ubi noſter jaſpidem vertit.

Choerogryllus. Animal erinacei ſeu hyſtricis formam referens, & inſtar cuniculi in ſpeluncis habitans. Quapropter nunc erinaceus, nunc cuniculus vertitur. In Palæſtina frequens eſt teſte D. Hieronymo epiſt. ad Suniam & Fretelam.

Chorus. *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Cant. VII. 1. Tam læta & alacria, ſimul autem tam ordinata & compoſita omnia in Sulamitide ſunt; quam in ordinibus triumphantis exercitus:

Christus. Nomen hoc, ſi per ſe ipſum ſpectetur, non eſt in propria, ſed appellativa referendum: cum enim unctum ſignificet, ſacerdotibus regibuſque commune eſt. Inde illa: *Nolite tangere chriſtos meos*. I. Par. XVI. 22. & Pſ. CIV. 15. *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* Samuel, ingreſſo Eliabo, fratre Davidis natu maximo, I. Reg. XVI. 6. Ita & Sauli, ac Davidi, id nomen tribuitur; imo etiam Cyro: *Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro*. Iſ. XLV. 1. *Qui eſt de genere chriſtorum ſacerdotum*. II. Mach. I. 10. Antonomaſtice tamen Chriſtus dicitur Filius Dei vivi, Meſſias noſter: nam Hebræis *Maſchiach* ſeu *Meſſias* eodem prorſus modo ſignificat Unctum; quo Græcis vocabulum *Chriſtos*. Quamobrem ſcriptum eſt: *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam* Jesus *eſt*

Chriſtus? Hic eſt antichriſtus. I. Joan. II. 22. Opponit enim ſe Chriſto ſive Meſſiæ illi, promiſſo patribus, a vatibus prænunciato, homini Deo.

2. Differre chriſtum. *Tu vero repuliſti & deſpexiſti: diſtuliſti chriſtum tuum.* Pſ. LXXXVIII. 39. Sermo eſt de Hebræorum captivitate, in qua Deus, velut populi ſui oblitus, eum rejicit & contemnit. Chriſtum vero ſuum, unctum a ſe populi ſui regem, differt, id eſt, abjicit; ſeu, ut LXX. habent, amovet, repellit; idque excandeſcens, ut eſt in hebraico. Ex quibus apparet, ambiguitate vocabuli deceptos eos, qui hæc de dilato Meſſiæ magni adventu interpretati ſunt: quis enim dicat, *excanduiſſe* Patrem Divinum *adverſus chriſtum* ſuum Filium? atqui ſic habet veritas hebraica, non utique de Homine Deo, ſed de homine impio, rege Judæ, intelligenda.

3. Egredi cum chriſto. Moleſtus locus eſt in cantico Habacuc, quam ſublimi, tam obſcuro. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum chriſto tuo: Percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum.* Hab. III. 13. Quis ille chriſtus? Sedecias, inquiunt. verum an ille *in ſalutem?* qui omnia peſſumdedit, ac evertit. Cyrus. at non eſt egreſſus. Rectius ergo de exitu Iſraelis ex Ægypto accipies: de quo & præcedentia, & verſus 15. Chriſtus itaque hoc loco vel eſt Moyſes, ſpiritu divino unctus; vel Aaron, qui deinde pontifex vere unctus eſt. Caput de domo impii Pharao ipſe eſt, aut filius ejus primo loco genitus. Tota domus ad fundamentum uſque diruta tum eſt, cum totum Pharaonis exercitum pelagus hauſit. nam *uſque ad collum* Hebræis eſt omnino, penitus, funditus. Qui Sedeciam aut Cyrum eligunt, in Pharaonis locum ſubſtituunt Nabuchodonoſorem, cum tota familia exciſum. Sed vereor, ne id cum injuria Nabuchodonoſoris faciant, quem impium non auſim dicere, poſtquam ejus pœnitentiam Divini Libri teſtati ſunt, nec deinde lapſus ullius novi meminerunt: ut optima ſpes ſalutis etiam æternæ de illo nobis relicta ſit, nedum ut cognomento impii memoria ejus debeat commaculari.

Al-

Allegorice facilia omnia: impius eſt Satan; caput in ejus domo, Antichriſtus; Chriſtus, cum quo Deus in ſalutem populi ſui egreditur, Dominus Jesus.

Chytropus. *Chytropodes*. Lev. XI. 35. a nominativo græco *chytropus*; ollæ pes ſive ſuſtentaculum.

Cibus. *Omnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus cibo melior. Fauces contingunt cibum feræ* (carnem ferinam) *& cor ſenſatum verba mendacia*. Eccl. XXXVI. 20. ſq. Similitudo peringenioſa. Ut corpus cibo paſcitur, ſic animus cognitione. Quemadmodum vero cibus alius eſt alio melior, quidam etiam noxius, ita in cognoſcendo alia ſunt aliis utiliora, quædam etiam damnoſa, cum falſitas ſub ſpecie veritatis obrepit. Sapiens animus; ſive *cor ſenſatum* (ita habent fons græcus, & latina exemplaria emendata; non, ut quidam male legunt, *inſenſatum*) diſcernit a vero mendacium, illudque rejicit: ſicut palatum ſanum ac ſubtile mox deprehendit ferinam juſto aſperiorem, ac digeſtioni parum idoneam.

Cidaris. *Hæc dicit Dominus* Deus: *Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc eſt, quæ humilem ſublevavit, & ſublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non factum eſt, donec veniret cujus eſt judicium, & tradam ei*. Ez. XXI. 26. ſq. Cidaris erat pontificis maximi, corona regis: utriuſque ruina prædicitur, quia poteſtate ſua abuſæ, depreſſerunt ac extulerunt quoslibet, nihil judicio, omnia pro libidine & inique agentes. Hanc iniquitatem, graviſſimam & multiplicem, in apricum nunc extraham, & ſevere plectam. Quæ ſuperſunt, duplicem expoſitionem recipiunt. altera plana eſt & obvia, de Nabuchodonoſore: non fiet hoc, quod minatus ſum, donec rex ille veniat, cui judicium hoc commiſi, ſacra & civilia veſtra omnia ei ſuo tempore ſubjecturus. altera ſubtilior & nobilior, de Meſſia; plene hoc non fiet, non abolebo penitus gentis meæ regnum & ſacerdotium, donec veniat Chriſtus, cui utrumque tradam, & penes quem rerum omnium judicium erit. Quidam *iniquitatem* ex hebraico aliter interpretantur, contra quos Vulgatam tuebor Voc. *Iniquitas*.

Cingulum. Ad Tyrum, ab hoſtibus evertendam: *Tranſi terram tuam quaſi flumen, filia maris: non eſt cingulum ultra tibi*. Iſ. XXIII. 10. Tyre, urbs maritima, ſcito, te de terra, quam occupas, tanta celeritate ablatum iri, quanta flumen delabitur. non jam eſt tibi cingulum, ſive præſidiarii militis, ſive munimentorum, ſive etiam maris, quo præcincta hoſtium impetum contemnebas.

Ciniphes. Sive ſciniphes. culicum genus eſt minutiſſimum. Inter Ægyptias decem plagas numerantur a Vulgata, Ex. VIII. 16. ſqq. & Pſ. CIV. 31. Hebraicum tamen vocabulum, quod utrobique uſurpatur, pediculos ſignificat.

Cinis. *Cinerem tamquam panem manducabam*. Pſ. CI. 10. Vel quia panem comederet ſub cinere coctum, quippe cui particulæ cinerum adhæreſcerent: vel quia in luctu capiti aſperſiſſet cinerem, ejuſque partem aliquam in cibum delapſam una ederet. Exempla ſanctorum aliquot virorum e Chriſtianis heroibus, qui cinerem admiſcuiſſe ultro cibis leguntur, ad prophetam traducere ſi cum quibuſdam volueris: vide, ne in te conſurgant critici, & divinationem attuliſſe te potius, quam expoſitionem ſolidam dicant. quid enim? an toti Hebræorum populo eandem ſanctimoniæ celſitatem tribues? atqui de illo captivitatis tempore dicitur: *cibavit me cinere*. Thren. III. 16. Simpliciſſime de utroque loco dixeris, vim habere adagii, ad ſummam animi triſtitiam, & ſordes ſqualloremque corporis indicandam.

Cinyra. I. Mach. IV. 54. & XIII. 51. Inſtrumenti muſici genus, citharæ ſimillimum, decem chordarum, plectro pulſari ſolitum.

Circuitus. *In circuitu impii ambulant*. Pſ. XI. 9. Hebraice & græce undique, circumcirca, ex omni parte. Circumeunt quærentes, unde juſto noceant. Sed, ut ingenioſe D. Thomas Aquinas obſervat, veluti in orbem currentes, ad exitum non perveniunt, & protegente bonos viros Deo, finem ſuum malignum non conſequuntur.

Circumcisio. Chriſtum Paulus dicit *miniſtrum fuiſ-*

ſe

ſe circumciſionis. Rom. XV. 8. Apoſtolum ſcilicet Hebraici populi, Doctorem Synagogæ, gentis electæ Magiſtrum.

Circumdo. *Ne forte dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinventiones ſuæ, coram facie mea factæ ſunt*. Pſ. VII. 2. Ne putent, ſe a me caſtigari propter vetera patrum ſuorum delicta, ſciant, dare ſe pœnas eorum, quæ nunc patrant, quæ præſentia oculis meis intueor.

2. Femina virum circumdans. *Creavit Dominus novum ſuper terram: femina circumdabit virum*. Jer. XXXI. 22. Virgo Maria Jesum, qui etiam antequam natus, ſapientia vir erat. Hoc *novum*: quod ipurcidici Rabini comminiſcuntur, antiquum & quotidianum eſt, non novum.

Circumpedes. Eccl. XLV. 10. Veſtis talaris eſt magni ſacerdotis, ut nomen græcum oſtendit.

Circumspector. *Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum*. Eccl. XXXVII. 18. Vir ſanctus interdum veriora edicit, quam multi ſpeculatores, etſi vigiles & attenti.

Cisterna. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit* (Jeruſalem) *malitiam ſuam*. Jer. VI. 7. Calorem virtutis, & gratiæ vitam extinxit., inquit D. Hieronymus.

Cito. *Crediderunt verbis ejus: & laudaverunt laudem ejus. Cito fecerunt; obliti ſunt operum ejus, & non ſuſtinuerunt conſilium ejus*. Pſ. CV. 12. ſq. *Cito fecerunt*, more hebraico, non verbi officio fungitur, ſed meri adverbii: propediem, brevi, celeriter. Crediderunt primo, & laudarunt Deum: ſed paulo poſt, operum ejus obliti, auſcultare Divinis monitis deſierunt.

Civitas Solis. Una e quinque civitatibus, de quibus Iſ. XIX. 18. Heliopolis eſt, e primariis Ægypti urbibus, ſacerdotum ſedes.

2. Civitates accipere in vanitate. Pſ. CXXXVIII. 20. Quid hoc ſit, dicam in Voc. *Vanitas*.

Clau-

Claudico. *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem*. Mich.IV.6. *Salvabo claudicantem*. Soph. III.19. Synagogam optime interpretatur B. Hieronymus, quæ inter Deum & ſimulacra, inter bonum & malum, ſemper claudicarat. *Ponam claudicantem in reliquias*. Mich.IV.7. Colligam Synagogæ reliquias, & ad ſalutem adducam. Quod promiſſum a Chriſto & apoſtolis impleri cœptum eſt, & impletur quotidie, cumulate vero in fine ſeculorum implebitur.

Claudo. *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulcro*. Eccl. XXX.18. Divitiæ avaro, guſtare non audenti, nihilo magis proſunt, quam ſepulto epulæ.

Cleophas. *Maria Cleophæ*. Joann. XIX. 25. Helleniſmus hic, græcis auctoribus perfamiliaris, filium aut filiam indicat: ut, Alexander Philippi, Thucydides Olori; nimirum Philippi filius, Olori filius. At hoc Evangelii loco Maria non filia Cleophæ, ſed uxor intelligenda. Cornelius a Lapide in l. d. non uxorem ſolum Cleophæ, ſed & matrem apoſtolorum Judæ Thaddæi & Jacobi minoris appellat. Quod ſi ita eſt, cum clariſſimis quibuſdam auctoribus ſtatuendum erit, Alphæum Jacobi patrem fuiſſe binominem, & Cleopham quoque appellatum. Verum ego alia omnia cenſeo, quemadmodum declarabo, ubi de *Jacobo* diſputandum erit.

Clerus. Græcum, fors: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*. Pſ. LXVII. 14. Cum ſecuri quieſcetis intra terminos, ſorte vobis in terra promiſſa diſtribuendos: eritis ſicut columba. (nam particula *ſicut* non raro ab Hebræis reticetur.) Placebit mihi tum populus meus inſtar columbæ, cujus pennæ, e candidis & flavis mixtæ, ad ſolem ceu argentum & pallidum aurum fulgent. Aliqui tamen ſortes in ſiniſtram partem accipiunt, hoc modo: etiamſi proſtrati jaceatis, jamque de vobis inter ſe partiendis ab hoſtibus ſortes ducantur: repente tamen liberati evolabitis, inſtar nitidæ columbæ, cujus celerrima fuga eſt. Allegorice columba hæc eſt eccleſia, inter legis antiquæ

ac

ec novæ terminos, Divini eloquii & ſapientiæ argento, auroque caritatis effulgens.

Clibanus. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt a facie tempeſtatum famis*. Thr. V. 10. Diræ famis atrocitate decolores & ſordidi ſquallemus.

Clusor. IV. Reg. XXIV. 14. & 16. Utroque verſu eſt hebr. *maſger*, de quo plura Voc. *Incluſor*. quod vide

Coagulo. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*. Pſ. CXVIII. 70. Cor improborum Divina non percipit, ſtupidum, concretum, craſſum, ſimile coeunti lacti, vel adipi: nomen enim hebraicum pro utroque exponi poteſt.

Coangusto. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt*. Iſ. XXVIII. 20. Familiari ſimilitudine oſtendit, fieri non poſſe, ut cum falſo deo ſimul verus colatur.

Coccineus. *Viri exercitus* (Nabuchodonoſoris tribuni & præfecti militares) *in coccineis*. Nah. II. 3. ſagis aut paludamentis coccineis ornati.

Coccinum. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum* (ſive, ut in hebraico ſignificantius dicitur, ut dibapha, bis tincta) *quaſi nix dealbabuntur*. Iſ. I. 18. Dixerat v. 15. manus eorum ſanguine plenas eſſe. Pœnitentibus tamen, per ſplendidam allegoriam, veniam gratiamque offert, ſublata omnis peccati turpitudine nivis inſtar coruſcaturis.

Cocytus. Res impiorum ſecundas enumerans Jobus, hoc etiam addit: *Dulcis fuit glareis Cocyti, & poſt ſe omnem hominem trahet, & ante ſe innumerabiles*. Job. XXI. 33. Cocytus pro quovis fluvio aut torrente: hebraica enim, chaldaica, LXX. conſenſu torrentem habent. Ornamenti gratia noſter Cocytum poſuit, letalem fluvium: quoniam de morte ſermo eſt. Etiam in hac, inquit Jobus, ſolatium reperit impius, quippe gnarus, ſe in ripæ vicinæ arena humandum, non ſine pompa & ſpectaculo elatum iri; memor præterea, omnes ante ac poſt ſe mortuos & morituros. Poetice vero dictum eſt, *Dulcis fuit glareis*; pro, *Dulces illi fuere glareæ*. q. d. ſepulchrali etiam arenæ ſuæ jucundus occurrit.

Cof-

Coenomyia. *Miſit in eos* (Ægyptios) *cœnomyiam*. Pſ. LXXVII. 45. *Dixit & venit cœnomyia*. Pſ. CIV. 31. Legerunt nonnulli, etiam maximi nominis auctores, *cynomyiam*, ſeu muſcam caninam: quorum tamen errorem jam olim redarguit magnus Hieronymus, atque ipſe fons hebraicus convincit, qui non caninam muſcam ſeu cynomyiam, ſed omne genus muſcarum habet, quod græca elegantia & felicitate una vox *cœnomyia* exprimit. Atque ita Moyſes ipſe *omne genus muſcarum*, & *diverſi generis* muſcas appellat Ex. VIII. 21.

Cogitatio. Contra Aſſyrios, ut ipſe titulus Pſalmi declarat, ita vates ad Deum loquitur: *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*. Pſ. LXXV. 11. Si hebraica, græca, & noſtra, ad unam ſummam referamus, hæc prodit ſententia: Ipſa *cogitatio* irata *hominis* Aſſyrii *confitebitur tibi*, laudabit te, ſeu cedet in laudem tuam, qui tam facile omnem ejus iram & vim una nocte oppreſſeris: *&*, ſi hoſtilem animum ac iram reſumpſerint Aſſyrii, etiam hæ *reliquiæ* prioris *cogitationis* te rurſum contra hanc gentem armabunt, ac *diem feſtum agent tibi*, dum cauſſa erunt inſtituendi a tuo populo diei feſti, quo grates debitæ liberatori omnipotenti agantur.

Cogito. *Comprehenduntur in conſiliis, quibus cogitant*. Pſ. IX. 23. ideſt, *quæ*. Helleniſmus, quem interpres noſter e græco expreſſit. D. Hieronymus: capiantur in ſceleribus, quæ cogitaverunt.

Cognatio. Promiſerat Deus: *multiplicabo ſemen David ſervi mei, & Levitas miniſtros meos*. Jer. XXXIII. 22. Reprehendit ergo incredulos, & huic Divino oraculo diffidentes, qui dicebant: *duæ cognationes*, *quas elegerat Dominus*, (genus regium Davidis, & ſacerdotale Aaronis) *abjectæ ſunt*. ibid. v. 24.

Colaphizo. I. Petr. II. 20. Græcum. capiti pugnum impingo. Metaphorice Paulus: *Ne magnitudo revelationum extollat me; datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet*. II. Cor. XII. 7. Theophilus Raynaudus aſceticam illorum pietatem irridet, qui, ut falſe loquitur, perizomata Paulo conſuere aggreſſi, hæc ejus verba ad vehementem capitis dolorem ſane

 quam

ac novæ terminos, Divini eloquii & ſapientiæ argento, auroque caritatis effulgens.

Clibanus. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt a facie tempeſtatum famis*. Thr. V. 10. Diræ famis atrocitate decolores & ſordidi ſquallemus.

Clusor. IV. Reg. XXIV. 14. & 16. Utroque verſu eſt hebr. *maſger*, de quo plura Voc. *Incluſor*. quod vide

Coagulo. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*. Pſ. CXVIII. 70. Cor improborum Divina non percipit, ſtupidum, concretum, craſſum, ſimile coeunti lacti, vel adipi: nomen enim hebraicum pro utroque exponi poteſt.

Coangusto. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt*. Iſ. XXVIII. 20. Familiari ſimilitudine oſtendit, fieri non poſſe, ut cum falſo deo ſimul verus colatur.

Coccineus. *Viri exercitus* (Nabuchodonoſoris tribuni & præfecti militares) *in coccineis*. Nah. II. 3. ſagis aut paludamentis coccineis ornati.

Coccinum. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum* (ſive, ut in hebraico ſignificantius dicitur, ut dibapha, bis tincta) *quaſi nix dealbabuntur*. Iſ. I. 18. Dixerat v. 15. manus eorum ſanguine plenas eſſe. Pœnitentibus tamen, per ſplendidam allegoriam, veniam gratiamque offert, ſublata omnis peccati turpitudine nivis inſtar coruſcaturis.

Cocytus. Res impiorum ſecundas enumerans Jobus, hoc etiam addit: *Dulcis fuit glareis Cocyti*, & *poſt ſe omnem hominem trahet*, & *ante ſe innumerabiles*. Job. XXI. 33. Cocytus pro quovis fluvio aut torrente: hebraica enim, chaldaica, LXX. conſenſu torrentem habent. Ornamenti gratia noſter Cocytum poſuit, letalem fluvium: quoniam de morte ſermo eſt. Etiam in hac, inquit Jobus., ſolatium reperit impius, quippe gnarus, ſe in ripæ vicinæ arena humandum, non ſine pompa & ſpectaculo elatum iri; memor præterea, omnes ante ac poſt ſe mortuos & morituros. Poetice vero dictum eſt, *Dulcis fuit glareis*; pro, *Dulces illi fuere glareæ*. q. d. ſepulchrali etiam arenæ ſuæ jucundus occurrit.

Coenomyia. *Miſit in eos* (Ægyptios) *cœnomyiam*. Pſ. LXXVII. 45. *Dixit & venit cœnomyia*. Pſ. CIV. 31. Legerunt nonnulli, etiam maximi nominis auctores, *cynomyiam*, ſeu muſcam caninam: quorum tamen errorem jam olim redarguit magnus Hieronymus, atque ipſe fons hebraicus convincit, qui non caninam muſcam ſeu cynomyiam, ſed omne genus muſcarum habet, quod græca elegantia & felicitate una vox *cœnomyia* exprimit. Atque ita Moyſes ipſe *omne genus muſcarum*, & *diverſi generis* muſcas appellat Ex. VIII. 21.

Cogitatio. Contra Aſſyrios, ut ipſe titulus Pſalmi declarat, ita vates ad Deum loquitur: *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*. Pſ. LXXV. 11. Si hebraica, græca, & noſtra, ad unam ſummam referamus, hæc prodit ſententia: Ipſa *cogitatio* irata *hominis* Aſſyrii *confitebitur tibi*, laudabit te, ſeu cedet in laudem tuam, qui tam facile omnem ejus iram & vim una nocte oppreſſeris: *&*, ſi hoſtilem animum ac iram reſumpſerint Aſſyrii, etiam hæ *reliquiæ* prioris *cogitationis* te rurſum contra hanc gentem armabunt, ac *diem feſtum agent tibi*, dum cauſſa erunt inſtituendi a tuo populo diei feſti, quo grates debitæ liberatori omnipotenti agantur.

Cogito. *Comprehenduntur in conſiliis, quibus cogitant*. Pſ. IX. 23. ideſt, *quæ*. Helleniſmus, quem interpres noſter e græco expreſſit. D. Hieronymus: capiantur in ſceleribus, quæ cogitaverunt.

Cognatio. Promiſerat Deus: *multiplicabo ſemen David ſervi mei, & Levitas miniſtros meos*. Jer. XXXIII. 22. Reprehendit ergo incredulos, & huic Divino oraculo diffidentes, qui dicebant: *duæ cognationes, quas elegerat Dominus*, (genus regium Davidis, & ſacerdotale Aaronis) *abjectæ ſunt*. ibid. v. 24.

Colaphizo. I. Petr. II. 20. Græcum. capiti pugnum impingo. Metaphorice Paulus: *Ne magnitudo revelationum extollat me; datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet*. II. Cor. XII. 7. Theophilus Raynaudus aſceticam illorum pietatem irridet, qui, ut falſe loquitur, perizomata Paulo conſuere aggreſſi, hæc ejus verba ad vehementem capitis dolorem ſane

quam violenter detorſerunt. Poteratne Paulus dilucidius, quam cum *ſtimulum carnis* dixit? Tanta animi fortitudine ac magnitudine vir dolorem capitis tam ſollicite toties deprecaretur? *ter Dominum rogavi*. id eſt, ſæpe. ibid. v. 8. Ingenioſe autem & verecunde apoſtolus hæc libidinis irritamenta colaphos appellavit, qui detrimenti nihil, doloris non parum, pudoris vero plurimum ſibi afferrent.

Collecta. Pro ſymbola plurium, ſeu collatitio ære, quo ſenſu in Paulinis epiſtolis legitur, latinitatis eſt aureæ, & ab ipſo Tullio uſurpatum. In veteris autem inſtrumenti libris quoties collecta nominatur, quod univerſe fit quater, nunquam collectio pecuniæ, ſed populi congregatio ſeu cœtus ille ſignificatur, qui in diem ſolennis feſti ultimum incidebat: ubique enim in hebraico vox adhibetur, quæ feſti clauſulam indicat. Lev. XXIII. 36. Deut. XVI. 8. II. Verb. Dierum (nobis II. Paral.) VII. 9. Nehemiæ (nobis II. Eſdr.) VIII. 18.

Collectio. *Non deſerentes collectionem noſtram*. Hebr. X. 25. Nolite deſerere ſocietatem noſtram.

Colligo. *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus*. Oſ. XIII. 12. Populi Iſraelitici delicta omnia velut in acta judiciali conſuetudine relata ſunt: hæc acta, in unum faſciculum collecta, judicii tempus expectant. Illuſtravi hunc Oſeæ locum ex Deut. XXXII. 34. in Voc. *Abſconditus*.

2. Colligare vulnera. *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera ejus*. Eccl. XXX. 7. Variæ ſunt græcorum codicum lectiones, præterquam quod *vulnera ſua* græco & hebraico more tam ad patris, quam ad filiorum vulnera referri poſſit. Pater, ut animis filiorum proſpiciat, vel ipſe ferre vulnera, eaque proinde etiam obligare ſibi non dubitabit. Vel: fauciabit ipſe ultro filios, ſi ad animorum ſalutem neceſſe ſit: aut, ſi aliunde vulnus acceperint, id ipſe curabit & obligabit.

3. Colligi, pro mori. *Viri miſericordiæ colliguntur ..... a facie enim malitiæ collectus eſt juſtus*. Iſ. LVII. 1. Viri miſericordes & juſti moriuntur, ne mala publica intueri, vel etiam ſentire ipſi cogantur. Phraſis

ei ſi-

ei ſimillima, qua morientes *congregari ad populum ſuum* dicebantur; ut Abraham Gen. XXV. 8. & Jacob Gen. XLIX. 29.

Collum. Sennacherib per Judæam, rapidiſſimi fluvii inſtar, feretur *inundans, & tranſiens uſque ad collum veniet*. Iſ. VIII.8. Univerſam enim regionem ceperat, ſolo regni capite, Hieroſolyma, excepto.

2. Denudare uſque ad collum. *Denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum*. Hab. III. 13. Funditus evertiſti, diruiſti uſquequaque domum & potentiam ejus; Pharaonis, non Nabuchodonoſoris, ut oſtendi Voc. *Chriſtus*.

Collyrium. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*. Apoc. III. 18. Oculorum medicamentum eſt, diſtillationem impediens: unde illi & nomenclatio, quod *prohibeat fluere*.

Coluber. *Spiritus ejus* (Dei conditoris omnium) *ornavit cælos: & obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus*. Job. XXVI. 13. Quia prior verſiculi pars mentionem cæli facit, coluber quoque certatim in cælo quæſitus eſt. Hic viam lacteam, ille zodiacum, alius ſidus alterutrum ſerpentis aut hydræ, alius etiam fulmen exiſtimavit. Placet Jacobus Tirinus, quantæ claritatis & brevitatis, tantæ ſedulitatis & judicii interpres, qui, *ſimplicius*, inquit, *exponendum videtur de quovis colubro naturali, maxime marino: unde Chaldæus vertit Leviathan, ſeu balænam*. Cum qua expoſitione valde conſentit hebraicum: formavit manus ejus ſerpentem lubricum, oblongum, teretem. Quod Vulgata optime reddit: nam quod ſimul eſt lubricum & oblongum, idem tortuoſum eſt ſeu flexuoſum. De malo dæmone, ſenſu myſtico, magni viri accipiunt. ſed verbum *eduxit*, pro *ejecit e cælo*, vel *ex animis pœnitentium expulit*, hebraico fonti parum congruit, in quo, ut dixi, habetur *formavit, perfecit*: quapropter intelligendum eſt, *eduxit* ex nihilo.

Columba. *Facta eſt terra eorum in deſolationem a facie iræ columbæ* Jer. XXV. 38. Vaſtata eſt a Babyloniis: quorum inſigne columba erat, eo quod regina illorum potentiſſima Semiramis a columbis enutrita,

H 2 ac de-

ac denique in columbam mutata crederetur. Idem eſt Jer. XLVI. 16. *a facie gladii columbæ*. At Jer. L. 16. *a facie gladii columbæ* paſſive commodius accipitur, quam active; pro gladio nimirum, quo feritur Babylon non quo ferit: ibi enim ejus urbis excidium narratur. Sunt, qui poſtremo hoc loco gladium columbæ interpretentur gladium Perſarum, propterea quod victa Babylone Perſæ inſigne quoque illius columbam uſurparint. Verum iſtud cum ratione temporum conciliari non poteſt: quandoquidem propheta de Perſis Babylonem evertentibus narrat: atqui everſa inſignia tum demum arrogare ſibi potuerunt, poſtquam vicerant, non cum victuri veniebant.

2. Columba Ephraim. *Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Ægyptum invocabant, ad Aſſyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos* cet. Oſ. VII. 11. ſq. Aliæ aves pro pullis decertant, iis ablatis mœrori ſe dedunt: columba vecors, & ſenſus expers, ad eos ipſos abſque doloris indicio redit, qui pullos e nido ſibi rapuere. Sic ſtultus Iſrael ab illis opem petit, a quibus per partes aſſidue carpitur; ab Ægyptiis nimirum, & Aſſyriis. at hi ipſi rete meum erunt, quo columbas has fugientes capiam, morte delendas.

3. Columba provocatrix. *Væ provocatrix, & redempta civitas, columba*. Soph. III. 1. Væ Jeroſolymæ columbæ prius cariſſimæ, nunc vecordi, quæ toties a Domino liberata, toties eum ad iram provocat.

4. Columba deargentata, cujus dorſum in pallore auri, Pſ. LXVII. 14. tractata eſt a me in Voc. *Clerus*.

Coma: Minatur Deus ſupplicium iis, *qui attonſi ſunt in comam*. Jer. IX. 26. idque repetit Jer. XXV. 23. & XLIX. 32. externis videlicet; & nominatim ut peritiſſimus Hieronymus teſtatur, Arabibus, qui in coronæ modum attondebantur: quod Judæis lege vetitum erat. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam*. Lev. XIX. 27.

Combustus. *Facies combuſtæ vultus eorum*. Iſ. XIII. 8. Ora

8. Ora pavore ac terrore exanguia, cineris terræque colorem referentia, qualis combuſtorum eſt. Fere ut alibi facies inſtar ollæ (Joel. II. 6. & Nah. II. 10.) & pellis quaſi clibanus exuſta (Thr. V. 10.)

Comedo. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Eccl. IV, 5. Otio deditus, inedia ſe ipſe conficit.

2. Comedere ſermones. *Inventi ſunt ſermones tui; & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis mei; quoniam invocatum eſt nomen tuum ſuper me, Domine.* Jer. XV. 16. Cum verbum tuum agnovi, illo ut dulci alimento animum nutrii: propheta tuus dici & eſſe gaviſus ſum.

Commemoror. Deponenter, ut nos *recordor*, aut *reminiſcor*. *Non eſt commemoratus peccatorum illorum*. Eccl. XLVIII. 23. *Neque commemorati ſunt ſemitas ejus ſapientiæ*. Bar. III. 33.

1. Commemorari in imbre: Siracides de propheta Ezechiele *commemoratus eſt*, inquit, *inimicorum in imbre, benefacere illis qui oſtenderunt rectas vias*. Eccl. XLIX. 11. Inimicis Domini & populi, prophetis mendacibus, minitatus eſt imbrem Divinorum ſuppliciorum, ut per hoc ipſum ſpe Divinorum beneficiorum erigeret & animaret illos, qui veritatem docebant. Legitur nunc quoque in Ezechielis volumine ille *imber inundans* (XIII, 11. & 13.) ſub cujus allegorica imagine, graviſſimis verbis expreſſa, denunciatur falſis vatibus ira Dei ultoris, omnes ipſorum conatus & labores in nihilum redacturi.

3. Commemorari Dominum. Ægyptii inter plagas a Sapiente ſic adumbrantur, *cum enim audirent, per ſua tormenta bene ſecum* (cum ipſis, cum Judæis) *agi, commemorati ſunt Dominum, admirantes in finem exitus*. Sap. XI. 14. Cum audirent Ægyptii, mala, quibus ipſi torquebantur, Hebræis nequaquam abeſſe: agnoverunt Dominum, ejus potentiam perceperunt, & cum admiratione ſuſpexerunt finem ſeu exitum, quem Deo auſpice res Hebræorum denique nactæ ſunt.

Commendo. *Commendare vaſa* dixit Iſaias in admirabili illa hypotypoſi, quæ feſtinationem Sennacheri-

bi, ad evertendam Hieroſolymam cum exercitu properantis, incredibili eloquentiæ rapiditate depingit magis, quam prædicit. Conjungere totum locum placet, Iſ. X. 28. uſque ad capitis finem. *Veniet* Sennacherib in *Ajath* ſive Hai: ſed abſque mora *tranſibit in Magron*: *apud Machmas commendabit vaſa ſua*, impedimenta Machmis relinquet ſub cuſtodiis, ne curſum feſtinantis morentur. Jam inde *tranſierunt curſim*, dicentes: Nondum hic quieſcimus, Gabaæ pernoctandum eſt, *Gaba ſedes noſtra*. Poſtridie celeritate opprimetur attonita Rama: *obſtupuit Rama*. Jam & Gabaath, antiqua Saulis regia, dilapſis fuga civibus hoſti patuit; *Gabaath Saulis fugit*. Ulula, urbs Gallim! cavete, Laiſa & Anathoth! *Hinni voce tua, filia Gallim. attende Laiſa, paupercula Anathoth. Migravit Medemena* nemine incolarum adventum hoſtium opperiente. *Habitatores Gabim confortamini*: *adhuc dies eſt, ut in Nobe ſtetur*. Sperate, o Gabimitæ: neque enim apud vos hærebit, Noben properans, dum adhuc dies eſt. Ex Nobe autem, unde Solymam proſpectus patet, ante noctem Sennacherib urbem regiam videbit, *& agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Jeruſalem*: extenta & jactata dextera, ruinam ei minabitur. Verum *ecce Dominator Dominus exercituum* robur ejus omne *confringet* ceu *lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura*, Aſſyriorum militum fortiſſimi, una nocte *ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur*. *Et ſubvertentur* confertim Aſſyrii caſtra, ſicuti *condenſa ſaltus* cæduntur *ferro*: *&* vaſtatore genio CLXXXV. millia corporum hoſtilium tanquam totidem truncos ſemel ſternente, ſuperbus hic *Libanus*, Sennacherib, *cum excelſis* ſuis cedris & abietibus *cadet*.

Commisceo. Nabuchodonoſor cum exercitu ad bivium pervenerat, cujus altera pars Rabbatham in Ammonitidem, altera Jeroſolymam ducebat: ſubſtitit igitur, *divinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogavit idola, exta conſuluit*. Ez. XXI. 21. Toxomantia ſeu belomantia divinationis genus erat, quo nomina urbium inſcribebantur ſagittis, ut, cujus nomen primo exiiſſet e pharetra, ea bello peteretur. Deo permittente,

tum

tum ſagittæ, tum deorum reſponſa & exta Jeroſolymam prodidere. *Ad dexteram ejus* (nam Rabbath ad lævam ſita erat) *facta eſt divinatio ſuper Jeruſalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem ut ædificet munitiones.* ibid. v. 22. Imperavit ergo rex Babylonis obſidionem & cædes: atque ululante univerſo exercitu, arietes, aggeres, ceteraque opera in obſidionem parata ſunt.

Commissio. *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis: aſſidua enim eſt commiſſio illorum. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo: eris enim invidus vitæ tuæ.* Eccl. XVIII. 32. ſq. Codicum græcorum varietas caliginem huic loco offudit. Noli gaudere *turbis*, ſeu copia hominum ſeu rixis & contentionibus, præſertim (ut græca indicant) inter convivantium delicias oriri ſolitis; utique in plebe (hominibus *modicis*) in popinas confluente: aſſidua eſt enim in turbulentis his conventibus plurum delictorum *commiſſio*. vel: aſſidua eſt illic pecuniæ (græce ſymbolæ) *commiſſio* ſive collatio ad ſumptus tolerandos: quibus cum ſacculus tibi exhauſtus fuerit, ita ut jam nihil in eo ſuperſit, fias mediocris ac tenuis (græce pauper); atque ut in cœpta contentione pergas, pecunia fœnebri juvare te cogaris: qua ratione vitam miſeram vives, & ipſe te honore commodiſque privabis. Qui pro *in modicis* legunt *immodicis*, explicant de ſuperfluis: quod ad nimium menſarum luxum apte refertur.

2. Commiſſio pro calumnia. *Corripe amicum: ſæpe enim fit commiſſio.* Eccl. XIX. 15. ſæpe enim committitur calumnia. Admonendus tibi amicus eſt, ſive is peccavit, ſive peccaſſe viſus eſt, ut munire ſe adverſus calumniatores poſſit, qui crimina vel affingunt falſa, vel amplificant vera.

Communico. *Illa ſunt, quæ communicant hominem.* Marc. VII. 15. quæ inquinant hominem. Ipſe noſter interpres eodem verſiculo idem vocabulum græcum vertit *coinquinare*. Sic etiam Matth. XV. 11. & 20. ubi verbum idem in græco legitur, *coinquinare* Vulgata habet.

Communio. *Communionem mortis ſcito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma* (græce, ſupra pinnas urbis) *ambulabis*. Eccl. IX. 20. Cautos eſſe in præcedentibus eos juſſerat, qui cum viris principibus ac potentibus agunt. Scito enim, inquit, fore te in perpetuo mortis periculo, ac veluti habitaturum cum morte; quoniam inter laqueos incedis, & ſimilis es homini, qui in obſeſſa urbe pinnas murorum circumit, omnibus hoſtium telis expoſitus, frementium ac dolentium, quod urbe potiri ſibi nondum contigerit. Tropologice: noli fidere Satanæ, principi hujus mundi: ubique enim ille tibi laqueos tendit, deque tua incolumitate dolens arma ſemper parata intentat. Nimis vero abſurdum & pingue illius commentum eſt, qui *communionem* hanc *mortis* ad *Communionem* quam vocant *Generalem* detorſit. Hoc ex illorum eſt officina, qui jus ſibi arrogant epigrammata cudendi e Divinis Scrpturis, idque pro concione agere videntur, ut Dei verba ſenſu non ſuo afferant.

Communis. Antiochus rex jubet *immolari carnes ſuillas, & pecora communia*, i. e. immunda. I. Mach. I. 50. Eodem ſenſu Act. X. 14. & 28. ac Rom. XIV. 14. pro homine vel cibo immundo.

2. Pro illoto. Crimini dant phariſæi diſcipulis Domini, quod *communibus manibus manducant panem*. Marc. VII. 5. Id quid ſit, evangeliſta ipſe docet: *communibus manibus, id eſt, non lotis*. ibid. v. 2.

Commuto. Pſalmus XLIV. inſcribitur *pro iis qui commutabuntur*. a Judaiſmo ad Chriſtum, inquiunt Patrum aliqui. Idque ſenſu myſtico perbene; ſed literalis in hebraico idem eſt in hujus Pſalmi veſtibulo qui in titulis Pſalmorum LXVIII. & LXXIX. *pro hexachordo*. Sæpe enim in fronte Pſalmorum præſcribitur inſtrumentum muſicum, quo canentium voces animari auctor voluit.

Complaceo. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt*. Pſ. XLVIII. 14. Talis cum ſit illorum via (vita) ad certam ruinam ducens, tamen audent etiam de ea gloriari miſeri! ſicut oves macello, ita ipſi debentur orco, morte perpetua depaſcendi. ibid. v. 15.

2. Com-

2. Complacere quaſi fratrem. *Quaſi proximum & quaſi fratrem noſtrum* (i. e. quaſi amico & fratri, accuſativus pro dativo) *ſive complacebam*. Pſ. XXXIV. 14. Chaldaica: Quaſi focius ac frater fuiſſet: ita cum eo verſabar. Ita manſuetiſſimus David de ſuo hoſte.

Complacitior. Pro placatior. Pſ. LXXVI. 8. Nunquamne Deus placari ſe ſinet?

Complector. *Circumdate Sion, & complectimini eam; narrate in turribus ejus. Ponite corda veſtra in virtute ejus: & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera*. Pſ. XLVII. 13. Perambulate, circumite Sionem totam: turres ejus enumerate: animadvertite, quam ſit munita: ſingillatim domos ejus percenſete: tantique ſplendoris ac roboris famam liberis nepotibuſque veſtris relinquite.

Compluo. *Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris*. Ez. XXII. 24. non irrigata imbre Divinæ gratiæ, non mundata cæleſti rore, ſed ſordibus tuis cumulata.

Comprehendo. *Comprehendet arator meſſorem, & calcator uvæ mittentem ſemen*. Amos IX. 13. Tanta erit ubertas, ut fruges omnes demeti ante non poſſint, quam tempus arandi ferendique redierit; & ubi primum illis in horrea repoſitis cœperint denuo ſerere. jam tempus vindemiæ adſit. Allegorice, de ſumma gratiarum & fructuum abundantia per Chriſtum in eccleſia.

Compunctio. De contumacibus & obſtinatis Judæis ait Paulus; *Dedit illis DEUS ſpiritum compunctionis*. Rom. XI. 8. Noli hic ſpiritum pœnitentiæ ſuſpicari: ſpiritus eſt omnino contrarius, pervicaciæ & pertinaciæ; pergit enim apoſtolus, ex Iſ. VI. 10. datos iis eſſe *oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant*. Excæcari nimirum & obſurdeſcere Deus rebelles permiſerat, invidiæ aculeis, & conſcientiæ perpetuis ſtimulis configendos & compungendos.

Compungo. *Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar*. hebraice, *& non tacebit*, ſeu *taceat*. Pſ. XXIX. 13. Dum tu gloriam meam auges, meque arcani doloris aculeis pungi non ſinis, ego non ſilebo ingratus, ſed laudem tuam cantabo.

Con-

Concertor. Pro certo, ſeu concerto. Verbum deponens loco activi: ut certor Eccl. XI. 9. & ſupercertor Judæ v. 3. Faber ferrarius *in calore fornacis concertatur*. Eccl. XXXVIII. 29. cum calore perpetuo certat, cum calore conflictatur. Totius ſententiæ nexus pendet inde a verſu 25. *Qua ſapientia replebitur*, qui ei vacare non poteſt? quorum aliquot genera enumerans, etiam fabrum ferrarium nominat. Qua ſapientia potietur homo, qui, omni illius cura ſepoſita, fornaci & malleo ſe totum addicit? Cave mendum quorundam codicum, ſane importunum, & quo totus contextus intercipitur ac disjicitur, dum pro verbis, *qua ſapientia replebitur*, cum ſubjecto commate; habent, *quia ſapientia replebitur*. cum addito puncto: quod & ſenſum, & nexum tollit.

Concludo. *Effunde frameam; & conclude adverſus eos, qui perſequuntur me*. Pſ. XXXIV. 3. Hebraica veritas perſpicua eſt: Educ e vagina haſtam; & intercludе aditum inſectantibus me.

Conclusio. Ezechieli præcipit Deus: *Fac concluſionem*. Ez. VII. 23. i. e. catenam: ut hebraica & chaldaica aperte habent. Sicuti ad Jeremiam dictum eſt: *Fac tibi vincula, & catenas: & pones eas in collo tuo*. Jer. XXVII. 2. *Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: catenas ligneas contriviſti: & facies pro eis catenas ferreas*. Jer. XXVIII. 13.

Conculco. *Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Pſ. CXXXVIII. 11. ſq. Conculcare, inquit Eutymius, metaphorice dictum eſt a ſimilitudine pedis, qui quæ calcat, eadem obtegit. Ait ergo David: Si dixero, ſaltem tenebræ me tegent, etiam hæc ſpes inanis eſt, cum neque nox delicias & voluptates vetitas abſcondere oculorum tuorum lumini poſſit. Ipſe tenebræ coram te non ſunt obſcuræ: nox ac dies æqualiter illuſtres in conſpectu tuo ſunt: tenebræ & lumen apud Deum ſunt paria.

Concupiscentia. In Ægyptios Deus ranas & muſcas immiſit, populo ſuo coturnices largitus eſt: *ut illi*

illi quidem concupiſcentes eſcam propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, etiam a neceſſaria concupiſcentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam guſtaverunt eſcam. Sap. XVI. 3. Ægyptii quidem ex obſcœnis animantibus & inſectis, cibos omnes inquinantibus, tantam nauſeam concepere, ut omnis alimenti faſtidio laborarent, & quotidianæ ac neceſſariæ dapis appetentiam omnem amitterent. At Hebræi, brevem inopiam experti, novo cibi genere a Deo refecti ſunt, ortygometra ſeu coturnice, ut ibid. v. 2. dixerat.

Concupisco. *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto.* Pſ. CV. 14. Exarſerunt cupiditate, videlicet carnium Modus loquendi ſimilis latino *pugnare pugnam*, *ſervitutem ſervire*, *vitam vivere*.

Condensa. Vox Domini, tonitrua nimirum & fulminum vis, *revelabit condenſa*. Pſ. XXVIII. 9. Disjectis denſiſſimarum arborum ſtirpibus, intimam ſylvæ partem aperiet oculiſque exponet.

2. Dies ſolennis in condenſis. *Conſtituite diem ſolennem in condenſis, uſque ad cornu altaris.* Pſ. CXVII. 27. Intelligendas alii judicant denſas & copioſas frondes, quibus ara a latere altero ad alterum veſtiretur; quidam confertas victimas, quæ totam aræ ſuperficiem inter extrema ejus cornua tegerent; nonnulli denſos funes, quibus hoſtiæ religarentur, ne fugere, aut repugnare immolanti poſſent. Senſus hos ut complecterer, in Pſalterio meo ita converti: Celebrate diem ſolennem condenſis frondibus & victimis, quibus totum altare a cornu altero ad alterum operiatur.

Condulco. *In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit.* Eccl. XL. 32. Soli imprudenti dulcis videbitur mendicitas ex otio orta: verum ille non raro fame ardebit.

Confessio. Hebraico more pro laude. *In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.* Pſ. XLI. 5. Tam læta erit mea exultantis teque laudantis vox, quam hilares ſunt epulantium voces. *Confeſſio & pulcritudo in conſpectu ejus: ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.* Pſ. XCV. 6. In tabernaculo ejus eſt inexhauſta Dominum laudandi materia, quia immen-

ſa ejus pulcritudo: ſanctum ejus domicilium ſanctimoniam & magnificentiam ſpirat.

Configo. *Aſpicient ad me, quem confixerunt*. Zach. XII. 10. Dictum ex perſona Chriſti, clavis & lancea confixi: quod conſtat ex Joann. XIX. 37. *Configent eum* (falſum prophetam) *pater ejus, & mater ejus*. Zach. XIII. 3. Prophetis mendacibus conſtitutum erat ab lege extremum ſupplicium Deut. XIII. 5. Ipſi parentes, inquit hic propheta, ſua eum ſententia configent, & morti tradent; vel etiam ſuis manibus eum cruci affigent.

2. Configere DEUM. *Si affiget homo DEUM, quia vos configitis me? Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis*. cet. Mal. III. 8. Hebr. & LXX. defraudatis, ſpoliatis. An æquum eſt, ab homine fraudari Deum? atqui id vos facitis, decimas & primitias ſubtrahentes. Jubet deinde reddere, quæ ex lege debebant: & viciſſim ubertatem promittit. Ex quibus liquet, quam inepte illud *configitis me* ad Chriſti clavos & crucem trahatur, quaſi idem cum Paulino, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI*. Hebr. VI.

Confirmo. *Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis*. Pſ. LXXIII. 13. Hebraice, tu dirupiſti potentia tua mare. Utrumque accidit: namque divulſas maris Erythræi aquas ſolidavit utrinque Divina potentia, ac demum Ægyptiorum capita ſub iiſdem confregit.

Confiteor. Paſſim pro laudare, grates agere. Vel in ſolo Pſalterio ubique exemplorum eſt affatim. Quod ſi aliquando verbum hoc de fatenda culpa uſurpatur, proprio ſemper accuſativo addito id exprimitur. *Pincernarum magiſter ait: Confiteor peccatum meum*. Gen. XLI. 9. *Confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael*. Lev. XVI. 21. *Confiteantur iniquitates ſuas, & majorum ſuorum*. Lev. XXVI. 40. *Confitebuntur peccatum ſuum*. Num. V. 7. Eodemque modo in ceteris. Plumbeum ergo telum intorquent ii, qui ad peccata ſacro judici exponenda impium adigunt illis verbis: *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere*. Eccli. XVII. 26. *Vivus & ſanus confiteberis*. ibid. v. 27. Nihil enim Siracidæ ejuſque temporibus cum diſtincta delictorum confeſſione in arcano aliquo tribunali. 2. Con-

2. Confitentes miſericordiæ. *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum* Pſ. CVI. 8, & deinceps hoc Pſalmo ſæpius. Ipſa miſericordis Domini opera, ipſa ejus prodigia illum coram hominibus laudent, quando nos id facere digne non poſſumus. Videtur tamen exiguus librarii ſubeſſe lapſus, & *miſericordias* legendum, non *miſericordiæ*. Confiteantur illi (v. 5. ſqq.) qui per invia errantes, & fame ac ſiti pæne confecti, Dei ope ſubito & ad vitam, & in viam revocati ſunt: confiteantur hi grato animo hæc beneficia, & coram Deo ac hominibus admiranda ejus opera laudent. Sic & cum hebraico, & cum græco, omnia præclare conſentiunt: atque in hanc ſententiam doctor maximus Hieronymus tranſtulit.

Conflo. Sub impio Antiocho Epiphane *de eruditis ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur*. Dan. XI. 35. Ex legis peritis quidam pœnis & cruciatui ſubjicientur. Allegoria ab argento, quod igne conflatum & purgatum, ſplendorem auget, ac e flamma lectiſſimum & candidiſſimum prodit.

Conforto. *Dicent duces Juda in corde ſuo: Confortentur mihi habitatores Jeruſalem in Domino.* Zach. XII. 5. *Mihi* redundat, more Hebræorum, qui dativum pleonaſticum pronominis addere verbo amant. Ducum voto par eventus futurus prædicitur; tantum enim roboris ſuppeditatum iri militantibus contra hoſtes eccleſiæ, ut eos haud ſecus, ac ignis ligna & fœnum (v. ſq.) devoraturi ſint. Feliciſſime hæc exercitus Chriſtiani ducibus apoſtolis, eorumque militibus evenere.

2. Benedictiones confortatæ. Moribundus Jacob, dum filiis bene precatur, ad Joſephum ait: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret deſiderium collium æternorum*. Gen. XLIX. 26. Ampliores & uberiores ſunt *benedictiones*, quibus ego te cumulo, *benedictionibus patrum* meorum, quas mihi reliquere. Duret hæc tua felicitas, donec veniat Meſſias ille ſemper a ſanctis omnibus deſideratus. Bona hæc omnia *fiant in capite Joſeph* (ibid.) in caput tuum confluant.

Confractio. *Dixit ut diſperderet eos: ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus*. Pſ.CV. 23. Decrevit Dominus omnes tollere: & feciſſet, niſi interceſſiſſet Moyſes, & impendentem jam ictum avertiſſet.

Confusio. *Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo: & qui perdiderit confuſionem, derelinquet ſibi*. Eccl. XXIX. 19. Virum bonum & verecundum in fratris neceſſitate pudet non ſuccurrere: idcirco fide ſua interpoſita eum liberat, impudens vero, negata ope, eum ſibi relinquit ac deſtituit.

Conglutino. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David*. I. Reg. XVIII. 1. Adhæſit alter alteri. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter*. Pſ. XLIII. 25. *Anima noſtra*, Hebraiſmus: nos. In pulverem abjecti ſumus: imo in lutum immerſi, ac toto pectore in eo defixi. Cecidimus: nec erigere nos viribus noſtris valemus.

Congregans. *Verba Congregantis filii Vomentis*. Prov. XXX. 1. Verba Agur filii Jake. Nomina propria appellativis expreſſa: quod ſæpius in Divino Codice factum videmus.

Congrego. *Congregatione congregabo Jacob totum te*: cet. Mich. II. 12. Poſt graves minas, eo capite Synagogæ intentatas, ad extremum conſolatio additur, fore unum ovile ſub uno paſtore, quod congregatis a Chriſto in Eccleſiam ſuam populis omnibus factum eſt.

2. Congregari, pro mori. *Ego*, inquit Jacob patriarcha, *congregor ad populum meum*. Gen. XLIX. 29. *appoſituſque eſt ad populum ſuum*. ibid. v. 32. *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in* (i. e. cum) *beſtia agri, & in* (cum) *volucre cœli: ſed & piſces maris congregabuntur*, ſeu peribunt. Oſ. IV. 3. Proximus huic eſt ſenſus illius comminationis: *Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus; congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli & piſces maris*. Soph. I. 2. ſq. ubi congregare eſt extinguere ac delere.

Conjunctus. *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem*. Gal. IV. 25. Longiſſimis quidem terrarum ſpatiis disjunguntur Sina

mons

mons & urbs Jeruſalem: ille tamen huic, ut verbum græcum indicat, quadrat, proportione reſpondet, e regione oppoſitus eſt.

CONJURATIO. *Hæc enim ait Dominus ad me, ſicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus; dicens: Non dicatis, Conjuratio: omnia enim, quæ loquitur populus iſte, conjuratio eſt: & timorem ejus ne timeatis, neque paveatis.* Iſ. VIII. 11. ſeq. DEUS, qui me corroboravit & illuſtravit, ne hujus populi ſtudia ſequerer, per me loquitur, dicens: Omittite conſilia hæc, quæ aſſidue agitatis, cum hoſte adverſus regem veſtrum conjurandi. Non hoſtem, ſed (v. 13.) me metuite, ſancto meo nomini fideles. Sic ego vobis *in ſanctificationem* (v. 14.) ſanctuarium & aſylum ero; *in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali*, obſtaculum & ruinæ cauſſa *duabus domibus Iſrael*, tam regno Judæ, quam Samariæ; tam imperio duarum tribuum, quam ceterarum decem. Plurimos veſtrum (v. 15.) exitio plectam. Tu vero, propheta, *liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*. v. 16. verba hæc mea in volumen relata abſconde pro diſcipulis meis, quandoquidem ceteri imperium meum detrectant. Hæc DEUS. Quæ ſequuntur, prophetæ verba ſunt: *Et expectabo Dominum*, cet. v. 17.

CONSILIOR. *In abſconditis ſuis conſiliabitur*. Eccli. XXXIX. 10. Meditabitur, attente cogitabit, *in abſconditis ſuis*, clam apud ſe; vel, ſi pronomen *ſuis* pro *ejus* accipis, arcana DEI contemplabitur. Hac meditatione imbutus, *palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ*. v. ſq. Eodem ſenſu paulo poſt: *Adhuc conſiliabor, ut enarrem; ut furore enim repletus ſum*. ibid. v. 16. Etiam porro meditari pergam, ut ſalutaria aliis enarrem; urget enim me intus Divina vis & impulſus.

CONSOLOR. Machabæi fratres *una cum matre invicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes: Domine DEUS aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cantici declaravit Moyſes: Et in ſervis ſuis conſolabitur*. II. Mach. VII. 6. Quæres, paſſive intelligendum ſit verbum *conſolabitur*, an active; id eſt, an affirmetur DEUS e ſervis ſuis ſolatium percepturus; an

an *in ſervis ſuis*, id eſt, ſervos ſuos (per hebraiſmum in græca transfuſum) ipſe conſolaturus, ſeu famulis ſuis conſolationem & præmium imperititurus. Utrumque recte & vere dicitur: verba enim Moſaici carminis, unde Machabæi ſua hæc ſumpſerunt, Deut. XXXII. 36., peritiſſimi linguæ ſuæ LXX. interpretes paſſive expoſuerunt; eodemque jure explicari active poſſunt, & explicantur a Vulgata, quæ ſic habet: *Judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis* (ſervorum ſuorum) *miſerebitur*.

Consopio. Irruente cum ſuis Nabuchodonoſore, Aſſyrii *agitatores conſopiti ſunt*. Nah. II. 3. Aſſyrii, qui agitandis curribus in bello maxime valere ſibi videbantur, conſpecto Babylonii regis exercitu validiſſimo & inſtructiſſimo, ſtupebant attoniti, velut ſopore oppreſſi, & omnis conſilii expertes.

Constitutio. *Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum*. Eccl. XL. 25. Græce, ſtatuent ſeu firmabunt pedem. Qui opulentia nititur, firmiter conſiſtit.

Consummatio. Sennacherib inundaturus erat Judæam: ſed tamen miſericors Deus *in diluvio prætereunte, conſummationem faciet loci ejus - - - conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio*. Nah. I. 8. ſq. Non ſinet eluvionem hanc eſſe diuturnam; calamitati huic non diu concedet locum, ſed eam contrahet: non bis opprimemini.

2. Pro re perfecta. *Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*. Pſ. CXVIII. 96. Opera omnia, etſi omnibus numeris abſoluta, videmus conſumi & interire: ſola Dei lex & voluntas eſt indelebilis ac æterna.

3. Pro morte & interitu. *Filii autem adulterorum in conſummatione erunt*. Sap. III. 16. Alii tamen legunt *in confirmatione*. Conſumentur, morientur in immatura ætate. *Longe enim eſt teſtamentum a quibuſdam, & interrogatio omnium in conſummatione eſt*. Eccl. XVI. 22. Quidam Dei legem a ſe longe repellunt: ſed in morte omnia in judicium adducentur, omnium reddenda ratio erit. *Memento iræ in die conſummationis & temporis retributionis in converſatione faciei*. Eccli. XVIII. 24.

Me-

Memento iræ Divinæ, in morte tua & extremo judicio declarandæ: tum judex, averſa ab impiis facie, debitas pœnas expetet. *Conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram*. Soph. I. 18, Omnes celeriter abſumet. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam*. Jer. IV. 27. Non omnino delebo gentem. Idem eſt Jer. V. 10. & 18.

Consummo. *In his* (medicamentis variis) *curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis: & non conſummabuntur opera ejus. Pax enim* Dei *ſuper faciem terræ*. Eccl.XXXVIII. 7. ſq. Tametſi medicinæ periti identidem elaborant in medicamentis aliis atque aliis inveniendis, ad leniendum dolorem, oblectandam naturam, tuendam ſanitatem; qui ſunt tres illorum fines: nunquam tamen artem exhaurient, & ex Dei operibus utilia omnia eruent, ſalus enim & liberalitas Dei, in univerſam terræ ſuperficiem effuſa, ſalubribus herbis & germinibus implet omnia, ita ut longe plura inventis ſuperſint invenienda.

Consuo. *Sumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa* (LXX. vertunt, *idola*) *hinc inde conſuta*. Ez. XVI. 16. Veſtibus tuis ad ornatum altarium ac deorum abuſa es.

Consurgo. Dicitur Deus ad Hebræos eorumque patres locutus eſſe, aut prophetas ad eos miſiſſe, *mane conſurgens* (Jer.XI.7.) *de mane conſurgens* (Jer.XXXV. 14.) *conſurgens diluculo* (Jer. XXV. 4. & XXXV.15.) & *de nocte conſurgens* (Jer. XXIX. 19. XXVI. 5. & XLIV. 4.) Quæ omnia eodem recidunt, & in hebraico eadem ubique voce indicantur: monuiſſe videlicet Deum inde ab initio, tempeſtive admodum, inſtar patrisfamilias ſolliciti ac vigilantis.

Contamino. *Pater tuus* (Adam) *primus peccavit, & interpretes tui* (Moyſes & Aaron, apud Aquas Contradictionis) *prævaricati ſunt in me*. *Et contaminavi*, contaminatos declaravi, lata in eos mortis ſententia, hos duos *principes ſanctos*: *dedi ad internecionem Jacob*, ſolis Joſue & Caleb exceptis, *& Iſrael*

in blaſphemiam, in opprobrium, negato propter pervicaciam ingreſſu in terram ſanctam. Iſ. XLIII. 27. ſq.

CONTERNANS. Segor urbem, vitulam conternantem appellant Iſaias XV. 5. & Jeremias XLVIII. 34. id eſt, vitulam trium annorum, qua ætate maximi roboris & petulantiæ eſſe ſolet.

CONTERO. *Conterens non conteram domum Jacob*. Amos IX. 8. Hebraice, non conterens conteram. i.e. non omnino conteram, non diruam funditus.

CONTINENS. *Qui continens* (compos, poſſeſſor) *eſt juſtitiæ, apprehendet illam*, ſapientiam, de qua capite ſuperiore. Eccl. XV. 1. *Ira & furor, utraque execrabilia ſunt, & vir peccator continens erit illorum*. Eccl. XXVII. 33. Erit illorum retinens, illis obnoxius; proinde etiam eorum pœnis, iræ ac furori Divino, ut habent Syriaca.

CONTINEO. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Sap. I. 7. Obſcurus hic locus fit ex eo, quod latinus interpres, verba græca preſſiſſime ſecutus, articulum & genus neutrum retinuit, ubi latinitas maſculinum poſcebat: Græcis enim *pneuma* neutrius eſt generis, ut Latinis *Spiritus* maſculini. Sic ergo conſtruamus: Spiritus Domini totum orbem terrarum replet, & continens ſeu complexus omnia, ſcientiam habet ſingulorum, quæ vel apud nos ipſos dicimus, vel ad alios loquimur. Hic (Spiritus DEI) qui intereſt omnibus, omnia unus novit.

CONTRA. Nonnunquam pro coram. *Convertere Jacob, & apprehende eam* (legem,) *ambula per viam ad ſplendorem ejus contra lumen ejus*. Bar. IV. 2. Abſit ut veritatis lumini repugnare nos jubeat: contra eſt: ambula, inquit, coram lege, in ejus luce. *In die tribulationis meæ* DEUM *exquiſivi, manibus meis nocte contra eum* (coram eo expanſis) *& non ſum deceptus*. Pſ. LXXVI. 3. Imprecatur David, vel potius vaticinatur: Iniquitas patrum ejus, & peccatum matris ejus *fiant contra Dominum ſemper*. Pſ. CVIII. 15. Fient ſeu erunt præſentia coram Domino, ut eum non ob ſua tantum, ſed & majorum crimina ad ſuppli-

plicium vocet. *Peccatum meum contra* (coram) *me eſt ſemper*. Pſ. L. 5. Semper in conſpectu meo eſt: ſemper ejus recordor.

Contradictio. Pſ. LXXX. 8. Nomen proprium loci, hebraice *Meriva*. Num. XX. 13.

Contraho. *Contracta eſt anima mea*, inquit Dominus, *in eis: ſiquidem & anima eorum variavit in me*. Zach. XI. 8. Populus hic mihi gravis fuit, quia me dereliquit.

2. Contrahere manum. *Ait Saul ad ſacerdotem: Contrahe manum tuam*. I. Reg. XIV. 19. Deſine orare Deum: ad ejus enim altare ſacerdos manus extenderat. nunc autem jam ingruentibus hoſtibus, periculum non ferebat moram.

Contrarius. *Loquela contraria morti*. Eccl. XXIII. 15. Græce, circumdata morte. Ut *contra* pro coram, ita *contraria* pro expoſita, obnoxia morti, digna morte. ſive ea ſit vox contra Deum ſacrilega, ſive ad amplectendam religionem falſam invitans, ſive læſæ majeſtatis & imperii rea, ſive jusjurandum per deos gentium exterarum.

Contribulo. Pro contundere, frangere, confringere. *Contribulaſti capita draconum in aquis*. Pſ. LXXIII. 13. Ægyptiorum capita in mari rubro contuſa eliſiſti. *Spiritus contribulatus & cor contritum*. Pſ. L. 19. a rerum cæleſtium magiſtris ſollicite diſtinguuntur; *contritum* eſſe, inquiunt, neceſſitatis eſt: *contribulatum*, perfectionis: illud reſtituit gratiam, hoc mirifice auget. Vera hæc, certo quodam ſenſu: ſed is ſenſus hujus loci non eſt, quippe qui tam in hebraico fonte, quam in græco, idem prorſus vocabulum addit cordi, quod ſpiritui appoſuerat: epitheti ſenſus & vis eadem utrobique eſt.

Contus. Paſtor olim Thecuites. Amos propheta, paſtoralem ſimilitudinem more ſuo inſtituens, Iſraelis proceres ſub imagine vaccarum pinguium ante oculos ponit, *& levabunt vos*, inquit, *in contis*. Amos IV. 2. Amputata veſtra capita, diſſectaque membra, contis impoſita, hoſtes ludibrii cauſſa circumferent.

Convallis. *Vide vias tuas in convalle, ſcito quid feceris*.

ceris. Jer. II. 23. Exprobratur Hieroſolymæ vallis Ennom, ſeu Gehenna, ubi religione immani humanæ hoſtiæ Molocho immolatæ.

CONVERSATIO. Pro converſione, vel potius averſione. *Memento iræ* Divinæ *in die conſummationis*, mortis tuæ, & judicii: *& erit tempus retributionis in converſatione faciei*; græce, averſione faciei; nimirum a ſceleratis. Eccl. XVIII. 24.

CONVERSIO. *Convertam converſionem populi mei Iſrael & Juda*. Jer. XXX. 3. Reducam exules in patriam. Ut alibi captivitas & tranſmigratio, ita hic converſio pro ipſis captivis & exulibus dicitur.

CONVERTO. *Convertantur mihi timentes te*. Pſ. CXVIII. 79. Hebraiſmus. convertantur ad me.

2. Converti pro reſpicere. Quia impiis tam proſpere cedunt omnia, *ideo convertetur populus meus hic*, huc reſpiciet, conſiderabit hoc loco quid agatur: *& dies pleni invenientur in eis*, ut LXX. nobiſcum habent; vel, ut hebraica, *aquæ plenæ*, calix aqua plenus, *ſugentur ab eo*. Pſ. LXXII. (Hebr. LXXIII.) 10. Videbit populus meus, pravorum dies eſſe longævos & felicitatis plenos, ſuos vero plenos miſeriæ; ſibi tantum exhauriendum præberi injucundum calicem. Hæc videns populus, hæſitare & conqueri incipiet: (v. 11.) *Quomodo ſcit* DEUS? cet. Quomodo DEI ſcientia & juſtitia cum tanta iſtorum proſperitate conſiſtit? Eodem ſenſu vocabulum *convertor* legitur in illo DEI ad Jeremiam dicto: *Si converteris*, ſi me ſolum reſpicies, ſi totus mihi uni adhæreſces, *convertam te*, juvabo te; LXX. reſtituam te. Jer. XV. 19.

3. Convertere pro educere, liberare. Pſ. LXVII. 23. Ez. XVI. 53. De quibus diſtincte actum eſt in Vocabb. *Baſan* & *Antiquitas*.

4. Convertere pro reverti. *Convertit Antiochus* (rediit) *poſtquam percuſſit Ægyptum*. I. Mach. I. 21. *Convertit Triphon, & abiit in terram ſuam*. I. Mach. XIII. 24. i. e. retulit ſe, domum reverſus eſt.

5. Converti in ſinu. *Oratio mea in ſinu meo convertetur*. Pſ. XXXIV. 13. proprie ex hebraico, *in ſinum meum*, ut & B. Hieronymus, & Chaldæus vertunt.

runt. Preces, quas pro inimicis fundo, cum prodeſſe ipſis ob malitiam ſuam non poſſint, mihi certe proſunt, & ad auctorem ſuum redeunt. Quod ipſis precor bonum, mihi obtinget.

6. Adverbii loco, iterum, rurſus, denuo. *Tu* Deus *noſter liberaſti nos de iniquitate noſtra, ... ut non converteremur, & irrita faceremus mandata tua*. I. Eſdr. IX. 13. ſq. ne rurſus mandata tua contemneremus. *Converſi ſunt, & tentaverunt* Deum. Pſ. LXXVII. 41. iterum tentaverunt. Deus *tu converſus* (i. denuo) *vivificabis nos*. Pſ. LXXXIV. 7. *Neque convertentur* aquæ *operire terram*. Pſ. CIII. 9. nunquam iterum eam inundabunt: terra diluvio altero non involvetur. *Converſi ſunt deinceps, & retraxerunt ſervos & ancillas ſuas, quos dimiſerant liberos*. Jer. XXXIV. 11. ſervire denuo coegerunt. *Et convertetur, & erit in oſtenſionem*. Iſ. VI. 13. rurſum oſtendetur. *Convertentur ad veſperam, & famem patientur ut canes: & circuibunt civitatem*. Pſ. LVIII. 7. & 15. Satellites a Saule miſſi ad comprehendendum Davidem, rurſum adfuerunt ſub obſcurum noctis, & ceu famelici canes prædam tantopere expetitam tota urbe inveſtigarunt, diſpoſitis ubique cuſtodiis, nequa elaberetur. Sed Micholis aſtu tam pingui bolo fraudati, querelis omnia implevere. *ſi vero non fuerint ſaturati*, & (i. tunc) *murmurabunt*. ibid. v. 16.

7. In convertendo. David de hoſtibus ſuis, eorumque duce: *In convertendo inimicum meum retrorſum*, dum hoſtis meus cum ſuis cedere cogitur, & retro abit, *infirmabuntur, & peribunt a facie tua*, coram te, aſpectu tuo perterriti & afflicti. Pſ. IX. 4. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, dum Dominus e captivitate reducit ſobolem Sionis, *facti ſumus ſicut conſolati*; hebraice, ut ſomniantes; præ lætitia attoniti. Pſ. CXXV. 1.

Convivium. Vox Domini ad Prophetam: *Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos*. Jer. XVI. 5. Domum intellige convivii funebris, ubi parentalia celebrabantur.

Cooperio. *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit* *vir-*

virtutem. Eccl. XXXVIII. 19. Triſtitia mortem accelerat; & corporis animique robur opprimit.

Cor. Præ malorum doloriſque magnitudine *cor meum dereliquit me*. Pſ. XXXIX. 13. linqui animo cœpi, virium omnium deliquio obrutus ſum.

2. Cor pro mente, intelligentia. *Virga in dorſo ejus, qui indiget corde*. Prov. X. 13. græce, qui abſque corde eſt: chaldaice, qui cogitatione ſeu intellectu caret. Homo inſipiens, excors, vecors, multas plagas ſentiet, multis incommodis afficietur. *Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*. Oſ. VII. 11. ſtolida, ſtupida, prolis ſuæ detrimenta non ſentiens.

3. Cor apponere, eſt animum adjicere, attendere. *Nec appoſuit cor* Pharao *etiam hac vice*. Exod. VII. 23. Nihil penſi habuit, non animadvertit rei momentum. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*. Pſ. LXI. 11. Nolite in iis cogitationem defigere, nolite ſtudio meditationeque veſtra eas dignas putare. *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Job. VII. 17. Non de amore Dei, favoreque & gratia, ut multi falſo exiſtimant, Jobus loquitur: nihil enim niſi terrores & ſupplicia eo loco gemens ac tremens commemorat. Verus ſenſus eſt: Quare hominem miſerum & fragilem tanti facis ut eum oppugnes? imo cur vel attentione tua dignum eum ducis? *quare poſuiſti me contrarium tibi?* ibid. v. 20. *Ponite corda veſtra in virtute ejus*. Pſ. XLVII. 14. Animadvertite robur & firmitatem urbis munitiſſimæ Hieroſolymæ. Hujus loci contextum do totum Voc. *Complector*.

4. Cor dare in aliquid. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*. Eccl. XXXVIII. 28. Toto animo artifex in id unum incumbet, ut picturam ſcite ac egregie exprimat. Nexus totius loci hujus is eſt: Qui a negotiis liber ſoli vacat ſapientiæ, illius compos evadet. *At qua ſapientia replebitur* (hac inchoata quæſtione abrumpitur verſus 25. ubi quidam codices mendoſiſſime habent, *quia* pro *qua*.) Qua, inquit, ſapientia replebitur, qui tempus omne in agricultura, in artibus, in opificiis conterit? hic enim totum animum

mum adhibebit, totum *cor ſuum dabit in conſummationem operum*. ibid. v. 31. Legi oratorem ſacrum; qui hoc loco in diem feſtum Cordis Jesu ita abutitur, ut de Chriſto eum afferat: Chriſtus, inquit; ſanctiſſimum cor ſuum dedit *in ſimilitudinem picturæ*, ut imaginem memorialem nobis relictam. Hoc viro Thema, hæc propoſitio eſt. Homo ingenioſus, ſed ingenio indulgere quoquo modo ſolitus, cum hæc ſcribebat, nonne citra injuriam dici poterat *non habens cor*?

5. Cor boni conſilii. Non ſolum (ita ſuadet Siracides) cum amico probo & ſapiente delibera, ſed & *cor boni conſilii ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud pluris illo*. Eccl. XXXVII. 17. etiam a te ipſo exquire conſilium, tecum deliberationem habe: nihil enim potius tibi eſſe bono conſilio debet.

6. Oblivio a corde. *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus, a corde*. Pſ. XXX. 13. Sic eorum animis excidi, ſic me oblivio ex eorum corde delevit, quaſi pridem e vivis ſublatum.

7. Converti ad cor. Pſ. LXXXIV. 9. Reſpicere ſe, errata agnoſcere, meliora in poſterum ſtatuere.

8. Cor & cor. *Labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt*. Pſ. XI. 3. duplici corde, alia loquentes, alia ſentientes.

9. Cor pro medio. Sicut Jonas triduo latuit *in corde maris*, Jon. II. 4. ſic *filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Matth. XII. 40. Ille in medio mari, hic in ſepulcro. *Transferentur montes in cor maris*. Pſ. XLV. 3. Sic in hebraico legitur etiam via navis in corde maris. Prov. XXX. 19. Mons ardens in igne uſque ad cor cæli. Deut. IV. 11. Abſalon pendens in corde quercus. II. Sam. XVIII. 14. Hebraiſmus eſt, ab Italis etiam receptus; e quorum numero Paulus Segnerus: *Tu, che ſei nato nel cuore del Criſtianeſimo*. Mann. Animæ, ad III. Mart. *Nel cuor del ſecolo*. Ibid. ad XXIII. Mart. Pro quibus latino more diceretur: Tu, in religionis Chriſtianæ ſinu natus. in ſinu vanitatis, ſeu, ut vulgus, in medio ſeculi, inter homines ſeculares.

Corbona. De triginta argenteis, ab Juda projectis,

dicunt principes ſacerdotum. *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt*. Matth. XXVII. 6. Vocabulum hebraicum, & chaldaicum, quo Judæi ærarium ſacrum, ſive oblata Deo donaria appellabant. Naſcitur a *Corban*, quod Marc. VII. 11. a Græcis Latiniſque legitur: *Corban, quod eſt Donum*. Cum vero & hebraice, & chaldaice, tam *Corbana*, quam *Corban* in ſtatu abſoluto ſeu naturali, *a* natura longum habeant: viderint illi, qui in noſtro *Corbonæ* mediam corripere ſolent, & errorem ac probrum objectant iis, qui veros ac primos fontes ſequuntur: præſertim cum proprius gentis hiſtoricus Joſephus *Corbona* græce per o mega ſeu natura longum ſcribat: quod & accurationis exquiſitæ vir Ricciolius in Proſod. Reform. agnovit, & admonuit.

Cornu. *Bibentes inebriabuntur quaſi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quaſi cornua altaris*. Zach.IX. 15. Significatur per hebraiſmum poeticum immenſa copia hoſtilis ſanguinis, quem victores effuſuri ſunt. Ut phialæ vino implentur, & altaris cornua victimis: ita illi cæſorum ſanguine, & acervis cadaverum iram juſtiſſimam ſatiabunt. Allegorice de Chriſti apoſtolis, idololatriam & vitiorum agmina jugulaturis. De cornibus altaris dixi Vocabb. *Ariel.* & *Condenſa*.

2. Cornu pro gloria & robore, paſſim in libris Inſtrumenti Veteris. Translatio ab animantibus, quorum decus & robur in cornibus eſt. In Lege etiam Nova ejuſdem metaphoræ exemplum occurrit in Zachariæ cantico: *erexit cornu ſalutis nobis*. Luc. I. 69. Salutem nobis dedit, & præſidiis maximis ac illuſtriſſimis conſtabilivit.

3. Cornu, filius olei. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*. Iſ. V. 1. Meſſiam patruelem appellat Iſaias, quod hebraico more cognatis quibuſcunque tribuitur: erat autem Propheta ſtirpis ejuſdem Davidicæ, e qua oriturum Chriſtum ſciebat. Mœſtum, inquit, carmen dilecto canam, carmen ſuum, quod ipſe olim canet (Matth.XXI.33.ſqq.) de Vinea ſua, de Synagoga. Vineam dilectus poſſedit in colle

ex-

excelſo quidem, non tamen ſterili, ſed pingui & fœcundo.

4. Cornua extollere. *Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu veſtrum.* Pſ. LXXIV. 5. ſq. Ne contra Deum vos extollite, ne caput adverſus legem ſanctam efferte. In eandem ſententiam damnantur ii, qui dicunt: *Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Amos VI. 14. Contra Deum gloriantes, ſuis viribus inſolenter tribuunt, quod illi uni debent.

5. Cornua in manibus Dei. Hab. III. 4. Sunt opera Divinæ potentiæ, quam oſtendit, cum populi ſui hoſtes uſque adeo mirabiliter e terra Chanaan expulit, & uno impetu fractis triginta & uno regibus, ſuos introduxit. Allegorice D. Auguſtinus eleganter, de Civit. Dei l. XVIII. c. 32. de trophæo Crucis in manibus Chriſti interpretatur. Aptiſſime etiam de Crucis infirmitate dicas, quod Habacuc ibidem addidit: *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Sed & literali ſenſu idem veriſſimum agnoſcas de Dei potentia, in parvis dictu rebus latente, dum per inſecta viliſſima Ægyptios puniit, Chananæos ejecit. Ex. VIII. 2. ſqq. 16. ſeqq. 21. ſqq. X. 5. ſqq. de Ægyptiis; Exod. XXIII. 28. Deut. VII. 20. Joſ. XXIV. 12. Sap. XII. 8. de Chananæis.

6. Ventilare cornu. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.* Pſ. XLIII. 6. Nomini tuo confiſi hoſtes noſtros exagitabimus, disjiciemus, nullo conſiſtere loco patiemur. Similis loquendi modus occurrit Deut. XXXIII. 17. Ez. XXXII. 2. & XXXIV. 21. Dan. VIII. 4. Zach. I. 19. III. Reg. XXII. 11. & I. Mach. VII. 46.

7. Liceat eruditionis gratia addere, quod nobiles Interpretes de hoc nomine *Cornu* ante me obſervarunt; eſſe illud alterum e duobus (alterum eſt *Saccus*) quod ex hebraica lingua in varias alias ſervato eodem ſenſu proprio transfuſum eſt. Sane idem ſignificant hebraice *Keren*, chaldaice & ſyriace *Karone*, græcæ *Keras*, latine *cornu*, italice *corno*, gallice *corne*, hiſpanice *cuerno*, germanice *Horn*, belgice *horen*, anglice *horne*, danice *horn*. Imo Guilielmus Poſtellus l. de Originibus & Linguarum Affinitate, C. de Latinis, Gallis, & Hebræis,

bræis, de hoc vocabulo pronunciare auſus eſt: *in omnibus linguis ſervat nomen*. Sed iſtud, ut erat Poſtelli ingenium, confidentius dictum, quam verius.

Cornutus. *Cornutam Moyſi faciem*. Ex. XXXIV. 30. Hebraice dicitur vultus *radians*, græce a LXX. *gloria exornatus glorioſus*. Non, ut vetuſtæ imagines, cornibus furſum erectis armatus: quod irridendi noſtri occaſionem Hebræis præbuit, ut dicerent, Chriſtianos malum dæmonem de Moyſe feciſſe.

Corona. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Pſ. LXIV. 12. Hebraice, coronaſti annum bonitatis tuæ. Impleviſti beneficiis annum, totum anni feliciſſimi circulum abſolviſti.

2. Corona paſtoris. In Proverbiorum libro poſt inſtitutiones morum Salomon etiam de Oeconomia præcipit, ac diligentiam in cura pecoris educandi commendat. *Non enim habebis jugiter poteſtatem*. Prov. XXVII. 24. Erit, cum fractus annis non jam poteris laboribus his intereſſe: tametſi corona, ſeu laus & inter paſtores excellentia ſemper manebit: *ſed corona tribuetur in generationem & generationem*. ibid. Fructu quoque multiplice, quem per verſiculos ſqq. enumerat, in reliquum omne tempus gaudebis.

3. Corona domus Joab. I. Par. II. 54. Non eſt appellativum nomen, ſed proprium unius e quatuor Salmæ filiis: ut ex LXX. conſtat. Idem dic de proximo, Dimidium requietionis Sarai: is enim quartus eſt Salmæ filius.

Corono. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti* (circumdediſti, cinxiſti) *nos*. Pſ. V. 13. Concinna translatio a ſcuto, cujus proprium eſt corpus tegere, damnumque avertere.

Corpus. In incomparabili illa deſcriptione excidii Ninivitani, apud eloquentiſſimum e Prophetis XII. minoribus Nahum legitur: *corruent in corporibus ſuis*. Nah. III. 3. chaldaice, impingent in trucidatos ſuos. Vulneribus proſtrati, in ipſis ſuorum cadaveribus exſpirabunt.

2. Corpus umbræ oppoſitum. D. Paulus de feſtis Hebræorum diebus, legiſque veteris ritibus: *quæ ſunt um-*

umbra futurorum , corpus autem Chriſti . Col. II. 17. Antiqua illa erant umbra, corpus eſt Chriſtus : umbra, non niſi tenuis figura eſt & inanis: corpus plenitudinem habet ac dignitatem.

Correctio. *Juſtitia & judicium correctio ſedis ejus*. Pſ. XCVI. 2. Ad mentem magni Hieronymi locum hunc in Pſalterio meo ſic explanavi : Juſtitia & judicium ſtabiliunt, & æquiſſimam oſtendunt ſedem ejus.

Correptio. Qui peregre te hoſpitio acceperit, paulo poſt quæſito obtentu, te migrare alio jubebit. *Gravia hæc homini habenti ſenſum: correptio domus, & improperium fœneratoris*. Eccl. XXIX. 35. Homini cordato tam gravis eſt talis e domo ejectio, quam debitori reprehenſio creditoris pecuniam exigentis. Uterque arguitur nimiæ moræ, ille ut moleſtus hoſpes, iſte ut moroſus ac difficilis debitor.

Corrumpo. *Ne corrumpas*. in titulo Pſalmi LXXIV. Peritiſſimus linguarum priſcarum Gilbertus Genebrardus autumat, hoc fuiſſe initium noti tum carminis, ad cujus modulos Pſalmum hunc decantari auctor velit. Si cui hoc minus probatur, dicat licet, moneri hoc titulo cantorum principem, cavendum eſſe in difficiliore hoc carmine, nequis error venuſtatem modulorum corrumpat.

Corruo. Tanta prædicitur fames ac ſitis, *ut deficientibus pane & aqua, corruat unuſquiſque ad fratrem ſuum*. Ez. IV. 17. Coram fratre, dum petiturus cibum ad eum accedit, exhauſtus fame procumbet.

Corruptio. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?* Pſ. XXIX. 10. Quæ utilitas tibi, ſi hoſtes (quorum meminit v. 2.) meum ſanguinem hauriant, ſi vita privatus tumulo condar? Neque enim mortuorum cineres te laudant, aut veritatem tuam prædicant.

2. Corruptio emptionis. Ne te pudeat (*Ne pro his omnibus confudaris*. Eccl. XLII. 1. id enim totum hunc locum nectit uſque ad v. 9.) *de corruptione emptionis & negotiatorum*. ibid. v. 5. Si negotiatores coeant,

eant, iniqua mercium pretia pacto mutuo ſtatuentes: ne te pudeat factionem hanc diſceſſu tuo corrumpere ac divellere.

Corus. Ez. XLV. 11. Menſura, continens decem Ephi, ut ibi propheta indicat: Ephi, quod ſuo loco dicam, trimodium continet: ergo Corus modiorum triginta eſt.

Cras. Jacob ad Labanum: *Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea*. Gen. XXX. 33. Hebraiſmus elegantiſſimus: ut aliquando, ut ſuo tempore (Germani dicunt, *heut oder morgen*) ab omnibus intelligatur, me juſte tecum egiſſe. *Quando interrogaverint vos filii veſtri cras* (olim) *dicentes, Quid ſibi volunt iſti lapides? reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum*. Joſ. IV. 6. ſq.

Crassitudo. *Sicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram: diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum*. Pſ. CXL. 7. Sicut craſſa terræ gleba, ſi aratro ſciſſa rumpatur, disjicitur, ſpargiturque: ſic nos, in proximum mortis periculum adducti, ſepulcro vicini fuimus, & jamjam oſſa noſtra diſſipanda erant.

Creagra. II. Par. IV. 11. Harpago, ſeu uncus, quo a templi miniſtris e lebetibus elixæ carnes extrahebantur.

Creatura. De viro, qui ſapientiam audit, eique credit: *erunt in confirmatione creaturæ illius*. Eccl. IV. 17. Ejus liberi valentes, firmi, longævi erunt.

2. Creatura ævi. Opifices, labori ſuo intenti, ad obtinenda judicum ſubſellia, doctorumque conventus non aſpirabunt: *ſed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam ſuam, & conquirentes in lege Altiſſimi*. Eccl. XXXVIII. 39. Conficiunt opera temporaria, & omne illorum votum hoc uno concluditur, ut in ſua quiſque arte conſpicuus ſit, cui omne ſuum ſtudium addicit, & ad quam exercendam vocatus Deo ſervit.

Credo. *Cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam*. Job. IX. 16. Memor terribilium Dei judiciorum, etiamſi mihi fortaſſis ille

fa-

ſaveat, ego tamen certus non ſum: quia *etiam ſine cauſſa* (v. ſq.) mihi cognita, punire me poteſt. *Cum ſteterit, non credet vitæ ſuæ.* Job. XXIV. 22. Impius, licet felix ſit, & firmo pede conſiſtat; conſcientia tamen male factorum perterritus, non fidit.

2. Spiritus creditus. *Non eſt creditus cum DEO ſpiritus ejus.* Pſ. LXXVII. 8. Non perſtitit cum Deo, non permanſit firmus ſive fidelis Deo.

3. Credere & loqui. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei*, quem prophetæ antiqui habuere, *ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* II. Cor. IV. 13. ex Pſ. CXV. 1. Eodem ſpiritû Pſaltes & Paulus ideo locuti ſunt, quia crediderant. *Propter quod* eſt quapropter, quocirca.

4. Credere Deo, credere in Deo, credere in Deum. Quidam hæc ſubtiliter inter ſe diſtinguunt. Sciamus autem (inquit Theologus doctiſſimus, & Interpres attentiſſimus, Franciſcus Ribera, in Commentar. Majorib. in Jonam, ad C. III. n. 29.) Sciamus autem, in Scriptura eadem ſignificatione dici hæc tria. Idque, ſive de Deo, ſive de homine ſermo ſit, cui, vel in quo, aut in quem credatur. Demonſtrat hoc exemplis pluribus: quibus ego brevitatis gratia ſuperſedeo.

Cremium. Latina vox, ſed minus nota; a cremando. Columella teſte, ligna tenuiſſima, quibus fornax incenditur, ruſtici cremia appellabant. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Pſ. CI. 4.

Creo. De Divina Sapientia: *Prior omnium*, ante omnia, *creata*, i. e. genita, *eſt Sapientia, & Intellectus prudentiæ ab ævo.* i.e. Verbum Divinum ab æterno. I. 4. *Ipſe*, Pater æternus, *creavit illam in Spiritu Sancto*; ibid. v. 9. id eſt, Sapientiam genuit, & Spiritum Sanctum ſpiravit. nam *in* pro *cum* hebraiſmus eſt.

Cribrum. *Concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut concutitur triticum in cribro: & non cadat lapillus ſuper terram.* Amos IX. 9. Id noſtra etiam ætate facere Deus pergit, dum Hebræos per omnes gentes circumjicit, nec ullo conſiſtere loco patitur. Quos tamen ædificandæ cæleſti Jeruſalem elegit lapides vivos eorum ne unus quidem peribit. Qui duas has

ſimi-

ſimilitudines inter ſe conciliare, & ad unam revocare conati ſunt, luſerunt operam: tranſit Propheta ſubitò a metaphora ad metaphoram, quod ſæpius in Divinis Libris uſuvenit.

CROCEUS. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora*. Thr. IV. 5. Falluntur opinione, qui conditos croco cibos intelligunt: nam & veritas hebraica, & LXX. habent *ſuper cocco*. Itaque, qui cibum ſumebant recumbentes in purpura, nunc in ſterquilinium abjecti ſunt, in ſquallore ac ſordibus jacent.

CRYSTALLUS. Eccl. XLIII. 22. pro glacie, quæ poetice ibi eleganter deſcribitur. Pro glacie item & grandine ponitur Pſ.CXLVII.6.ubi pſaltes addit: *ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* præ ejus frigore quis conſiſtet?

CULTER. *Quando ſederis ut comedas cum principe.... ſtatue cultrum in gutture tuo*. Prov. XXIII. 1. ſeq. Tempera appetitum, recide quod nimium eſt: ne *panis mendacii* (ibid. v. 3.) cibus delicatus & fallax, te decipiat, ut deprehendaris, ut pœnitendum aliquid cum offenſa principis loquaris aut agas.

CUM. *Periit memoria eorum cum ſonitu*. Pſ. IX. 7. hebraice, ſonus.i. ceu ſonus. Nihil dici ad rem accommodatius poterat: nam neque velocius quidquam præterit ſono; & ubi præteriit, nullum veſtigium ſupereſt.

CURRO. *Velociter currit ſermo ejus*. Pſ.CXLVII. 4. DEI verbo parent momento omnia: fit continuo, quod & quomodo ille fieri jubet.

CURRUS. *Currus DEI decem millibus* (hebr. viginti millibus; numerus certus pro incerto) *multiplex*, *millia lætantium: Dominus in eis*; *in Sina in ſancto*. hebraice Sina præpoſitione vacat: *Sina in ſanctitate*. Senſu literali Arca deſcribitur, ex Ægypto in Palæſtinam aſcendens, ſtipantibus innumeris angelis: in horum medio ipſe Dominus: mons Sina, in quo ille domicilium deinde collocavit, mons ſanctus eſt. Senſu allegorico, Chriſtus in cælum aſcendens, dum in nube effertur, angelorum exercitum comitem habet, & meliori

liori Sinæ, eccleſiæ ſuæ triumphanti ac militanti, ſanctimoniam perennem impertit.

Cursor. *Vide vias tuas in convalle*, in valle Ennom, ubi liberos deo Moloch immolaſti, *ſcito, quid feceris, curſor levis explicans vias ſuas*. Jer. II. 23. Curſoris nomine animantem deſignat libidinis æſtro incitatam, ſive capream, ex D. Hieronymi ſententia; ſive camelum feminam, ut Chaldæo placet; quæ omnia concurſat, ut cupiditatis explendæ occaſionem inveniat.

Curvo. *Ante pedes ſuos curvabit virtutem ſuam*. Eccl. XXXVIII. 33. Pectus ſuum, corpus ſuum, ad terram uſque demittet.

Custodio. *Cognoverunt ſic pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt*. Zach. XI. 11. Verbum hoc eſſe Domini, cognovere pauperes, qui pars optima gregis mei ſunt, & rectum cuſtodiunt; juſti nimirum, quorum ſemper numerus aliquis inter Hebræos ſuperfuit. Pronomen *mihi* pleonaſmus eſt hebraicus, quem ſi ad conſuetudinem latinam revocare libet, dic ſane: qui mei amore, qui honoris mei gratia, jus & fas cuſtodiunt.

2. Cuſtodire obſidionem. De Nabuchodonoſore ad urbem Niniven dicitur: *Aſcendit, qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem*. Nah. II. 1. Appropinquat, qui omnem tuam viciniam depopuletur, teque ipſam arcta obſidione premat.

Custos. Vir avarus & iniquus *ædificavit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos* pomorum aut uvarum *fecit umbraculum*. Job. XXVII. 18. Sicut latibulum tineæ facillime tollitur, & autumnale tugurium brevi dejicitur: ita injuſti opulentia nihil neque firmitatis habet, neque diuturnitatis.

2. Cuſtodes domus. In diſertiſſima illa hypotypoſi ſenectutis Eccl. XII. 1. ſeqq. hoc etiam memoratur: *commovebuntur cuſtodes domus*, manus & brachia, quæ corpus noſtrum cuſtodiunt: *& nutabunt viri fortiſſimi*, pedes. v. 3.

3. Cuſtos de nocte. Inclamant, & excubitorem ſuum Eſaiam interrogant: *Cuſtos, quid de nocte?* Iſ. XXI. 11. Cuſtos! quota eſt noctis hora? quota vigilia?

lia? Reſpondet cuſtos: *Venit mane*, *& nox: ſi quæritis, quærite: convertimini, venite*. ibid. v. 12. Appropinquat aurora: pars tamen ſupereſt noctis. ſiquid prædæ capere deſideratis, agite, properate: maturandus receptus eſt: venite, ne lux vos prodat hoſtibus.

Cymbalum. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*. Iſ. XVIII. 1. Terram hanc alii fuiſſe Indiam opinantur, alii Ægyptum: probabilius videtur, Æthiopiam deſignari. Cymbalum alarum dicitur, quod ejus alæ, tum æqueſtres, tum navales, tympanis & ſiſtris perſtreperent, inutili jactatione virium, neque contra Dei minas valitura.

Cynomyia. Ita Pſ. LXXVII. 45. & Pſ. CIV. 31. perperam legunt quidam, a me rejecti in Voc. *Cœnomyia*, quod vide.

Cyrene. Captivus *transferetur populus Syriæ Cyrenen*. Amos I. 5. Sed rurſum liberatos, inquit Dominus, *aſcendere feci*..... *Syros de Cyrene*. Amos IX. 7. Ne in errorem inducare, Lector, hæc non eſt Cyrene illa Libyæ celeberrima, unde nomen toti provinciæ Cyrenaicæ inditum; ſed Cyrene in Medorum imperio, quo Aſſyrius, occiſo Raſino rege, Syros in captivitatem duxiſſe legitur IV. Reg. XVI. 9.

D

Dan. *Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, & exaudivit vocem meam, dans mihi filium*, ex Bala inimirum famula: *& idcirco appellavit nomen ejus Dan*. Gen. XXX. 6. Radix enim *dun*, unde Dan oritur, Hebræis judicare ſignificat. *Judicavit mihi*, hebraiſmu. eſt: favit mihi, mihi adfuit, ac veluti ſententiam pro me tulit contra Liam ſororem, ne ob ſuam fœcunditatem contemnere porro ſterilitatem meam poſſit.

2. Dan & Berſabee. Termini hi erant regni Hebraici, Dan ad Aquilonem, Berſabee ad Auſtrum. Qnoties igitur legimus, a Dan uſque Berſabee: cogitandum eſt, per univerſas Hebræorum tribus, per totam eorum ditionem.

Da-

Datio. Ne te pudeat (nam id Eccl. XLII. 1. uſque ad v. 9. perpetuo intelligendum eſt) *de verbo ſociorum & viatorum, & de datione hæreditatis amicorum.* ibid. v. 3. Non te pudeat, res & rationes ſociorum aut peregrinorum procurare & adminiſtrare. Si hæreditatis dividendæ officium a te expoſcatur, non te pudeat, inter amicos abſque perſonarum reſpectu juſte hoc officio fungi.

Datum. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis.* Eccl. VII. 37. Omnibus hominibus gratum eſt, ſi eis munera offeras

Datus. hujus datus; quarta declinatione. *Stultus acriter improperabit: & datus indiſciplinati tabeſcere facit oculos.* Eccl. XVIII. 18. Stultus eſt, qui odioſe exprobrat, ſiquid beneficii contulit: & munus *invidi* (ita eſt in fonte græco) multas lacrymas elicit, erodit oculos fletu, præ animi dolore caliginem oculis offundit.

David. In titulis complurium Pſalmorum legitur: *Pſalmus David.* Id in hebraico & græco dativi caſus eſt: imo & latinus noſter interpres alicubi præſcripſit, *Pſalmus ipſi David.* Verum hic dandi caſus per hebraiſmum vim genitivi habet, idemque eſt ac Pſalmus Davidis, ſeu a Davide ſcriptus.

2. Pro Jesu Chriſto. *Servient Domino* Deo *ſuo, & David regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.* Jer. XXX. 9. *Suſcitabo ſuper eas* (oves meas) *Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, ... & ſervus meus David* erit *princeps in medio eorum.* Ez. XXXIV. 23. ſq. Idque repetitur Ez. XXXVII. 24. ſq. Qua ratione hæc de Davide rege, tanto ante mortuo, Jeremias & Ezechiel futura prænunciarent? De Meſſia igitur, Davidis nepote, dicta eſſe, nemo eſt qui non videat. Quæres, an Davidis nomine Meſſias in illis etiam Jeremiæ oraculis ſignificatus ſit. *Suſcitabo David germen juſtum.* Jer. XXIII. 5. *Germinare faciam David germen juſtitiæ.* Jer. XXXIII. 15. Expeditum ad hæc reſponſum edunt codd. hebraici, chaldaici, græci, qui omnes utroque loco nomen *David* caſu dativo habent, ſicque a germine pro-

 miſſo

miſſo illud manifeſtiſſime diſtinguunt. Ipſum tamen germen illud ambobus locis Meſſias eſt, quod chaldaica utrobique dilucidat, dum pollicetur *Davidi* ſeu domui David *Meſſiam juſtitiæ*, id eſt: Chriſtum juſtum.

De. Redundat in apocalyptico illo: *menſus eſt civitatem de arundine aurea*. Apoc. XXI. 16. id eſt, arundine.

2. Pro ex, vel ab. *Vide humilitatem meam de inimicis meis*. Pſ. IX. 14. Vide miſeriam & abjectionem meam, ex inimicorum iniquitate natam. Vide, quouſque ab inimicis depreſſus ſim. videlicet uſque ad præſens mortis diſcrimen, uſque ad portas mortis, ut loquitur v. ſq.

3. Pro ob, propter. *De* ſæpius repetitum Eccl. XLII. 2. uſque ad v. 9. pendet ex uno illo, *Ne pro his omnibus confundaris*. v. 1. Noli erubeſcere ob ſervatam Dei legem, ob religionis officia, ob juſtitiam (ne forte nocentes abſolvas) ob negotia ſociorum & peregrinorum fideliter geſta, ob diviſam juſte hæreditatem; & ſic de ceteris. Cumque v. 6. ſq. tantiſper mutaſſet ſtylum, v. 8. redit ad particulam *de*. Ne erubeſce propter reprehenſum a te fatuum, neque propter ſuſceptum a te patrocinium ſeniorum, cum ab adoleſcentibus opprimuntur.

Dealbo. Regnante Antiocho Epiphane ex numero legis peritorum cruciabuntur nonnulli, *ut conflentur, & eligantur, & dealbentur*. Dan. XI. 35. Ut argentum dum igne conflatur, purgatur, & ad ſummum candorem fulgoremque perducitur. In eandem ſententiam: *Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis* (i. quaſi igne) *probabuntur multi*. Dan. XII. 10.

2. Nive dealbari. Pſ. LXVII. 15. Hebraiſmus: inſtar nivis candidum fieri. De monte Selmon dicetur in loco.

Decachordum. Pſ. XCI. 4. & Pſ. CXLIII. 9. Biblia latina emendatiora utroque loco id a Pſalterio diſtinguunt interpoſito commate: quemadmodum & in hebraico fonte inſerta conjunctione, inſuperque præpoſitione, inter ſe disjunguntur. Pſ. XCII. 4. Eſt autem decachordum inſtrumentum muſicum chorda-

rum

rum ſeu fidium decem; ut hexachordos ſex fidium, & quatuor fidium ſcindapſus, nomen vulgo nihil ſignificans, viris autem eruditis notum ex Ariſtoxeno, Matrone Parodo, Theopompo Colophonio, Anaxila, Athenæo, Æliano, Suida, Photio, quorum ultimus etiam nominis originem profert, Myriobibli Cod. CXC. docens e Ptolemæi Hephæſtionis l. VI. Hiſtoriæ Novæ, ita dictum ab inventore, Scindapſo Eretrio, Pœciles tibicinæ filio.

Decalvo. *Decalvare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum ſicut aquila.* Mich. I. 16. Mœroris maximi ſignum. Pone crines, mater orba a cariſſimis liberis, qui voluptas tua ſumma erant; ſimilis aquilæ, paulo ante ſublimi & ſpecioſæ, nunc defluentibus pennis omnibus contemptæ & miſerabili.

Decapolis. Græcæ formæ nomen; non tamen ut alia hujus generis, Neapolis, Conſtantinopolis, Philippopolis, cet. unam urbem ſignificans; ſed totam regionem, urbes decem complexam. Plinius Hiſt. Natur. l. V. c. 18. Proficiſcitur Chriſtus *inter medios fines Decapoleos*. Marc. VII. 31.

Decem. *Apprehendent* (circumſiſtent, prenſabunt) *decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audivimus enim, quoniam* Deus *vobiſcum eſt.* Zach. VIII. ſult. Numerus certus pro incerto: decem pro multis. *Pater veſter circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus.* i. ſæpius. Gen. XXXI. 7. *Poſtquam confregero baculum panis veſtri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus.* Lev. XXVI. 26. Tanta erit frugum inopia, ut clibanus unus mulieribus pinſentibus multis ſufficiat, & panes trutina ponderare cogamini.

Decies. *En decies confunditis me.* Job. XIX. 3. Sæpius, identidem, ignominia me afficitis.

Decimatio. *Et adhuc in ea* (terra Hebræorum *decimatio, & convertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea.* Iſ. VI. ult.

 Cum

Cum ſic direpta fuerit ab hoſtibus, ut non niſi decima pars ſuperſit (chaldaice, remanebit unus ex decem) iterum ſpoliabitur, & ſpectaculo erit, ut arbor fluentibus ramis, nudis & aridis. Quod tamen in ea permanſerit, genus ſanctum erit; apoſtoli ſcilicet, ac diſcipuli Chriſti.

Decimus. *Judas autem Machabæus, qui decimus fuerat, ſeceſſerat in deſertum locum*. II. Mach. V. ult. Quæritur hoc loco, cur decimus appelletur. Qui decimum fuiſſe Hebræorum Pontificem Maximum illius ordinis rati ſunt, in difficultates ſe non neceſſarias induxerunt. Aliqui ſimpliciſſime, cum novem, inquiunt, ſociis eo ſeceſſit. Alii magiſtratum quendam inter Aſſidæos ſuſpicantur, q. d. Decemvir Aſſidæorum. Exploratum nihil habetur.

Decipio. De Propheta mendaci: *Ego Dominus decepi Prophetam illum: & extendam manum meam ſuper illum, & delebo eum de medio populi mei Iſrael*. Ez. XIV. 9. Permiſi decipi, & decipere. Quomodo Deus extenderet manum, & deleret decipientem, ſi id feciſſet ipſe? Permittentis vero illud eſt: *Quis decipiet Achab? .... Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita*. III. Reg. XXII. 20. ſqq. Penes ſpiritum malum eſt decipiendi voluntas, *Ego decipiam*; & ipſum mendacium, *Ero ſpiritus mendax*. Penes Deum eſt futura prævidere, *Decipies*; & permittere, *Egredere*.

Declino. *Declinaverunt in te mala*. Pſ. XX. 12. Moliti ſunt contra te machinationes pravas.

2. Declinare victimas. *Victimas declinaſtis in profundum*, dicit Dominus ad ſacerdotes Iſraelis: *& ego eruditor omnium eorum*. Oſ. V. 2. A me victimas ad deos alienos avertiſtis: cum tamen ego identidem per Prophetas meos vos revocarem.

3. Declinare judicium. Jeremias, capta urbe, inter lamenta ſe ſuoſque Divinæ bonitatis commemoratione hunc in modum ſolatur: *Non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum*: depreſſit nos qui-

quidem & abjecit, non tamen quaſi malis noſtris delectetur; neque eo animo, *Ut contereret* penitus *ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ*, totam gentem noſtram captivam; multoque minus ideo, *Ut declinaret judicium viri*, quaſi ultra modum velit quenquam dejicere, quaſi lancem infra meritum deprimens evertere ullum hominem judicio velit *in conſpectu vultus Altiſſimi*, in conſpectu ſuo, coram ſe. Nam, *Ut perverteret hominem in judicio ſuo, Dominus ignoravit*: ut de homine ſeverius decernat, quam par eſt: hoc facere ille non poteſt. Thr. III. 33. ſqq. Eos deinde graviter reprehendit, qui Dei providentiam inficiantur, quaſi bona malaque nobis illius injuſſu eveniant.

Decor ſeu Decus. Zach. XI. 7. & 10. Id nomen eſt alteri e duabus Prophetæ virgis paſtoralibus. Exponetur a me locus ille totus Voc. *Virga*.

Defensio. Ad Eliam prophetam, cujus decora tum enarrat, converſa oratione, Siracides ait: *Qui audis in Sina judicium*, græce reprehenſionem, *& in Horeb judicia defenſionis*, ultionis, vindictæ Divinæ. Eccl. XLVIII. 7. Horeb vel eſt ipſe mons Sina alio nomine, vel certe illius pars. Ibi audiit irati Dei hanc contra ſceleratos ſententiam: *Quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu*: *& quicunque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliſæus*. III. Reg. XIX. 17.

Deficio. *In deficiendo ex me ſpiritum meum*. Pſ. CXLI. 4. Dum ſpiritus meus deficit, dum præſentis mihi mortis periculum impendet.

2. *Defecerunt laudes David filii Jeſſe*. Pſ. LXXI. ult. Noſtro more diceretur: Finis Pſalmorum Davidis. Ex quo perſpicuum fit, hunc Pſalmum, qui nobis eſt hodie ſeptuageſimus primus, olim fuiſſe Davidicorum ultimum. At nunc profecto non eſt id carmen e Davidicis poſtremum ordine: cum certiſſimum ſit, Davidis auctoris eſſe Pſalmos XCIV, CVIII. CIX. & alios, qui hodie ſeptuageſimo primo poſteriores leguntur. Quot vero, & quinam Pſalmi ab rege Davide ſcripti ſint; quot & qui Aſaphum, Moyſen, Salomonem, filios Core, Ethanem, Aggæum & Zachariam auctores habeant: in Oratione de Pſalmorum

Auctoribus, quæ eſt Academicarum mearum ultima, quanta maxima potui diligentia, a me diſceptatum eſt, & conſtitutum.

Delatura. Siracides timere ſe dicit inter mala graviſſima *delaturam civitatis*. Eccl. XXVI. 6. Si nomen ejus deferatur, ſi accuſetur, ſi tota eum civitas criminetur. Sic idem lugere nos mortuum jubet *propter delaturam*. Eccl. XXXVIII. 17. ne criminationem incurramus, dicamurque odiſſe vivum, quem mortuum non fleverimus.

Delictum. *Qui jurant in delicto Samariæ, & dicunt: Vivit Deus tuus Dan, & vivit via Berſabee*. Amos VIII. ult. Damnantur, qui jurabant per vitulos aureos, Samaritici ſeu Iſraelitici regni deos, in Bethel Dan & Berſabee erectos.

Deminoratio. Filia fatua, & repugnans diſciplinæ, *in deminoratione fiet*. Eccl. XXII. 3. Probro, ac damno erit; ſibi, ac ſuis.

Demolior. Chaldæi irruentes, cædentes, ſpoliantes, de quibus illo Capite Joel vaticinatur, *per feneſtras cadent, & non demolientur*. Joel. II. 8. Etiam ſi præcipites e feneſtris deſilierint, incolumes abibunt.

Demoratio. *Qui ſuavis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam*. Prov. XII. 11. Qui ſuavem vitam agit in compotationibus & conviviis, ejus arces ac domos probro implentur.

Denoto. *Qui gaudet iniquitate, denotabitur*. Eccl. XIX. 5. *Qui jucundatur in malitia, denotabitur*. ib. v. 6. ei nota turpitudinis inuretur.

Denudo. *Denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum*. Hab. III. 13. Hebraiſmus. deſtruxiſti ad imum uſque: ipſum fundamentum evertiſti.

Denuncio. *Anima omnis vitalis denunciavit ante faciem ipſius* (terræ): *& in ipſam iterum reverſio illorum*. Eccl. XVI. ult. Anima uniuſcujuſque viventis, ſeu omne animal, in conſpectu totius terræ annunciat, declarat, demonſtrat, quod ſuperiore verſiculo dictum eſt, Deum omnia bonis ac donis ſui impleviſſe. Demum autem omnes hæ animantes in terram revertuntur, unde producta ſunt.

De-

Deprædor. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*. Thr. III. 51. Longe ab Aſcetarum ſenſu, de peccati illecebra per oculos ſubeunte, Jeremiæ hæc eſt ſententia: adeo palam & copioſe cives meos deflevi, ut vitæ periculum adirem.

Deprecatio. Deus fidelibus ſuis famulis eſt *deprecatio offenſionis*. Eccl. XXXIV. 20. græce, cuſtodia contra offenſionem. Imploratus incommoda & offenſiones avertit.

Deprecor. *In ſervis ſuis deprecabitur*. Pſ. CXXXIV. 14. Facile Deus a ſervis ſuis exorabitur, facile ab illis placabitur.

Derogo. Conqueritur Deus: *derogaſtis ad verſum me verba veſtra*. Ez. XXXV. 13. Detraxiſtis de honore meo verbis veſtris, quæ multiplicaſtis vociferantes.

Descendo. *In conſpectu ejus cadent omnes, qui deſcendunt in terram*. hebraice, in pulverem. Pſ. XXI. 30. Eum adorant mortales omnes.

Descensio. *Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur civitas*. Iſ. XXXII. 19. In Synagogæ ſaltum grando deſcendet, arbores ejus læſura: & civitas, quæ Meſſiæ obſequium & obedientiam detrectavit, uſque ad conditionem infimam & humillimam deprimetur.

Desertum, Desertus. *Lætabitur deſerta* terra *& invia*, cet. Iſ. XXXV. 1. Locus ille totus, ſolatio pleniſſimus, de naſcente eccleſia gentium eſt, quam Chriſtus collegit, & fœcundavit.

2. Deſertum maris. *Onus deſerti maris*. Iſ. XXI. 1. Vaticinium de interitu Babylonis: quæ nunc inſtar maris eſt, confluentibus eo populis omnibus: futura paulo poſt locus deſertus, cum eam Perſæ ac Medi everterint. Horum exercitus *de deſerto venit* (ibid.) quod Chaldæam inter, & Mediam ac Perſiam ſitum eſt.

3. Deſertum populorum. *Adducam vos in deſertum populorum*, in locum, ubi non ſunt populi: *& judicabor vobiſcum ibi facie ad faciem*, ſolus cum ſolis diſceptabo. Ex. XX. 35.

4. Deſerta ſeculorum. Si beneficum & miſericordem aliis te præbueris, *ædificabuntur in te* (i. per te) *deſerta ſeculorum*. Iſ. LVIII. 12. quæ a ſeculo deſerta erant, tu ædificabis, ut clarius dicitur Iſ. LXI. 4. Contextum totum habes in Voc. *Ædificator*.

Desiderabilis. *Tollo a te*, inquit ad Ezechielem Deus, *deſiderabile oculorum tuorum in plaga*. Ez. XXIV. 16. Caram uxorem tuam morte repentina tollo. *Et mortua eſt uxor mea veſpere*. ibid. v. 18. Sic tollam, ait rurſum Dominus, quidquid carum vobis eſt, *deſiderabile oculorum veſtrorum*, ibid. v. 21. liberos, imperium, templum.

Desiderium. *Ne tradas me Domine a deſiderio meo peccatori*. Pſ. CXXXIX. 9. Hebraice eſt: Ne des deſideria impii. Res eodem ſpectat: precatur nimirum David, ne Deus evenire ſinat, quod iniquiſſimus hoſtis cupiebat; neu ſe, contra deſiderium ſuum, illi tradat.

Desolatorius. Quis erit fructus linguæ doloſæ? *Sagittæ potentis* Dei vindicis *acutæ*, *cum carbonibus deſolatoriis*, vehementer urentibus. Pſ. CXIX. 4. In hebràico leguntur carbones juniperorum ſeu geniſtarum, quarum præſertim radicibus, ſi crementur, calor ingens ac diuturnus ineſt.

Destruo. *Deſtruxiſti eum* (populum tuum) *ab emundatione*. Pſ. LXXXVIII. 45. Hebraice eſt, ut vertit D. Hieronymus: Quieſcere feciſti munditiam ejus. Quod explicans Chaldæus inquit: Abſtuliſti ſacerdotes, qui populum mundabant.

Detentio. Sapientiæ verba ſunt: *Radicavi in populo honorificato*, *& in parte* Dei *mei hæreditas illius* (enallage perſonæ, pro *hæreditas mea*) *& in plenitudine ſanctorum detentio mea*. Eccl. XXIV. 16. Domicilium meum eſt in parte hæreditaria Dei (hæreditas Dei eſt hæreditas mea; quidquid poſſidebit, & ego poſſideo) & in pleno cœtu hominum ſanctorum: qui ipſi ſunt honoratus ille populus, in quo radices egi. Hæc,& totam illam Sapientiæ Divinæ proſopopœjam, accommodat Eccleſia B. V. Mariæ, Sedi Sapientiæ.

Detraho. *Qui detrahit alicui rei* præceptæ, qui aliquod

quod Dei verbum ſive præceptum violat, *ipſe ſe in futurum obligat*, pœnæ ſe obnoxium efficit. Pr.XIII.13.

Devoro. *Etiam ſi locutus fuerit, homo devorabitur.* Job.XXXVII. 20. Si commemorare Divinorum operum magnitudinem cœperit, ea ipſa oppreſſus obmuteſcet. Sic pſaltes de nautis & vectoribus, periculoſiſſima tempeſtate obrutis: *omnis ſapientia eorum devorata eſt*, conſumpta, exhauſta, abſorpta eſt. Pſ. CVI. 27. Nihil jam præſidii in arte erat: conſilii omnis expertes nihil niſi naufragium expectabant.

2. Devorare ſanctos. *Ruina eſt homini devorare ſanctos, & poſt vota retractare.* Prov. XX. 25. Damnoſum eſt devorare ſanctos, ſive ſancta; i. e. præcipitanter & abſque præmeditatione vovere aliquid in honorem ſuperum, illudque poſtea retractare, & Divis jam ſanctum ſurripere. Sanctos devorant (ait in hunc locum interpretum quidam, haud ſane in tempore feſtivus) qui in Litaniis OO. SS. recitandis properant, Divorumque nomina tranſiliunt ac mutilant.

3. Devorans. *Increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ.* Mal.III.11. Prohibebo locuſtam, aliaque inſecta, ne ſegetes veſtras devorent.

Deus. *Exaudivit me* Deus *juſtitiæ meæ*. Pſ. IV. 2. Hebraiſmus: Deus meus juſtus.

2. Dei, genitivo caſu. Nominibus additum magnitudinem ſignificat, & ſenſum auget. Hethæi ad Abrahamum: *Princeps Dei es apud nos*. Gen. XXIII. 6. id eſt, magnus. *Cedros Dei*. Pſ. LXXIX. 11. ingentes, ſublimes. *Grandis numerus, quaſi exercitus Dei*. I.Par.XII. 22. inſtar numeroſi exercitus. Sicut *ſopor Domini* pro ſomno arctiſſimo. I. Reg. XXVI. 12.

3. Deus pro angelo, qui Dei nomine apparebat. Ita in Lege Veteri perſæpe legitur. In hunc ſenſum Jacobus fratrem Eſau appellat: *Vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei*. Gen. XXXIII. 10. Blandientis vox eſt, omnino par illi, qua Davidem deliniunt mulier Thecuitis, & Miphiboſeth. quorum illa: *ſicut enim angelus* Dei, *ſic eſt dominus meus rex*. II.Reg.XIV.17. iſte vero: *domine mi rex, ſicut angelus* Dei *es*. II. Reg. XIX. 27.

4. Deus

4. Deus pro homine vicario, principe, judice. *Offeret eum* (ſervum ſuum) *dominus diis*. Ex. XXI. 6. id eſt, principibus, judicibus. *Dominus domus applicabitur ad deos*. Ex. XXII. 8. ad præſides: ad judices adducetur. Eodemque ſenſu: *ad deos utriuſque cauſſæ perveniet*. ibid. v. 9. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*. ibid. v. 28. Deus *deorum Dominus*. Pſ. XLIX. 1. Rex regum, Judex judicum. Huc revocari poteſt, quod ad Moyſen Deus de Aarone dixit: *Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad* Deum *pertinent*. hebraice, & tu eris ei pro Deo. Ex. IV. 16.

5. Dii fortes terræ. *Principes populorum congregati ſunt cum* Deo *Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*. Pſ. XLVI. ult. Hebraice, quoniam dii, ſcuta terræ, vehementer elevatus eſt. Viri præcipui ex hebraici populi tribubus, patriarchæ, Prophetæ, judices & reges probi, cum Deo conjunctiſſimi, ſummam gloriam conſecuti ſunt, humani quidam dii, gentis ſuæ clypei, ac veluti dii præſtites. Hebraicum *elevatus eſt* exponi commode poteſt per enallagen numeri pro *elevati ſunt*: verbum enim ſingularis numeri cum nominativo plurali, ut Græcis eſt frequentiſſimum, ita Hebræis minime inuſitatum. Doctiſſimus Genebrardus per nominativum pluralem dignitatis ita explicat: Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus fortiſſimus ſuper omnem terram, valde elevatus eſt. Minus reſpondet, quod Sacius, Arnobium ſecutus, hoc loco affert, de falſis diis agi; ideo principes populorum a vero Abrahæ Deo vocatos eſſe, ut retunderetur ſuperbia dæmonum, authoritatem divinam toto terrarum orbe ſibi arrogantium. Nam ut ingenioſa ſint cetera, qua ratione *ſcuta terræ* vocati ſunt, cum omnia vulneribus & ſtragibus impleant?

6. Deus hujus ſeculi. Superbus Lucifer, qui ab ipſo Domino princeps hujus mundi eſt nuncupatus, Joann. XII. 31. XIV. 30. & XVI. 11. *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium*. II. Cor. IV. 4.

7. Dii pro uno tantum, ſed falſo deo. Populus ad Aaro-

Aaronem: *Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant*. Ex. XXXII. 1. Et fuſo vitulo: *Hi ſunt dii tui Iſrael.* ibid. v. 4. Deum venerantur ad modum Ægyptiorum, Apim aut Serapim bovis ſpecie adorantium. Plurali autem numero, dignitatis cauſſa, appellant *Elohim*. Id honoris Deo vero per omnes Scripturarum ejus paginas habetur, ut plurali numero *Elohim* & *Adonai* nuncupetur. Sic pythoniſſa in Endor, conſpecta Samuelis umbra, exclamat, videre ſe perſonam veneratione digniſſimam, majus aliquid & auguſtius homine. *Deos* (hebr. Elohim) *vidi aſcendentes de terra*. I. Reg. XXVIII. 13. Quod intelligens Saul, numero ſinguiari interrogat: *Qualis eſt forma ejus? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit*. ibid. v. 14.

Deuteronomium, Græcum vocabulum: ſecunda lex, repetitio legis, altera legis promulgatio. Sic liber quintus Moyſis inſcribitur, qui ultimus eſt Pentateuchi.

Dextera. *Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia*. Pſ. LXXXIX. 12. Fons hebraicus huic verſui addit verbum præcedens *dinumerare*, & hujus eſt ſententiæ: Doce nos, ut ſic numeremus dies noſtros: & adducemus in cor ſapientiam. Utrumque conſociabis, ſi dixeris: Doce nos, ut brevitatem vitæ noſtræ intelligamus, ſcientes, eam in manu tua eſſe, & in momenta a te abrumpi poſſe: fac, ut per ſalubrem hunc timorem cor noſtrum ad ſapientiam erudiatur.

2. Dextera iniquitatis. *Dextera eorum, dextera iniquitatis*. Pſ. CXLIII. 8. & 11. Hebraice, dextera mendacii, videlicet propter perjurium: elevata enim manu jurabant.

3. Dextera orientis. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt*. Job. XXX. 12. *Ad dexteram* hebraico more eſt ad latus, proxime. Pro *oriente* hebraicum vocabulum legitur, quod in toto Bibliorum canone præterea non reperitur, & Maſora Hebræorum teſte florem juventutis ſeu liberos florentes ſignificat. Prolis ergo interitum deplorans Jobus, ad latus, inquit, florentis meæ ſobolis, in ipſo ejus ortu repentina calamitas eſt coorta. tum nimi-

nimirum, cum domus turbine everſa liberos ejus omnes oppreſſit. Job. I. 19.

4. Ad dexteram educere. Deus *eduxit ad dexteram Moyſen brachio majeſtatis ſuæ*. Iſ. LXIII. 12. Amiciſſime dictum. Manum ejus arripuit, & ex Ægypto eduxit.

Diabolus. Vocem græcam eſſe, ne Gothicis quidem ſeculis doctiores latuit: ſed ejus originem nimis craſſe commenti, homines totius Græciæ ignari, diaboli nomen a *dia* & *bolos* accerſierunt, quia de homine *duos morſellos* ſeu bolos faciat, *unum de corpore, & unum de anima* (*dia* enim eſſe latinum *duo* opinabantur) & utrumque crudeliter devoret. Scimus autem, a *diaballo*, criminor, nuncupatum *diabolum*, quod latine eſt criminator, calumniator. unde nomen *Diabolo* juveni in Plautina comœdia. Græce de utriuſque ſexus hominibus dicitur. Sic Paulus, ubi nos legimus *anus .... non criminatrices*, græce ſcripſit, *non diabolos*. Tit. II. 3. Antonomaſtice hoc nomine appellatur *accuſator fratrum noſtrorum*, Apoc. XII. 10. *qui eſt diabolus, & ſatanas*. Apoc. XX. 2. diabolus, quia criminatur; ſatan, quia adverſatur.

2. Maledicere diabolum. *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam*. Eccl. XXI. 30. Non diſplicet quidem ſenſus, qui vulgo ſententiæ huic ſubjicitur: quia ſimili malitia laborat ipſe, quia ſatanæ per peccatum eſt ſimilis. Præfero tamen cum doctiſſimo & magni judicii interprete Joanne Baptiſta Hamelio expoſitionem hanc: Qui execratur calumniatorem, execratur ſe: quandoquidem id faciens ipſe ſit calumniator, & execrando execrationi ſe ſubjicit.

3. Diabolus ante pedes Dei. *Ante faciem ejus*, ex Ægypto aſcendentis, & populo ſuo terram ſanctam pandentis, *ibit mors: & egredietur diabolus ante pedes ejus*. Hab. III. 5. Poetice, ut eſt illud canticum ſtylo maxime excelſo ſcriptum, introducuntur Mors & Diabolus, ceu juſtitiæ Divinæ miniſtri, ad hoc præmiſſi, ut ſupplicium de Chananæis ſumant. In hebraico eſt Peſtis & Pruna; optime quidem: nam peſtis nomine genus mortis oſtenditur, quo caterva-

tim

tim rapti ſunt Chananæi: hoſti autem ſtygio conceſſa eſſe indicatur facultas nocendi, & prunæ inſtar quæque obvia conſumendi. Allegorice, Mors & Orcus, a Chriſto victi, ejus triumphum ornant.

4. Diabolus in Iſrael. I. Mach. I. 38. Gravis offenſio, ingens detrimentum in Iſraelitico populo.

Dico. *Dico ego opera mea regi*. Pſ. XLIV. 2. Hebraica & græca oſtendunt, verbum hoc non a dicando, ſed a dicendo derivandum eſſe.

2. Pro ſtatuere. *Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo*. Pſ. XXXV. 2. Decrevit apud ſe inique agere. *Dixit ut diſperderet eos*: Pſ. CV. 23. Deus omnes delere conſtituit.

3. Pro jubere. Deus *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*. II. Cor. IV. 6.

4. Tu dicis; tu dixiſti. Affirmatio eſt apud Hebræos, q. d. ita eſt, ut dicis. *Interrogavit eum præſes, dicens: Tu es rex Judæorum? Dicit illi* Jesus: *Tu dicis*. Matth. XXVII. 11.

Didrachma, ſive Didrachmum. Duplex drachma. *Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* Matth. XVII. 23. Cum Hebræorum drachma græcis ſive atticis altero tanto major fuerit, quæres, utro ſenſu, hebraico, an græco, didrachmum hoc loco accipiendum ſit. Verum ipſe ſacer hiſtoricus dubitationi occurrit, cum Chriſti ad Petrum verba mox adjicit: *piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te*. ibid. v. ult. Stater autem, ſeu ſiclus, erat tetradrachmum atticum, non hebraicum. Tetradrachmum hoc atticum, ſive didrachmum hebraicum, pro Chriſto ſimul & Petro pendendum, efficiebat victoriatos noſtrates, quos vulgus *bazios* vocat, octo ſeu crucigeros 32. ut apparebit ex iis, quæ mox de *Drachma* dicam. Tantum addo, LXX. Interpretes *Siclum* paſſim interpretari *Didrachmum*, nimirum hebraicum, ut vere obſervatum eſt a Cornelio in Exod. XXX. 13.

Didymus. *Thomas, qui dicitur Didymus*. Joann. XI. 16. quod & Joann. XX. 24. & XXI. 2. repetitur. Ne putes, binominem fuiſſe, qualis erat Matthæus, qui

& Le-

& Levi: idem ſignificant græce Didymus, & Thomas ſyriace ac hebraice, videlicet Geminum: ſeu Thomas eodem partu cum fratre aut ſorore fuit editus, ſeu id nomen re ac vero ſenſu caruit, ut apud Romanos in Lentulis, Varis, Spuriis, atque etiam Geminis. Sic Tabitha etiam Dorcas dicta eſt. Act.IX 36. & 39. ſq. Quorum nominum utrumque damam ſignificat, illud lingua ſyriaca, iſtud græca.

Dies. *Juravi patribus veſtris, daturum me eis terram fluentem lacte & melle, ſicut eſt dies hæc*. i. e. ut hodie res ſe habent, ut res præſens demonſtrat. Jer. XI. 5. Utitur Jeremias eadem loquendi forma & alibi, eamque affectatur familiaris Jeremiæ Propheta Baruch. *Et nunc Domine* Deus *Iſrael, qui .... feciſti tibi nomen ſicut eſt dies iſte*. Bar. II. 11. Qui, tot editis potentiæ tuæ argumentis, & indiciis admirandis, tantam tibi gloriam apud omnes gentes comparaſti, quantam hodie videmus. *Eduxit patres noſtros de terra Ægypti, dare* (pollicitus, daturum ſe) *nobis terram fluentem lac & mel, ſicut hodierna die*. Bar. I. 20. quod & opere impletum videmus.

2. Dies cæli. Davidi de Salomone filio Deus promittit: *Ponam.... thronum ejus ſicut dies cæli*. Pſ. LXXXVIII. 30. Declaratur hebraiſmus hic verbis perſpicuis II.Reg.VII.13. ubi eadem promiſſio ſic refertur: *Stabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum*. Aaroni quoque, & ejus poſteris, ſacerdotium addicitur *ſicut dies cæli*. Eccl. XLV. 19. perpetuum ſcilicet; quamdiu in cælo dies orietur, & quamdiu ipſum cælum erit.

3. Die quotidie. *Benedictus Dominus die quotidie*. Pſ. LXVII. 20. Hebraice, die die. i. ſingulis diebus, quotidie.

4. Duo dies, dies tertia. *Vivificabit me poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos*. Oſ. VI. 3. Poſt brevem iram & pœnam celeriter parcet. Simile illi Servatoris Chriſti dicto: *Ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor*. Luc. XIII. 32. Exiguum ſupereſt vitæ ſpatium.

5. Poſt dies & annum. Iſ. XXXII. 10. Poſt multum temporis.

6. A

6. A diebus in dies. Ex. XIII. 10. id eſt, quotannis.

7. Dies decreti. I. Mach. X. 34. Diſtingue decretos dies a ſolennibus, qui ibidem nominantur. Solennes dies ii ſunt, quos ipſa Lex definit; decreti, quos ultro Synagoga elegit. Sic feſtos dies ſibi ſponte indixit populus Dei ob victum Holofernem, ob inſidias Amani depulſas, ob Encænia Machabaica. Judith XVI. ult. Eſth. IX. 17. ſqq. I. Mach. IV. 59. Immunitatem rex Demetrius concedit Hebræis in ſingula ſabbata, neomenias ſeu dies novæ lunæ, dies decretos, & ſolennes, imo & in triduum ante & poſt hos ſolennes dies, quo liberior illis religionis ſuæ cultus ſit, ſatiſque temporis ſuppetat adituris Hieroſolymam, ac redituris: ibi enim ſolennes illi dies agendi erant. Nequis cogere viros religioſos poſſet, ut cum pietatis diſpendio cauſſam dicerent, totius utrinque tridui libertas data eſt.

8. Dies magnus. Quo Deus illuſtre aliquid & inſigne patraturus erat, is dies magnus a Divinis Scriptoribus appellatus eſt: ſive ea res male erat ceſſura, ut Joel. II. 11. Jer. XXX. 7. Apoc. VI. 17. ſive bene, ut Oſ. I. ult. de quo loco diſtinctius in Voc. *Magnus*.

9. Dies regis. Populus jam fermentatus, ut Propheta loquitur, i. jam corruptus, ſuoque regi ad adorandos vitulos invitanti ſeſe addicens, exclamat: *Dies regis noſtri!* Oſ. VII. 5. Noſtrorum temporum more dicerent: Vivat Jeroboamus! obediatur imperiis regiis! novis numinibus ſacrificetur! Cum populo una *cœperunt principes furere a vino*: proceres velut ebrii ad idem ruunt. Pergit itaque rex, & ad ſacrificandum infami deo *extendit manum ſuam cum illuſoribus*, præſenti blandientibus, apud ſe inanitatem rei irridentibus. ibid.

10. Dies hominis. *Diem hominis non deſideravi: tu ſcis*. Jer. XVII. 16. Solent hæc verba ita exponi, non deſiderari a ſe plauſum, proſperitatem humanam, vitam diuturnam. Sed cum fons hebraicus habeat *diem calamitoſum*, non felicitatis, ſed miſeriæ proprius

Digitized by Google

prius dies hic eſt. Quod etiam cum loci ſerie præclare cohæret. Domine, inquit, tu ſcis, non deſiderare me eventum illarum calamitatum, quas Hebræorum reipublicæ tuo juſſu minatus ſum.

11. Dies agnitionis. *Non habebunt ſpem, nec in die agnitionis*, die extremi judicii, *allocutionem*, i. e. conſolationem. Sap. III. 18.

12. Non dies, neque nox. *Erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox: & in tempore veſperi erit lux*. Zach. XIV. 7. Dies æternitatis: tum dierum noctiumque viciſſitudo ceſſabit: tum veſpera parem cum meridie lucem habebit. Antequam dies hic magnus oriatur, aquæ (ibid. v. 8.) gratiæ & ſcientiæ cæleſtis per omnes orbis partes diffundentur, & fiet (v. 9.) unum ovile ſub uno paſtore, unum regnum ſub uno domino. quod propheta deinceps ſub hebraicorum nominum allegoria proſequitur.

13. Dies qui formantur. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis*. Pſ. CXXXVIII. 16. Tu me ante intuebaris, quam perfectus in maternis viſceribus eſſem: in immenſo ſcientiæ tuæ æternæ volumine conſignati ſunt dies omnes, quibus ſinguli homines ante ortum formantur: ne unus quidem eorum dierum in libro hoc tuo deſideratur.

Differo. *Tu vero repuliſti & deſpexiſti: diſtuliſti Chriſtum tuum*. Pſ. LXXXVIII. 39. Verus ſenſus literalis in Meſſiam orbis liberatorem non cadit, quaſi ejus adventum Divinus Pater, interpoſita longiore mora, in ſeros annos prorogarit. *Differre* hic non eſt procraſtinare, extrahere, reſervare; ſed, ut ex græco fonte patet, unde Pſalterium Vulgatæ converſum eſt, abjicere; quidem cum ira: eſt enim in hebraico, in illum excanduiſti: atque ita Hieronymus vertit. id autem de Jesu Meſſia dici aut cogitari pie non poteſt. De tempore captivitatis loquitur pſaltes: Poſt tam illuſtria promiſſa, repellis nunc populum tuum, ac tanquam non tuum contemnis: ejus regem, a te unctum, iratus abjicis, & procul amandas.

das. Eodem omnino modo res ſe habet Pſ. LXXVII. 21. ubi verbum idem hebraicum legitur. Eo tamen loco, cum de XL. annorum profectione pſalmus agat, vocabulum *diſtulit* etiam de interjecta mora intelligi apte poterit: iratus populo Deus ingreſſum in terram ſanctam prorogavit.

Dilato. *In tribulatione dilataſti mihi*. Pſ. IV. 2. ſive cor, triſtitiæ anguſtiis arctatum & contractum, ſive ipſas viarum & rerum anguſtias.

2. Dilatare os. poetice. *Dilata os tuum, & implebo illud*. Pſ. LXXX. 11. Opta, pete: quantumcunque deſideres, impetrabis.

3. Dilatare animam. Vir ſuperbus & inſatiabilis comparatur a propheta homini bibenti vinum: quod initio quidem exhilarat, at *quomodo vinum potantem decipit: ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur*, ſed inſtar ebrii aliis ludibrio erit. Additur ſimilitudo altera, qua par eſſe dicitur ſepulcro, & morti, quæ ſatiari nequeunt. *dilatavit quaſi infernus animam ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimpletur*. Dilatare animam, eſt cupiditatem extendere, adeo, ut *omnes gentes, omnes populos*, ſi modo fieret copia, ſibi unus ſubjiceret. Hab. II. 5.

Dilectus. Inter tonitrua ac tempeſtates, inter fulminum fragores, tota nemora disjicentium, appellatur Deus *dilectus quemadmodum filius unicornium*. Pſ. XXVIII. 6. Terribilem hæc Deum efficiunt impiis: juſtis vero ſibique fidelibus amabilis apparet hæc ipſa potentia & majeſtas: ut pullus rhinocerotis, aut monocerotis, cum jam obvios cornu petit, ejusque naſcentis vim in arbores experitur, hoc ipſo aſpectu intuentium animos recreat. Hodierna hebraica pro noſtro *dilectus* habent *Sirjon*, quod nomen eſt montis. Sed olim aliter fuiſſe lectum, oſtendit auctoritas LXX. Interpretum, qui nobiſcum faciunt.

2. Dilectus ex dilecto. Cant. V. 9. Hebraiſmus: caris omnibus carior.

3. Rex virtutum dilecti dilecti. Rex Deus exercituum dilectiſſimi populi ſui; allegorice, dilectiſſimi Filii. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute*

multa, Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus divide-re ſpolia. Pſ. LVXII. 12. ſq. Dominus & Rex hic noſter dabit eloquentiam & viam annunciandi potentiſſime ſuam legem: idemque dabit, ſpoliis plurimis eccleſiam ſuam pulcre & magnifice exornare poſſe.

Diligo. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*. Pſ. CXIV. 1. Dilexi Deum, tam bonum, qui preces meas audiit. Futurum pro præterito.

Diluculum. Ubique Dei oculis ſum expoſitus, ubique in illius manu ſum, *ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris*. Pſ. CXXXVIII. 9. ſi vel volare celeriter poſſem, & alarum ope ab ortu in occaſum commeare, atque in maris remotiſſimi littore vel inſula me abſconderem.

2. Conſurgens diluculo. Mittere Dominus prophetas ſuos dicitur *conſurgens diluculo*. Jer. XXV. 4. & XXXV. 15. in tempore, mature, inſtar hominis ſolliciti ac vigilantis.

3. Novi diluculo. *Non defecerunt miſerationes ejus, novi diluculo: multa eſt fides tua*. Thr. III. 22. ſq. *Novi* pro *novæ*, nimirum miſerationes: quæ quia hebraice vocabulo maſculini generis exprimuntur, in eo defixus animo interpres epitheton maſculinum ſubjunxit. Miſerationes ejus non deficiunt: quotidie, & celeriter, cum prima luce, novæ nobis exoriuntur: tanta Dei fides eſt.

Diluvium. *In diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*. Pſ. XXXI. 6. Etiamſi inundent calamitates hominem Dei amicum, non tamen ei nocebunt.

2. Diluvium inhabitans. *Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum. Dominus virtutem populo ſuo dabit. Dominus benedicet populo ſuo in pace*. Pſ. XXVIII. 9. ſq. Noſtra cum hebraicis ita conjunge, quemadmodum & in Pſalterio meo poſui: Apparet ſempiterna Dei majeſtas in diluvio, quod impios terrens & puniens in terram effundit: at populo ſuo fideli fortitudinem concedet, eique in pace benedicet.

3. Di-

3. Diluvium præteriens. *Bonus Dominus .... & ſciens ſperantes in ſe: & in diluvio prætereunte, conſummationem faciet loci ejus*, Nah. I. 7. ſq. Inter varias de hoc loco opiniones veri ſimilior eſt de Divino auxilio adverſus Sennacheribum, qui infuſo in Judæam exercitu inundaturus omnia erat. Ejuſdem Aſſyrii regis irruptionem Iſaias quoque ſub imagine fluminis inundantis præmonſtrat, VIII. 7. ſq. En ut inter ſe in unius rei effigie exprimenda conveniunt diſertiſſimi duo prophetarum omnium, Iſaias majorum, Nahum minorum eloquentiſſimus! Solatium accedit ab addito vocabulo *prætereunte*. Breve, inquit, hoc diluvium eſſe jubebit is, qui ſpem ſuorum novit & reſpicit: finiet ille ſpe citius hoc periculum, & una nocte vobis ita ſuccurret, ut nullus ærumnæ locus ſuperſit.

Dimetior. Victor ipſe *DEUS locutus eſt in ſancto ſuo*, i. e. in ſanctuario ſuo, dicens: *Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar*. Pſ. CVII. 8. In eandem ſententiam hæc ſcripta leguntur Pſ. LIX. 8. Militaria ſunt dividere ac dimetiri: imperator enim victori exercitui hoſtilem agrum dividebat, & poſſidendam ſuam cuique partem dimetiebatur. Ita Deus, ipſe pro Davide ſuo pugnaturus, poſſeſſionem ei promittit Sichimæ (i. e. totius Samaritidis) & vallis Succoth, vel potius Syccoth (latine tabernaculorum, ubi Jacob olim tabernacula collocaverat) aliarumque provinciarum, quæ deinceps enumerantur.

Dimidium. Corona domus Joab, & *Dimidium requietionis Saral*, I. Par. II. 54. non ſunt appellativa, ſed propria nomina, duorum e quatuor Salmæ filiis, ut ex LXX. patet.

Diminutio. *Laboravit dives in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonis ſuis. Laboravit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit*. Eccl. XXXI. 3. ſq. Qui nunc dives eſt, olim laboravit, ut opes colligeret: ad extremum vero honeſte partis fruitur quietus, & abſque avaritia genio tranquille indulget. At pauper iſte, qui ſordido diteſcendi ſtudio genium defraudat, & ne victum quidem corpori præ-

bere audet, demum e paupertate ad egeſtatem & inopiam devolvetur.

Dimitto. *Qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deſerit.* Prov. XVII. 14. Sicut (quæ particula per Hebraiſmum omittitur) qui aquæ viam elabendi aperit, ſed eam retinere deinde & coercere arbitratu ſuo non poteſt: ita qui cœpit jurgia, ea finire ac tollere non eadem facilitate poteſt. Ille ſapit, qui potius initio judicium deſerit ſeu lite abſtinet, antequam res ad contentionem & contumelias adducatur.

Dioryx. Sapientia de ſe ait; *Ego quaſi fluvii dioryx.* Eccl. XXIV. 41. Inepte, qui nomen hoc proprium fluvii putavere, cum nullus eo nomine uſquam reperiatur. Apellativum græcum eſt: foſſa a fluvio: Sapientia a Deo Patre.

Diplois. Græcum, veſtis duplex. Ita Pſ. CVIII. 29. verterunt LXX. ad magnitudinem probri ſignificantius exprimendam. In hebraico ſimpliciter eſt pallium. Diplois juſtitiæ legitur Bar. V. 2. & cum mitra honoris Æterni (i. e. Dei) conjungitur: ut videas, accipi in utramque partem.

Directus. *Neque enim, quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: ſimiliter & quod non erat habendum.* Eccli. XX. 19. Alia bona habenda ſunt, ſeu retinenda, ad uſus neceſſarios; alia non habenda, ſed reſtituenda, ſi male parta; vel egentibus largienda, ſi ſint ſuperflua Prodigus neutra diſtribuit *directo ſenſu*, prudenter, ſana & recta ratione; ſed omnia in paraſitos & adulatores profundit.

2. Viæ directæ, i. e. proſperæ. Eccli. XLI. 2.

3. Viæ viis directæ. Deus ſuis tranſeuntibus *convertit aquas* maris rubri & Jordanis *in ſiccitatem, & ſiccata eſt terra: & viæ illius viis illorum directæ ſunt* Eccli. XXXIX. 29. Dei judicia ſemper bonis favent, conſentiunt, & placent. At *peccatoribus offenſiones* & ruina *in ira ejus*. ibid.

4. Planctus in directum. *Tonde capillum tuum, & projice: & ſume in directum planctum.* Jer. VII. 29. Hebraice, ſuper excelſa, ſuper eminentia. Plange, ut longe

longe audiatis, ut vox tua etiam in vicinis collibus & montibus percipiatur.

Dirigo, *qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum*. Pſ. C. 7. Oculis meis non placuit. Hebraica vox ſignificat firmari, ſtabiliri. Proinde collige: Mendacem & fraudulentum in conſpectu meo perſeverare non ſum paſſus.

2. Directus eſt cum angelo. Jacobi patriarchæ elogium Oſ. XII. 3. In luctatione fuit ſuperior. Contextum totum repræſentabo ad Voc. *Invaleſco*.

3. Viæ viis directæ. Explanatum eſt modo in Voc. *Directus*.

Dirumpo. *Tu dirupiſti fontes & torrentes*. Pſ. LXXIII. 15. Tu erumpere juſſiſti rivum ac torrentem, Moyſe petram in Raphidim & Cades percutiente. Dicuntur propter copiam fluvii, propter celeritatem torrentes.

Discerno. *Dum dlſcernit cæleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon*. Pſ. LXVII. 15. Dum Rex cæleſtis populo ſuo & terræ ſanctæ reges deſtinat ac præficit, Hebræi eorumque ſancta eccleſia nivis inſtar ſplendebunt, haud ſecus ac mons Selmon. De monte hoc dicetur a me ſuo loco.

Disciplina. Meſſias *attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*. Iſ. LIII. 5. Caſtigatus eſt, ut nos omni felicitate potiremur.

Discoctus. Vox DEI ad Ezechielem: *Pinguiſſimum pecus aſſume: compone quoque ſtrues oſſium* (majorum, relictis intra carnes minoribus) *ſub ea* (olla) *Efferbuit coctio ejus, & diſcocta ſunt* (hebraice, fac efferveſcere bullitus ejus, & impegerunt) *oſſa illius in medio ejus* Ez. XXIV. 5. Coque tamdiu, donec in ferventibus & bullientibus aquis minima etiam oſſa flammarum vi a carnibus reſolvantur, ac diſcocta omnia ferente æſtu impingant, & inter ſe concurrant.

Discubitus. *De diſcubitu in panibus*. Eccli. XLI. 24. intellige ex v. 21. *erubeſcite*. Græca rem dilucidant, quæ vetant figere cubitum in menſa. Pudeat vos inverecundo geſtu accumbere, oblitos honoris, qui convivis debetur.

Dispergo. *Aſcendit, qui diſpergat* (qui vaſtet, depopuletur omnia, inquit Hieronymus) *coram te, qui cuſtodiat obſidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. Quia reddidit Dominus ſuperbiam Jacob, ſicut ſuperbiam Iſrael: quia vaſtatores diſſipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt*. Nah. II. 1. ſq. Aſcendet vaſtator Nabuchodonoſor, qui te tuamque Niniven, o Sennacherib, obſidione concludat. Circumſpice omnem evadendi rationem & viam, robur omne collige: nihilſagis, puniet Deus injurias, ſuperbe, á te illatas tum duabus tribubus (quas *Jacob* appellat,) tum captivis decem Iſraeliticis: quas tui diſſiparunt, & exſcindere conati ſunt.

Dispono. *Jucundus homo, qui miſeretur & commodat*, facile *diſponet ſermones ſuos*, parata habebit reſponſa, quæ reddat *in judicio* humano, atque Divino: *quia in æternum* ab accuſatoribus *non commovebitur*, ſed *in memoria æterna erit juſtus*, & *ab auditione mala* damnationis *non timebit*. Pſ. CXI. 5. ſqq. Qui *judicii* nomine ſapientiam & prudentiam intellexerunt, hoc ſenſu, miſericordem omnia prudenter moderari, ne deſit nimirum, quo alios juvare deinceps poſſit: hi, inquam, vere dixerunt, ſed falſo interpretati ſunt: quod ſexcenties accidere videmus iis, qui latina ſola reſpicientes, eorum ambiguitate falluntur: quoniam linguis primævis deſtituti, ſenſum apparentem & humanum a vero Divinoque diſcernere nequeunt. Hebraicum *miſchpat* in præſenti loco ambiguitatem omnem tollit quippe quod ſapientiam aut prudentiam non indicat, ſed proprio & clariſſimo ſenſu de judicis cognitione accipiendum eſt.

Dissipo. *Diſſipati ſunt, nec compuncti*, hebraice, nec tacuerunt. i. e. more hebraico, non quieverunt, non deſierunt Pſ. XXXIV. 16. Varias ad me perdendum vias inierunt, nec pœnitentia ducti deſtiterunt.

Dissolvo. Frequens eſt in Sacra Pagina *diſſolvi*, pro imbecillem, infirmum fieri; elangueſcere, debilitari. *Diſſolutæ ſunt manus ejus*, Isboſethi, occiſo Abnere. II. Reg. IV. 1. Enervatus eſt, robur amiſit, fractus eſt. *Sion, non diſſolvantur manus tuæ*. Soph. III. 16.

Noli

Noli diffidere, noli animo conſternari. Eodemque ſenſu de corde & genibus. *Diſſolverunt cor populi*. Joſ. XIV. 8. *Cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus*. Nah. II. 10. *Manus debiles, & genua diſſoluta*. Eccli. XXV. 32.

Distinguo. Hebræi *irritaverunt eum*, Deum, *ad aquas contradictionis: & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbaverunt ſpiritum ejus: & diſtinxit* (hebraice, temere locutus eſt, effutiit, inconſiderate locutus eſt) *in labiis ſuis*. Pſ. CV. 32. ſq. Moyſes eo loco, ubi Deo & ipſi populus contradixit, vexatus eſt, ſeu in maximum & ipſe damnum incurrit: nam, exacerbato per ſuorum contumaciam animo, in verba illa prorupit, quibus offenſus Dominus etiam ipſi aditum in terram promiſſam intercluſit. Alloqui petram juſſus (*loquimini ad petram*, Num. XX. 8.) diſceſſit ab hoc imperio, neque petram, ſed populum inconſiderate affatus, dixit: *Audite rebelles*, cet. ibidem v. 10. Interpretes, qui verbum *diſtinxit* ad Deum traxere, negantem Moyſi introitum in terram ſanctam; viderint, quo pacto veritati hebraicæ ſatisfaciant: an enim temere Deus & inconſiderate locutus eſt?

Dives. Pater Divinus Filio ſuo Jesu Chriſto, ſalutis humanæ cauſſa mortuo, *dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua*. Iſ. LIII. 9. Eleganter D. Heronymus impios interpretatur populos gentium; divitem habraicam gentem, legis & regni poſſeſſione antiquiſſima opulentam. Utroſque Chriſto pro morte & ſepultura ſua Pater donavit, & poſſidendos dedit. Significanter hebraice: dabit impios ſepulcrum ejus, & divitem pro morte ejus. In Chriſti ſepulcro impietas ſepelietur, &, qui fuerant impii, jam gratia opulenti reſurgent: quo nullus eſſe poteſt e Chriſti morte fructus glorioſior, nulla vindicta Deo Homine dignior.

Divido. *Ipſe* (infernus, i. e. tumulus) *inter fratres dividet*. Oſ. XIII. ult. Fratres a fratribus avellit, homines omnes dividit & abripit mors. Totum hunc locum vide in Voc. *Morſus*.

2. Diviſi ab ira. *Contaminaverunt teſtamentum ejus, diviſi*

diviſi ſunt ab ira vultus ejus: & appropinquavit cor illius. Pſ. LIV. 21. ſq. Mira hic interpretum diſſenſio propter loci obſcuritatem, & græcorum voluminum ab hebraicis, atque hebraicorum inter ſe diſcrepantiam. Ad duos tamen ſenſus revocare partes omnes licet. I. Qui teſtamentum ſive legem Dei peccatis contaminarunt, ſuumque pactum ac fidem datam violarunt, ab ira vultus Divini diſperſi ac diſſipati ſunt: cor enim Dei appropinquavit, ut eos viſitet, ſupplicioque addicat. II. Fraudulenti homines longe ab ira disjunxerunt vultum ſuum, & os butyro lenius offerentes, appropinquare cor ſuum finxerunt, ac amicitiæ ſpecie fel reconditum obtexerunt. Cum quo prorſus conſentiunt, quæ ſequuntur: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula*. ibid.

Divinatio. Pro oraculo. *Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus*. Prov. XVI. 10. Rex quæ loquitur, oracula ſunt: ſciens & volens non errat in judicio; certe in errorem non inducit quenquam eorum, qui bona fide principi obtemperant. Aliter ſi judicet aut imperet, non jam regnum eſt, ſed tyrannis.

Divisio. Tranſire inter diviſiones (partes diviſas) vituli. Jer. XXXIV. 18. ſq. Ritus ineuntium fœdus etiam apud gentes profanas, ut inter victimæ diſſectæ partes tranſirent.

Do. *Pro juſto datur impius, & pro rectis iniquus*. Prov. XXI. 19. Deditur pro illis veluti piaculum, ut LXX. habent; ſive ut victima ſuccedanea. Sic Aman pro Mardochæo, pro Daniele accuſatores, Saulis filii pro innocente populo in mortem dati ſunt. Eſth. VII. 10. Dan. VI. 24. & XIV. 41. II. Reg. XXI. 1. ſqq.

2. Dare in miſericordias. *Dedit eos DEUS in miſericordias in conſpectu omnium, qui ceperant eos*. Pſ. CV. 46. Erga Hebræos captivos dominorum miſericordiam excitavit.

3. Dare querelam, dare triſtitiam. *In bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali*. Eccli. XVIII. 15. Siquid aliis largiare, noli querulus ac triſtis id facere: noli verbis aſperis gratiam tui doni

ni corrumpere. *Cor pravum dabit triſtitiam , & homo peritus reſiſtet illi*. Eccli. XXXVI. 22. Verſutus aliis triſtitiam parit: ſed homo peritus effugiet.

4. Dare poteſtatem Deo. II. Mach. XIII. 14. Omnia Deo committere, certaminis exitum ei relinquere. Hanc Judæ Machabæi voluntatem declarat militaris teſſera Dei *Victoria* : qua munitus ab eo exercitus in *aulam regiam* v.ſq. irrumpit, in eam ſcilicet aream, in qua regis tentorium ſtatutum erat.

5. Quomodo dabo te? Ad Ephraim , ſeu regnum Iſraelis, dicit Dominus: *Quomodo dabo* (tractabo) *te Ephraim*? an *protegam te Iſrael*? Non protegam , ſed *quomodo dabo te*? qualem eſſe jubebo fortunam tuam? *ſicut Adama*, *ponam te ut Seboim*: quæ urbes cum Sodoma funditus everſæ ſunt. Oſ. XI. 8. Statim autem, veluti ſeveritatis pœnitentia ſubeunte, miſericordiam & ſalutem promittit.

6. Dabit eos. i. e. ſinet, permittet , patietur conſiſtere. *Propter hoc dabit eos uſque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael*. Mich. V. 3. Propter hoc (ut naſci Meſſias dux & princeps verorum Iſraelitarum, Bethlehemi poſſit, quemadmodum ſuperiore verſu promiſerat) Propter hoc permittet Deus Hebræos , etſi tam ingratos & indignos , conſiſtere poſt captivitatem Babylonicam in terra promiſſa tamdiu, donec parturiens pariat mater illa, quæ ad id uſque temporis fuit ſterilis, nimirum Gentilitas. De hac enim Paulus Gal. IV. 27. interpretatur illud prophetæ evangelici : *Lauda ſterilis, quæ non paris - - - - quoniam multi filii deſertæ, magis, quam ejus* (Synagogæ) *quæ habet virum*. Iſ. LIV. 1. Sic & Anna cecinerat : *Donec ſterilis peperit plurimos: & Synagoga, quæ multos habebat filios infirmata eſt*, ſterilis evaſit. I. Reg. II. 5. Tum reliquiæ fratrum Meſſiæ ad veram eccleſiam filiorum Iſrael convertentur, cum Chriſti diſcipuli electos ex Judæorum populo ad magiſtri ſui religionem adducent. Suos hos *paſcet* Jesus *in ſublimitate nominis Domini* , ipſe vero *magnificabitur uſque ad terminos terræ*, ut ibidem Michæas pergit. v. 4. *Et erit iſte pax*. v. 5. Chriſtus Pax noſtra.

Gra-

7. Gratia dati. Vide in Voc. *Datum*.

Doctor. Joel. II. 23. Doctor Juſtitiæ appellatur Meſſias in magnifico illo vaticinio de ejus adventu & beneficiis.

Doctrina. *Filius ſapiens doctrina, patris*. Prov.XIII. 1. Filius ſapiens eſt viva imago doctrinæ & inſtitutionis paternæ.

Doleo. *Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſiit*. Hab. III. 10. Poetice, ut omnia in illa hypotyposi Dei populum ſuum ex Ægypto educentis. Tantis perculſi miraculis expaverunt hoſtiles reges. Jordanis gurges tranſiit, ſtante fluminis parte ſuperiore.

2. Dolentium arma (Eccli. IX. 20.) expoſui in Voc. *Communio*.

Dolo. *Dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & judicia tua quaſi lux egredientur*. Oſ. VI. 5. Duriſſimum populum, ceu lapides & ligna, per prophetas meos polire ſtudui, ut ad æquum adducerem. At vos eos occidiſtis: ut adeo idem eſſet eos mittere, ac in certam mortem propter verba mea ſubeundam conjicere. Verum pœna, tuo judicio illis infligenda, o Deus, omnibus illuceſcet.

Dolus. De impiorum felicitate ita canit pſaltes, Deum alloquens: *Propter dolos* (Hieronymus, in lubrico) *poſuiſti eis: dejeciſti eos, dum allevarentur*. Pſ. LXXII. 18. Divitiæ & proſperitas ſunt via lubrica & doloſa, facile in lapſum trahens. Propter hanc viam, juxta doloſos hos calles poſuiſti eos; ibi ſuam illis ſemitam deſignaſti. Dum a te extolluntur, cadunt in lubrico, & ad inferos dejiciuntur.

Doma. Vox græca, quæ an totam domum, an ſolum tectum ſignificet, grammatici certant. In Vulgata conſtanter pro tecto ponitur. In obſidione arcis Jeroſolymitanæ proponitur a Davide præmium militi, qui *tetigiſſet domatum fiſtulas* (II. Reg. V. 8.) i. e. qui eo evaſiſſet, ut hoſtilium tectorum canales attingere manu poſſet. Dum Eſdra hortante feſtum tabernaculorum inſtaurant, ea concinnant e frondibus, ubiubi locum apertum inveniunt: *in domate ſuo*, in atriis,

in

in plateis. II. Eſdr. VIII. 16. *Melius eſt ſedere in angulo domatis* (LXX. perſpicue, *hypethri*; ſub dio: melius eſt habitare in angulo tecti expoſito & incommodo,) *quam cum muliere litigioſa, & in domo communi*. Prov. XXI. 9., & totidem verbis Prov. XXV. 24. Chaldæi *comburent eam* (Jeroſolymam) *& domos, in quarum domatibus ſacrificabant Baal*. Jer. XXXII. 29. *omnes domus, in quarum domatibus* (tectis planis & ſubdialibus, qualia in Palæſtina, & calidioribus etiam Europæ regionibus) *ſacrificaverunt omni militiæ cæli*, ſtellis, quarum inde liber aſpectus. Jer. XIX. 13.

Dominatrix. *Dic regi, & dominatrici*, reginæ: *Humiliamini, ſedete quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ*. Jer. XIII. 18. Non tamen placet regis uxor, ſed mater. *Mittam te, & matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam - - - ibique moriemini*. Jer. XXII. 26.

Dominor. Cum genitivo, helleniſmus eſt. Homo iniquus & violentus *omnium inimicorum ſuorum dominabitur*. Pſ. IX. 26. Sperat, ſe omnibus inimicis proſtratis dominaturum. *Dominabuntur eorum juſti in matutino*, dominabuntur impiis in luce futuræ vitæ: *& auxilium eorum*, potentia iniquorum, *veteraſcet in inferno a gloria eorum*, amiſſa gloria interibit. Pſ. XLVIII. 15. *Pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus*. Jer. XXXI. 32. & ego ad ſupplicium eos rapui, vel: cum tamen ego legitimus eorum dominus eſſem. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Pſ. XVIII. 14. Si mihi non fuerint dominati hi nævi, ſi non ſerviam peccatis his occultis & alienis; de quibus locutus fuerat. Pio Pontifici licuerit, verbis his *Nepotiſmum*, quem vocant, ſeu nimium in cognatos favorem configere: nobis, qui literalem & verum Pſalmi ſenſum inquirimus, non licet eſſe tam ingenioſis.

Dominus. In exitio Pentapoleos *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cœlo*. Gen. XIX. 24. Dominus a Domino, Filius a Patre, inquiunt cum Auguſtino multi. Sed hi myſterium quærunt, non literæ ſenſum. Linguæ hebraicæ conſuetudo fert, ut ſæpe pronominis loco ſubſtantivum

vum

vum ponatur: ita hoc loco *Dominus a Domino pluit* dicitur pro *Dominus a ſe* de cælo pluit, ſeu dejecit ſulphur & ignem. Scientiſſimus omnis hebraiſmi Hieronymus lumen affert huic loco ab alio ſimili. Zach. III. 2., ubi *dixit Dominus ad ſatan: Increpet Dominus in te ſatan: & increpet Dominus in te, qui elegit Jeruſalem.* i. e. Ego te increpabo: ego, qui elegi Jeruſalem, te reprimam. Sic de Abrahamo Deus inquit: *Scio enim, quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum.* Gen. XVIII. 19. pro *viam meam*; & *adducam ego*, efficiam, impleam promiſſa. Aaronem & Mariam Dominus hunc in modum alloquitur: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini*, (propheta meus,) *in viſione apparebo ei*. Num. XII. 6. Moyſes autem *palam, & non per ænigmata & figuras Dominum* (me) *videt.* ibid. v. 8.

Domus. De Moabitis dicitur: *Aſcendit domus, & Dibon ad excelſa in planctum*. Iſ. XV. 2. Aſcendit domus regia, inquit B. Hieronymus, totaque urbs Dibon, ut fanum & lucum dei ſui Chamos plangore opplerent.

2. Domus vulgi. *Domum quoque regis, & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igni, & murum Jeruſalem ſubverterunt*. Jer. XXXIX. 8. Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ, in Deſcript. Hieroſol. §. 45., Domum Vulgi fuiſſe ait illam, ubi convivia publica, ludos, ambulationes, jaculationes celebrabantur. Hæc ejus opinio primarios aliquot interpretes abripuit, ut hunc Jeremiæ locum de communi aliquo totius civitatis domicilio intelligendum putarent. Sed id minime ſatisfacit: cum totam urbem fore buſtum a Deo toties tam explicate prædictum ſit. Atqui totius urbis incendium in univerſa illa Jeremiæ narratione non oſtendes, niſi domum vulgi pro omnibus civium ædibus accipias, poſito ſingulari numero pro plurali; ut in illis, Miles in urbe furit, Barbarus habebit has ſegetes. LXX. explanate: domos populi. Imo ipſa Vulgata Jer. Capite ultimo, ubi narratio Capitis XXXIX. repetitur, diſtincte ait: *incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Jeruſalem.* Jer. LII. 13.

Dor-

Dormio. Sæpe de morte dicitur. *Dormiens ſilerem* Job. III. 13. *Lazarus amicus noſter dormit*. Joann. XI. 11. *dixerat autem* Jesus *de morte ejus*. ibid. v. 13. *De dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent*. I. Theſſ. IV. 12. id eſt, de mortuis. Ex fratribus amplius quingentis, Chriſtum redivivum intuitis, *multi manent uſque adhuc*, ſuperſtites ſunt, *quidam autem dormierunt*, e vita migrarunt. I. Cor. XV. 6. *Ideo* (propter indignam Corporis Dominici communionem) *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. I. Cor. XI. 30. Ne detorque hæc ad languorem teporemque animi, & mortem gratiæ: animo enim non *multi*, ſed omnes erant mortui; quicunque indigne acceſſerant: ſed proprie ac vere morbis, imbecillitate corporis, ac morte puniti erant.

2. Dormire & ſoporati. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi: quia Dominus ſuſcepit me*. Pſ. III. 6. Deo confiſus, inquit David, inter ingruentes undique hoſtes, ſecuro tamen animo ſomnum cepi, & arctum quidem: nulloque mihi damno illato exſurrexi, quia Dominus patrocinium mei ſuſceperat. Allegorice, Chriſtus obdormivit in cruce, altiſſimo & æterno ſopore oppreſſus in tumulo viſus eſt, die tertio exſurrexit.

Dormito. *Ab increpatione tua* Deus *Jacob dormitaverunt qui aſcenderunt equos*. Pſ. LXXV. 7. Carmen hoc in Aſſyrios ſcriptum eſt: ut ipſe titulus docet. Illi ergo, qui nulla re magis, quam equitatu freti. Hebræos aſpernabantur, reprehendente & puniente Domino, ſubito mortis ſopore correpti ſunt. Elegantiſſime hebraica: Conſopitus eſt & currus, & equus.

Dorsum. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum*. Pſ. XVII. 41. D. Hieronymus vertit: inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, dum videlicet eos in fugam compuliſti. *Pones eos dorſum*. Pſ. XX. 13. In fugam eos vertes.

Drachma. Prætereo auctores illos, qui per monetam hiſpanicam, italicam, gallicam, drachmæ pretium explicant: argenti germanici rationem colligo ex Cornelio à Lapide, in Exod. XXX. 13., ac Diſſert. de Menſuris ac Ponder. Hebr. quæ eſt ad calcem Penta-

teu-

teuchi, §. 1.; Drexelio, Joſephi C. III.; ac Tirino, in Prelegom. de Antiq. Ponderib. ac Monet. §. de Drachma & Siclo, itemque in Matth. XVII. 23. Stater ſive ſiclus drachmis atticis quatuor, hebraicis duabus conſtabat: hebraicæ enim bis tanto valebant, quam græcæ illæ. Cum ergo tetradrachmum atticum, ſive ſiclus aut ſtater, cum floreno brabantico æquetur, id eſt, cum victoriatis (vulgo *baziis*) noſtris octo, ſeu 32. crucigeris: relinquitur, ut drachmam atticam victoriatis duobus ſeu 8. crucigeris, hebraicam, victoriatis 4. ſeu crucigeris 16. æſtimemus.

Draco. *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſſi*. Pſ. CXLVIII. 7. Laudate Dominum, tu o terra cum animantibus tuis, voſque o maria cum veſtris, nominat ſpeciatim propter magnitudinis præſtantiam dracones marinos ſeu cetos. Hebraicum *tanninim* Vulgata ipſa Gen. I. 21. interpretatur *cete*.

2. Draconum frater. Job de ſe: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*. Job. XXX. 29. Ut non tam pro ſolitudine, quam pro plangore, ſibilo, ejulatu, ſtridore accipiam, ſuadet contextus: præcedit enim: *conſurgens in turba clamabam*. v. 28. & ſequitur: *verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*. v. ult. Sed clariſſime hebraiſmi hujus naturam oſtendit Michææ locus, I. 8. *Plangam, & ululabo: --- faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum*.

3. Draco ad illudendum. De mari loquens vates regius, illic, inquit, præter naves & piſces alios, *draco iſte* hebraice leviathan, *quem formaſti ad illudendum ei*. Pſ. CIII. 26. Putes, *ei*, referri ad mare, cui cetus immanis illudit & inſultat. Sed obſtant LXX., apud quos pronomen *ei* aperte cum ceto, non cum mari, conſentit. Formavit ergo cetum omnipotens rerum auctor, recreandi hominis ergo, qui tantam belluam tantillus vincit. *Vere mirabilis* Deus (libet enim verbis uti doctiſſimi Theophili Raynaudi, Operum Vol. XVII., in Prato Spirit. hiſtoria 44., quæ eſt de capta prægrandi balæna) *Vere mirabilis* Deus, *ſicut in cælo ac terra, ita & in abyſſis, formans tantam molem ad illudendum ei*.

Ca-

4. Capita draconum, & draconis. *Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis. Tu confregiſti capita draconis: dediſti eum eſcam populis Æthiopum*. Pſ. LXXIII. 13. ſq. Tua potentia, Deus, ſolidavit Hebræis tranſeuntibus mare rubrum: Ægyptiorum nobis imminentium capita tu contriviſti. Tu valide comminuiſti capita Leviathanis (ita eſt hebraice) proceres nimirum Pharaonis, ut aperte loquuntur chaldaica. Eorum cadavera, in Æthiopum littus ejecta, pabulum feris & volucribus dediſti. *Populus* hebraice non de ſolo homine dicitur. *Formicæ populus infirmus* Prov. XXX. 25. Alii *populos*, accipiunt proprio, *eſcam* tralatitio ſenſu: Erythræi maris accolæ ſpoliis ejectorum ſaturati ſunt: vel, populi hi, Ægyptiorum hoſtes, ob eorum interitum lætitia trumphantes, inermem & a defenſoribus nudam Ægyptum diripuerunt.

Ductilis. Tubas corneas a ductilibus vates regius diſtinguit Pſ. XCVII. 5. Ex argento (Num. X. 2.) maleis attenuato in tubæ formam ducebantur.

Duma. *Onus Duma*. Iſ. XXI. 11. Vaticinium de gravi malo (hoc enim onus appellare prophetæ ſolent) præmonens Dumam, i. e. Idumæam, ut ex addito Seir liquet.

Duo. De Meſſia, qui ibi dicitur Vir Oriens: *Dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos*. Zach. VI. 13. Reſpexit interpres, non ad latinum *ſolium*, quod poſcebat *inter illa duo;* ſed ad hebraicum vocabulum, quod generis eſt maſculini, ut nobis *thronus*. Meſſias in throno regio dominabitur Rex regum, & in throno pontificio Sacerdos ſummus: atque ita conſenſio inter duos illos thronos erit. Vel etiam, conſenſus erit inter illos duos, Regem & Sacerdotium, intelligendo non perſonam geminam, ſed dignitatem. In Chriſti perſona Regnum & Sacerdotium perfectiſſime conſpirabit, quæ ſæpe antehac magnis contentionibus ac diſſidiis colliſa erant.

2. Duæ iniquitates. *Corripientur propter duas iniquitates ſuas*. Oſ. X. 10. Quod averſi a Deo vero; quod ad falſos converſi. Id ipſum exprobravit Jeremias al-

legi

legorice : *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Jer. II. 13.

3. Duo occurrentia. *Duo ſunt, quæ occurrerunt tibi: quis contriſtabitur ſuper te? vaſtitas, & contritio, & fames, & gladius*. Iſ. LI. 19. Qua ratione, dicet aliquis, duo nominat, cum poſtea enumeret quatuor? Duo paria cogita, quorum prius ad urbem, alterum ad cives pertinet.

Duplex. Jeruſalem *ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*. Iſ. XL. 2. Quidam pœnas interpretantur ſeveriſſimas, & duplo plus amaritiei habentes, quam in peccato voluptatis inerat; alii beneficia, peccatis duplo majora.

2. Pro valde magno. *Duplicia reddam tibi*, i.e. præmium laboris uberrimum. Zach. IX. 12. *Reddam primum duplices iniquitates & peccata eorum*. Jer. XVI. 18. Supplicio acerbiſſimo afficiam. *Duplici contritione*, graviſſime, *contere eos*. Jer. XVII. 18. *Pro confuſione veſtra duplici*, magna, multiplici, *& rubore*, o ſervi Dei, qui gentes ad eum adorandum permoviſtis, hæ ipſæ gentes *laudabunt partem ſuam*, felicitatem ſuam ſibi gratulabuntur: *propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt* bona ampliſſima. Iſ. LXI. 7.

Duplico. *Percute manu ad manum*, complode manus præ dolore, o Ezechiel: *& duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum*. Ez. XXI. 14. Gladius ſtragem ingentem edet. *interfectorum* non activum eſt, ſed paſſivum; eorum, qui occiduntur. Ingenioſe Hieronymus ad triplicem Chaldæi adventum hæc refert.

2. Duplicare ſermonem auditus. Eccli. XLII. 1. Audita ab ſe arcana patefacere aliis.

E.

Ebeninus. Inter mercimonia Tyri nominat Ezechiel XXVII. 15. *dentes eburneos, & ebeninos*, dentes elephantium, & fruſta nigri ligni pretioſi.

Ebrietas. *Utinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer: ſtillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit, ſuper quem ſtillatur, populus iſte*. Mich.

Mich. II. 11. Mallem quidem hæc a me neſciri, vel falſo prædici: ſed ſentio Dei ſpiritum, urgentem me, & dicentem tibi: Graviſſimas Deo pœnas dabis. tu, tu, ſceleſte popule, is es, cui hæc deſtinantur.

Ebrius. Vide *Abſumo*.

Ebullio. *Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnaverunt contra nos, & ſanctam civitatem*. II. Mach. I. 12. *Ipſe*, rex hoſtium, ajunt aliqui. ſed parum attendunt, quid ſequatur. *Nam cum in Perſide eſſet dux ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus, cecidit in templo Naneæ*. v. 13. Hæc ut cohæreant, *ipſe* intelligendus eſt Deus, qui hoſtes urbis ſanctæ, Antiochum cum ſuis, fecit per mortem violentam & ſubitam de Perſide ejici; fecit eos evomi ſeu expelli ceu purgamenta (ea enim eſt vis græci vocabuli) ex hoc orbe terrarum & vita. Græce eſt *in Perſiam*: quod re non differt. Deus eos e patria ſua ejecit in Perſiam, quo cum accurriſſet ſpe prædæ Antiochus, exitium invenit. Eſt autem hic non Antiochus Epiphanes, multoque minus Antiochus Magnus, ſed Antiochus Sedetes, qui & Soter appellatus eſt: uti dicam in *Nanea*.

Ecclesia. Græcum. In Veteri Novoque Inſtrumento non utique ſemper templum aut homines in templo collectos indicat; ſed generatim etiam conventum hominum ubiubi congregatorum. *Caleb, dum teſtificatur in eccleſia, accepit hæreditatem*. I. Mach. II. 56. Confederat autem tum populus *fixis tentoriis in deſerto Pharan*. Num. XIII. 1. Is tamen conventus ſæpiſſime intelligitur eorum, qui ad obſecrandum Deum, legemve audiendam coierant. Bethuliæ, obſidente Holoferne, *factus eſt fletus & ululatus magnus in eccleſia*. Judith VII. 18. Legitur etiam de ſceleſtis. *Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo*. Pſal. XXV. 5. *In legitima eccleſia*, in legitimo conventu, Epheſiorum Dianam adorantium. Act. XIX. 39. *dimiſit Eccleſiam* eorumdem. v. ſq. Antonomaſtice univerſum eorum cœtum ſignificat, qui religioni veræ addicti Populum Dei efficiunt. *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Matth. XVI. 18.

2. In eccleſiam tranſilire. Artifices & opifices, civitati quidem neceſſarii, tamen *non inhabitabunt, nec inambulabunt : & in eccleſiam non tranſilient*. Eccl. XXXVIII. 37. Nullam reipublicæ partem attingent, ſed domi ſuæ ſe continebunt, forte ſua contenti. Non ſedebunt (v. 38.) inter judices, non inter doctos ſuam ſymbolam conferent: ſed (v. 39.) opera temporaria conficient, hoc unum optantes, ut in ſua quiſque arte conſpicuus ſit, & ſecundum ſtatus ſui rationem Deo ſerviat.

Ecclesiastes, Ecclesiasticus. Græca. ambo Concionatorem ſignificant. *Eccleſiaſtes*, hebraice *Cocheleth*, inſcribitur Salomonis libellus, qui Capitibus XII. rerum extra Divinas omnium vanitatem demonſtrat. *Eccleſiaſticus*, nequaquam Salomonis, ſed Siracidis ſeu Jeſu filii Sirach (Eccli. prolog. & LI. 1.) opus eſt, & LI. Capitibus *virtutis omnigenæ* documenta complexus, idcirco *Panaretos* a Græcis dictus. Iidem Eccleſiaſtici & Sapientiæ libros ita diſtinguunt, ut hunc appellent *Sophiam Solomontos*, Sapientiam Salomonis; illum *Sophian Sirach*, Sapientiam Sirach, id eſt, Siracidæ. Latini diligentiores, cum verba ex Eccleſiaſte & Eccleſiaſtico afferunt, illum per *Eccl.* hunc per *Eccli.* ſignificant.

Eden. Hebraicum. voluptas. Cain habitavit *ad orientalem plagam Eden*, i. e. paradiſi, ſeu horti voluptatis. Gen. IV. 16.

Edom. Hebraice ruber. Dixerat ad Jacobum fratrem Eſau famelicus: *Da mihi de coctione hac lentis rufa quia oppido laſſus ſum. Quam ob cauſſam vocatum eſt nomen ejus Edom.* Gen. XXV. 30. quia nimirum hoc pretio *vendidit primogenita*. ibid. v. 33. Unde regio, quam poſteritas Eſavi incoluit, Edom ſive Idumæa eſt nuncupata.

2. Allegorice, pro Judæa. Iſ. LXIII. 1. Conſule Voc. *Boſra*.

Educo. Meſſias *in veritate educet judicium*. Iſ. XLII. 3. Vere ſeu juſte judicabit.

Effugo. Sicut exanime ſimulacrum, quod neque cibo, neque odoribus fruitur: *ſic qui effugatur a Domino*,

mino, portans mercedes iniquitatis. Eccl.XXX.20.quem inſectatur Dominus, quem prohibet & arcet ab uſu inique partorum: juſtum injuſtitiæ præmium.

Effundo. *Effudi in me animam meam*. Pſ. XLI.5. Dolori ac deſiderio meo tota mente indulſi. At Iſ. LVIII. 10. effundere eſurienti animam, eſt aperire illi viſcera miſericordiæ, & benigne ſuccurrere.

2. Effundere deſpectionem ſuper principes, Job. XII. 21. Effundi contemptionem ſuper principes. Pſ. CVI. 40. i. e. excitari vel permitti a Deo contemptum & ignominiam ingentem principum.

Egenus. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*. Pſ. XL. 2. Gravior eſt apud Latinos egeſtas paupertate: pauperem enim dicimus, cui ſola neceſſaria ſuppetunt: egenum, cui ne iſta quidem. paupertas non habet ſuperflua: egeſtas iis caret: quibus vix, aut ne vix quidem carere poſſumus. Beatus, qui non expectat, dum rogetur; ſed ultro ipſe intelligit, & excogitat rationes, quibus occurrat neceſſitati non egentium tantum, ſed eorum etiam, qu non omnino egent quidem, pauperes tamen ſunt, & in egeſtatem prolabi facile poſſunt.

Egredior. *Non eſt egreſſa, quæ habitat in exitu*. Mich. I. 11. chaldaice, non exiit ſalva. Non evaſit, non diſceſſit impunita Samaria, quæ in ultimis terræ ſanctæ limitibus ſita erat Aſſyriam adeuntibus. Non ultro exiit, inquit Hieronymus, ſed vi abducta eſt.

Ejicio. *Donec ejiciat ad victoriam judicium*. Matth. XII. 20. ex Iſaiæ vaticinio de Meſſia: *donec ponat in terra judicium*. Iſ. XLII. 4. Ejicere non eſt hic expellere, ſed proferre ac dilatare. Donec legem ſuam juſtiſſimam per totum orbem evulget, & plenam de orco victoriam conſequatur.

Elamitæ. Act. II. 9. Quibuſdam Latinorum ſunt *Ælamitæ* per diphthongum: ſed Lucas ipſe in græco fonte vocalem brevem habet. LXX. quoque Gen. XIV. 1. & 9. *Elam* per *e* ſimplex ſcribunt. Perſas intelligi, oſtendit illud Dan. VIII. 2. *in Suſis caſtro, quod eſt in Ælam regione*. Atqui Suſa urbs alio nomine Elemais dicta eſt. Confirmat id Matthæus Au-

togallus l. de Hebræis locorum populorumque Nominibus, Voc. *Elam*, ex Joſepho l. I. de Antiq. Jud. narrante, Elam, qui Semi fuit filius, Noachi nepos, Elamitas Perſarum principes reliquiſſe.

Elatæ. De Sponſo: *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum*. Cant. V. 11. Neutiquam eſt participium latinum ab *effero*, ſyllabis tribus longis conſtans; ſed nomen grecum, ſyllaba media brevi. Sunt autem elatæ, Galeno & Heſychio teſtibus, palmarum germen; &, ut inquit Dioſcorides, folliculi ſive operimenta fructus e palma naſcentis: quibus ob magnam filorum in ſe redeuntium copiam Sponſi comæ venuſtiſſime comparantur.

Electus. *Non communicabo cum electis eorum*. Pſal. CXL. 4. Electos, ſeu lectiſſimos, cibos puta, non homines. Solvunt ambiguitatem hebraica: Non capiam cibum ſuavem eorum, non veſcar deliciis eorum. Non guſtabo delicias ab iniquis electas. Quæ præcedunt verba, *cum hominibus operantibus iniquitatem*, ad ſuperiora ſpectant, ubi profitetur, nolle ſe pertinaciter excuſare peccata, more hominum iniquitati operam dantium.

Elementum. Ritus legis Moſaicæ appellantur a Paulo elementa mundi. Gal. IV. 3. Col. II. 20. & quidem *infirma & egena elementa*. Gal. IV. 9. ſi nimirum comparatio fiat cum cæleſtibus Chriſtianorum ſacramentis, quæ gratiam Divinam conferunt.

Elias. *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, dies Judicii. *Et convertet cor patrum ad filios*, ut eadem voluntas, quæ in Patriarchis & Prophetis fuit, ſit & in ultimis eorum poſteris; *& cor filiorum ad patres eorum*, ut verbis apoſtolorum & evangelii credant: *ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*, ne, cum venero, damnationis ſententiam in eos pronunciem. Mal. IV. 5. ſq.

Eliezer. Moyſes & Sephora filium ſuum alterum vocarunt Eliezer: *DEUS enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*, ajebat Moyſes. Exod. II. 22. *Eli* quippe hebraice eſt Deus meus, *ezer* auxilium.

Eli-

Eligo. Dominus vineæ (Synagogæ) *lapides elegit ex illa*. Iſ. V. 2. Purgavit eam lapides ejiciendo, ſeu ut Pliniana voce utar, elapidavit, & quidem, ut eſt in hebraico (quia in Piel) magno ſtudio. Allegorice ſenſum reddit perquam ingenioſum: Chriſtus ex ecclefia e gentibus vocata ſtudioſiſſime projecit ſaxea deorum ſimulacra.

Elingo. De gentium diis: *Corda vero eorum dicunt elingere ſerpentes, qui de terra ſunt*. Bar. VI. 19. Sæpe ſimulacra metallo inducta lutum intus celabant: quod ſerpentes, veſci terra ſoliti, lambendo abſumebant, quemadmodum, ubi ligneæ erant ſtatuæ, medullam & imaginis intima vermes erodebant.

Elongo. *Indulſiſti genti* impiorum *Domine*, *indulſiſti genti*, beneficiis eam cumulans: *nunquid* ideo ab ea *glorificatus es?* Nihilo minus ab illis offenſus es, tametſi tu *elongaſti omnes terminos terræ*, fines eorum amplificaſti, & agros ac vineas adjeciſti. Iſai. XXVI. 15.

Eloquium. *Nephthali - - - - dans eloquia pulcritudinis*. Gen. XLIX. 21. promens eloquium ornatum, facundus, diſertus.

Emissarius. *Dabit emiſſarios ſuper hæreditatem Geth; domus mendacii in deceptionem regibus Iſrael*. Mich. I. 14. Male explicant, qui de rege Aſſyrio: nam *dabit* hebraice feminini eſt generis, & haud dubie referendum ad urbem Lachis, de qua verſu præcedente. Ergo alii ſic: Lachis mittet internuncios, qui ſuppetias a Gethæis petant; ſed fruſtra: fallax erit hæc ſpes, & urbs Geth reges Iſraelis deſtituet. At ſenſus hic vocabuli *emiſſarius* adeo tortus eſt, ut perſuadere mihi de Hieronymo nulla ratione poſſim, voluiſſe illum ſic eo abuti, cum proclive fuiſſet, legatos, oratores, internuncios dicere. Cum illis ſentio, qui emiſſarios proprie accipiunt. Lachis urbe ab Aſſyriis occupata, multiſque civium trucidatis, ceteri ſervabuntur captivi, & qui ex illis apti videbuntur, ab Aſſyriis ducibus in regionem Gethæam una cum ſuis militibus excurrere cogentur, tum ad eam explorandam, tum ad prædas inde agendas. Ita La-

chis emiſſarios in urbem Geth ſuppeditabit, perfidam & noxiam populo Iſraelis, ejuſque regibus.

Emissio. Cant. IV. 13. Propagatio ſeu procreatio, herbarum, fructuum, ſtirpium, ut deinde commemoratur.

2. Mortui in emiſſione. Bar. II. 25. in exilio.

Emmanuel. Hebraicum, nobiſcum Deus. Meſſiæ nomen Iſ. VII. 14. Iſ. VIII. 8. & Matth. I. 23.

Encaenia. Joann. X. 22. Diſtinctiſſime Auguſtinus: *Encænia feſtivitas erat dedicationis templi: græce enim Kænon dicitur novum. Quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, éncænia vocantur. Jam & uſus habet hoc verbum. Siquis nova tunica induatur, encæniare dicitur*. Tract. 48. in Joann.

Enim. Nonnunquam pleonaſticum eſt, & ſolius elegantiæ gratia interjicitur. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem* (præ multis, numerus certus pro incerto) *principes civitatis. Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Eccl. VII. 20. ſq. *Fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum. Ecce enim DEUS adjuvat me*. Pſ. LIII. 5. ſq.

2. Pro autem. *Abii amarus in indignatione ſpiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me*. Ez. III. 14. *Carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*, cet. Gen. IX. 4. ſq.

Eo. *Scitis, quoniam, cum gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis facio*, & quæ ſequuntur. I. Cor. XII. 2. ſq. Hebraiſmus ſive Syriſmus eſt, in Græcum transfuſus: *quoniam .... euntes*, pro, *quoniam ibatis*. Latino enim more ſi accipias, pendebit ſententia, nullo exitu.

Eo quod. Pro ita ut. Jer. IX. 10. ſqq. ter continenter. *Urbs iſta deſolabitur, eo quod* (i. e. ita ut) *non ſit habitator*. Jer. XXVI. 9. *Civitates Juda dabo in ſolitudinem; eo quod non ſit habitator*. Jer. XXXIV. ult. hebraice, abſque incola.

Ephebia. Græcum. domus, in qua effeminati & impudici adoleſcentuli alebantur. II. Mach. IV. 9.

Ephi.

Ephi. Menſura par bato. Ez. XLV. 11. ſed ephi aridorum, batus liquidorum, utraque tres modios continebat.

2. Ephi per vitulum, ephi per arietem. Ez.XLV. 24. & XLVI. 5. Singula ephi ſimilæ in ſingulos vitulos, in ſingulos arietes: & in ſingula ephi ſingula hin olei.

Ephod. Fuiſſe *veſtem ſacerdotalem*, Judic. XVII. 5. eamque lineam. I. Reg. XXII. 18. docemur. Ad hujus imitationem Samuel puer *accinctus ephod lineo* in templo miniſtrabat. I. Reg. II. 18. David quoque rex in triumpho illo arcæ Dei, cum *ſaltabat totis viribus ante Dominum*, erat *accinctus ephod lineo*. II.Reg. VI. 14. & ſub ephod veſte talari byſſina. *David erat indutus ſtola byſſina, & univerſi Levitæ qui portabant arcam, cantoreſque .... David autem etiam indutus erat ephod lineo*. I. Par. XV. 27. Nullum autem ephod opulentius, aut ad aſpectum venuſtius erat, quam pontificis maximi. Textum illud erat *de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito*. Ex. XXVIII. 6. Errant multi, cum Sixto Senenſi putantes, ſummi ſacerdotis ephod formam habuiſſe, ut loquuntur, ſcapularis monaſtici: erat enim manicatum nec talare, ejus tamen longitudinis, ut conſtringi zona poſſet, & ſupra pectus Rationale ipſum continebat: ut oſtendit Ribera de templo & pertinentibus ad Templum, l. III. c. X. ſq. Ex quibus intelligimus, cetera ephod ſacerdotalia fuiſſe ſimillima ei ſacrarum veſtium generi, quam hodie *Rocchettum* vocamus.

Ephraim. Joſeph in Ægypto filium ſecundo loco ſibi genitum *appellavit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit DEUS in terra paupertatis meæ*. Gen. XLI. 52. Quaſi dicas frugiferum aut fructuoſum.

2. Pro Iſraelis regno. Sæpiſſime enim in Divina Pagina *Ephraim* non ſolam hujus nominis tribum, ſed regnum decem tribuum ſignificat: quarum hæc princeps habebatur, & bellicoſiſſima omnium erat. *Filii Ephrem intendentes & mittentes* (exonerantes) *arcum*, ſagittarii optimi. Pſ. LXXVII. 9. *Et erunt, quaſi fortes Ephraim*. Zach. X. 7.

chis emiſſarios in urbem Geth ſuppeditabit, perfidam & noxiam populo Iſraelis, ejuſque regibus.

Emissio. Cant. IV. 13. Propagatio ſeu procreatio, herbarum, fructuum, ſtirpium, ut deinde commemoratur.

2. Mortui in emiſſione. Bar. II. 25. in exilio.

Emmanuel. Hebraicum, nobiſcum Deus. Meſſiæ nomen Iſ. VII. 14. Iſ. VIII. 8. & Matth. I. 23.

Encaenia. Joann. X. 22. Diſtinctiſſime Auguſtinus: *Encænia feſtivitas erat dedicationis templi: græce enim Kænon dicitur novum. Quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, éncænia vocantur. Jam & uſus habet hoc verbum. Siquis nova tunica induatur, encæniare dicitur*. Tract. 48. in Joann.

Enim. Nonnunquam pleonaſticum eſt, & ſolius elegantiæ gratia interjicitur. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem* (præ multis, numerus certus pro incerto) *principes civitatis. Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Eccl. VII. 20. ſq. *Fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum. Ecce enim DEUS adjuvat me*. Pſ. LIII. 5. ſq.

2. Pro autem. *Abii amarus in indignatione ſpiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me*. Ez. III. 14. *Carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*, cet. Gen. IX. 4. ſq.

Eo. *Scitis, quoniam, cum gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis faceo*, & quæ ſequuntur. I. Cor. XII. 2. ſq. Hebraiſmus ſive Syriſmus eſt, in Græcum transfuſus: *quoniam .... euntes*, pro, *quoniam ibatis*. Latino enim more ſi accipias, pendebit ſententia, nullo exitu.

Eo quod. Pro ita ut. Jer. IX. 10. ſqq. ter continenter. *Urbs iſta deſolabitur, eo quod* (i. e. ita ut) *non ſit habitator*. Jer. XXVI. 9. *Civitates Juda dabo in ſolitudinem; eo quod non ſit habitator*. Jer. XXXIV. ult. hebraice, abſque incola.

Ephebia. Græcum. domus, in qua effeminati & impudici adoleſcentuli alebantur. II. Mach. IV. 9.

Ephi.

Ephi. Menſura par bato. Ez. XLV. 11. ſed ephi aridorum, batus liquidorum, utraque tres modios continebat.

2. Ephi per vitulum, ephi per arietem. Ez.XLV. 24. & XLVI. 5. Singula ephi ſimilæ in ſingulos vitulos, in ſingulos arietes: & in ſingula ephi ſingula hin olei.

Ephod. Fuiſſe *veſtem ſacerdotalem*, Judic. XVII. 5. eamque lineam. I. Reg. XXII. 18. docemur. Ad hujus imitationem Samuel puer *accinctus ephod lineo* in templo miniſtrabat. I. Reg. II. 18. David quoque rex in triumpho illo arcæ Dei, cum *ſaltabat totis viribus ante Dominum*, erat *accinctus ephod lineo*. II.Reg. VI. 14. & ſub ephod veſte talari byſſina. *David erat indutus ſtola byſſina, & univerſi Levitæ qui portabant arcam, cantoreſque.... David autem etiam indutus erat ephod lineo*. I. Par. XV. 27. Nullum autem ephod opulentius, aut ad aſpectum venuſtius erat, quam pontificis maximi. Textum illud erat *de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito*. Ex. XXVIII. 6. Errant multi, cum Sixto Senenſi putantes, ſummi ſacerdotis ephod formam habuiſſe, ut loquuntur, ſcapularis monaſtici: erat enim manicatum nec talare, ejus tamen longitudinis, ut conſtringi zona poſſet, & ſupra pectus Rationale ipſum continebat: ut oſtendit Ribera de templo & pertinentibus ad Templum, l. III. c. X. ſq. Ex quibus intelligimus, cetera ephod ſacerdotalia fuiſſe ſimillima ei ſacrarum veſtium generi, quam hodie *Roccbettum* vocamus.

Ephraim. Joſeph in Ægypto filium ſecundo loco ſibi genitum *appellavit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit DEUS in terra paupertatis meæ*. Gen. XLI. 52. Quaſi dicas frugiferum aut fructuoſum.

2. Pro Iſraelis regno. Sæpiſſime enim in Divina Pagina *Ephraim* non ſolam hujus nominis tribum, ſed regnum decem tribuum ſignificat: quarum hæc princeps habebatur, & bellicoſiſſima omnium erat. *Filii Ephrem intendentes & mittentes* (exonerantes) *arcum*, ſagittarii optimi. Pſ. LXXVII 9. *Et erunt, quaſi fortes Ephraim*. Zach. X. 7.

Ephrata. In oraculo celeberrimo de ſolo Meſſiæ natali dicitur ejus patria *Bethlehem Ephrata*. Mich. V. 2. Quæ verba Herodi recitantes legis periti dicunt, *Bethlehem terra Juda*. Matth. II. 6. Diſtinguenda fuit ab altera Bethlehem tribus Zabulon. additur ergo ab his quidem nomen tribus, Juda; a Michæa vero nomen ejuſdem oppidi alterum: nam Bethlehem Ephratam quoque dictam eſſe, conſtat ex Gen. XXXV. 19. & XLVIII. 7. Aptiſſimum utrumque nomen Meſſiæ ibi naſcituro: *Ephrata* fertilis; *Beth-leehem* domus panis, panis vivi, qui de cœlo deſcendit.

2. Ephrata pro Ephraim. *Audivimus eam* (arcam Domini) *in Ephrata: invenimus eam in campis ſylvæ*. Pſ. CXXXI. 6. Cur interpretes in ſententias uſque adeo diverſas hoc loco diſceſſerint, cauſſa fortaſſe maxima fuit ea, quod eorum plures ad verbum *invenimus* parum attenderunt. Inveniri non dicitur latine, ac ne quidem quæri, niſi quod amiſſum eſt. Amiſſa autem eſt arca tum, cum Ophni & Phinees eam in prælium eduxerunt. Inſperantibus eadem reddita in campis prope Carjathjarim ſeu urbem ſylvarum. Ephrata vero hic eſſe Bethlehem nequit, cum in hoc oppido ſervatam aliquando arcam eſſe nemo uſquam teſtetur. Eſt ergo Ephrata terra Ephraim, in cujus urbe Silo cæleſtis ille theſaurus perdiu cuſtoditus eſt.

Epinicium. *Cum epinicia agerent Jeroſolymis*. II. Mach. VIII. 33. dies feſtos & ſolennes ob reportatam victoriam.

Episcopus. Græcum. inſpector. *Epiſcopus Levitarum*, i. e. præſes. II. Eſdr. XI. 22. De Chriſto ipſo D. Petrus: *converſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum*. I. Petr. II. ult. *Epiſcopatum ejus*, præfecturam, magiſtratum, dignitatem, *accipiat alter*. Pſ. CVIII. 8. De Juda proditore dictum, ex Act. I. 20. diſcimus.

Epulor. Ignis grando, fames, mors, beſtiæ, veluti totidem perſonæ introducuntur a Siracide, quæ ad omnem Dei nutum paratæ, ſupplicium de reis ſumant. *In mandatis ejus epulabuntur*. Eccl. XXXIX. 37.

37. Divina mandata tanquam ſuaviſſimas epulas exhaurient.

Equitatus. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea*. Cant. I. 8. Generoſiſſimis equis, ex Ægypto adductis, quibus Salomon currus ſuos ſplendidiſſimos junxerat, ſimilem ſponſam dicit; ob pulchritudinem, agilitatem, magnos ſpiritus, atque etiam phaleras.

Equus. *Aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſalvatio*. Hab. III. 8. Hypotypoſis poetica Dei, populum ſuum ex Ægypto eripientis; ſub allegoria herois, quadrigis vecti, & hoſtium ſtragem edentis. Equi venti (nam angelis non adeo decore quidam tribuunt) quadrigæ ſunt nubes, ſagittarum lux fulgetra, ſplendens haſta fulmen.

Erratum. Verba Eccleſiaſtæ ultima: *cuncta, quæ fiunt, adducet* Deus *in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit*. Eccl. XII. ult. Difficilis clauſula: quod enim eſt erratum bonum? Hebraice eſt, pro omni occulto. Quare non parum placet ſuſpicio Franciſci Lucæ, ab interprete ſcriptum eſſe *celato*, idque ſenſim librariorum vitio deformatum. Prout nunc legitur in Vulgata, intelligendam eſſe parentheſim putant aliqui, verba illa includentem, *pro omni errato*: ut ſenſus ſit: Adducet Deus in judicium, quidquid ſive boni, ſive mali homo geſſit. Licebit etiam *errati* nomine id accipere, quod *imperfectiones phyſicas* aſcetæ vocant, ſive illæ *moraliter* bonæ ſint, ſive malæ: magnam enim illarum copiam nobis ab imbecillitate humana etiam quotidie relinqui ſcimus, nequaquam tamen ſemper cum culpa *morali* conjunctarum, imo interdum beneficio *intentionis* bonæ bonarum. De his itaque judicabitur, ut de aliis hominum operibus omnibus, etiam bonis atque perfectis.

Eructo. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*. Pſ. XVIII. 3. Singuli dies, ſingulæ noctes, ſtatis certiſſimiſque ſuis vicibus, & ſplendore ſiderum utrobique tam illuſtrium, Divinam ſapientiam potentiamque demonſtrant. Sic *cœli enarrant* glo-

gloriam Dei, ibid. v. 2. idque voce tam magna, ut nulli ſint populi, *quorum* (id eſt quibus, a quibus) *non audiantur voces eorum*, cælorum, ſiderum. ibidem v. 4.

2. Promptuaria eructantia. Pſ. CXLIII. 13. omni genere annonæ plena, & redundantia.

Esca. *Dediſti eum* (draconem, Pharaonem cum ſuis, in mari rubro ſubmerſum, & in littora Æthiopiæ ejectum) *eſcam populis Æthiopum*. Pſ. LXXIII. 14. vel eſcam veram æthiopicis feris & alitibus: nam *populus* hebraice dicitur etiam de animalibus ratione carentibus. vel eſcam metaphoricam hoſtibus Ægyptiorum Æthiopibus, qui gaudio exultantes, & mortuorum cadavera ſpoliare, & ex Ægypto jam imbelli manubias colligere potuere.

Est. Verba Jesu Chriſti Divinam Euchariſtiam inſtituentis: *Hoc eſt corpus meum*. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. I. Cor. XI. 24. *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti*. Matth. XXVI. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*. Marc. XIV. 24. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*. Luc. XXII. 20. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. I. Cor. XI. 25. Non eſt præſentis inſtituti, caſtra Polemicorum ingredi, omniaque tela proferre, in eos intorqueri ſolita, qui veram Chriſti præſentiam in hoc myſterio inficiantur. Dicam tantum, quæ ad linguas ſacras pertinentia hunc locum attingunt. Contendunt adverſarii, hebraicum *jeſch*, & ſyriacum *ith*, non eſſe interpretanda hoc loco *eſt*, ſed *ſignificat*; atque ideo panem & vinum non eſſe Chriſti corpus & ſanguinem, ſed eorum duntaxat imaginem & figuram. Reſponſum ad hæc ubertim a multis, & enumeratæ ſeries exemplorum, in quibus hebraicum *jeſch* vere ac proprie latino *eſt* reſpondet. Sed utraque legio agendo hæc omnia nihil egit, tantumque tempus incaſſum contrivit. In Syriaco Matthæi Evangelio, Capite XXVI. 26. & 28. neque *jeſch*, neque *ith*, neque ullum omnino verbum legitur, quo pronomen demonſtrativum & ſubſtantivum *corpus* ac *ſanguis* inter ſe connectantur. Omittamus ergo hanc arcem

arcem aeream, quam inaniter ab hoſtibus munitam, tam inutiliter a noſtris impugnatam; quippe fundamento nixam unius vocabuli, quod nunquam hoc loco fuit. Chriſtus ſyriace dixit, (patrio videlicet Hebræorum ſermone poſt captivitatem) & Matthæus ſyriace ſcripſit: *Hoc corpus meum. Hic ſanguis meus.* Eſt autem Hebræis, Syris, Chaldæis perpetuum, ut verbum ſubſtantivum *ſum* omittant: atque hic hebraiſmus in Divina Pagina adeo frequens eſt, ut, quocunque oculos in ea conjeceris, incidere in illum neceſſe ſit. Quid deinde græca? græce enim ſcriptam ejuſdem myſterii inſtitutionem a duobus Evangeliſtis, Marco & Luca, atque a Gentium Doctore habemus: eorumque primævæ narrationi codicem Matthæi græcum adjungere merito licet, qui etſi e ſyriaco verſus auctoritatem fontis non obtinet, antiquitate tamen ſyriaco fonti vel par eſt, vel certe ſuppar. Matthæus itaque in græco, Marcus, Lucas, & ad Corinthios Paulus locis initio a me indicatis, omnes vocabulo græco *eſti* utuntur, quod latino *eſt* ut ſono proximum, ita ſignificandi vi prorſus æquale eſſe, ſciunt omnes.

2. Eſt & Non. *Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me Eſt & Non?* II. Cor. I. 17. *Non eſt in illo*, ſermone meo, *Eſt & Non*. ibid. v. 18. Chriſtus quoque *non fuit Eſt & Non*, *ſed Eſt in illo fuit*. ibid. v. 19. Ubi *Eſt* pro conſtantia & veritate, *Non* pro inconſtantia & falſitate uſurpatur.

Esurio. *Si eſuriero, non dicam tibi*: cet. Pſ. XLIX. 12. Totus ille contextus poetice dicit, ſacrificiis noſtris Deum non indigere, ſed unum petere ſacrificium laudis.

Et. Amantiſſima hujus particulæ eſt lingua ſacra, eamque ſæpe ſolius elegantiæ cauſſa aſciſcit. In uno libello Ruth longe plura ſunt *&* in hebraico, quam verſiculi. Ducuntur ab eo hebraice ipſa librorum initia, Exodi, Levitici, Numerorum, Joſue, Judicum, Ruth, Ezechielis, Jonæ; & ad hebraiſmi imitationem etiam primi Machabæorum, & Baruch. Id vero pleonaſticum prorſus eſt, & ſoli ornatui datum:

qui

qui myſteria in his quærunt, a literali ſenſu ad myſticum divertunt.

2. Pro ſed, at. *Caſtigans caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me*. Pſ. CXVII. 18. Caſtigavit me acriter: at vitam non ademit. *Omnem eſcam manducabit venter*, & (i. e. ſed) *eſt cibus cibo melior*. Eccl. XXXVI. 20. *Cum gaudio ſuſcipiunt verbum: &* (ſed) *hi radices non habent*. Luc. VIII. 13.

3. Pro quia. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*. i. e. quia peccavimus. Iſ. LXIV. 5. *Vade contra virum ſtultum, & neſcit labia prudentiæ*. Prov. XIV. 7. Cum ſtulto noli converſari, declina ab homine: neque enim intelligit ſermonem prudentem.

4. Pro ergo. *Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris*. Eccl. XIII. 2. Pondus ipſe ſibi imponit, qui cum opulentiore ac præſtantiore ſocietatem jungit: itaque conſortionem ditioris ne prenſa.

Etenim. Pro etiam. ſed &. *Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec; alienigenæ* (Philiſthæi) *cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur venit cum illis*. Pſ. LXXXII. 7. ſqq. ſed & Aſſyrii, etiam Aſſyrii cum illis venere. *Etenim non credentes inhabitare Dominum* Deum. Pſ. LXVII. 19. Ut etiam increduli Deo pareant, eumque in cordis ſui domicilium recipiant.

Ethan. *Tu dirupiſti fontes & torrentes: tu ſiccaſti fluvios ethan*. Pſ. LXXIII. 15. Tu erumpere feciſti e petra copioſiſſimas aquas: tu ſiccaſti fluvios ſonantes & validos. Non eſt *ethan* nomen ullius fluvii proprium: ſed appellativum, quod ſæpius in Canone Bibliorum hebraico legitur, & ſignificat fortem, validum, aſperum, gravem. LXX. ut alibi, ita hic quoque vocabulum hebraicum ſervaverunt; at D. Hieronymus latina voce expreſſit: *flumina fortia*. Præter Jordanem intellige torrentes Arnon, tranſeuntibus Hebræis diviſos: cujus prodigii veſtigium extat Num. XXI. 14. In chaldaico Arnon cum Jordane nominatim hoc Pſalmi loco memoratur.

Etheca. Ez. XLI. 15. ſq. Eſt porticus, ſive periſtylium.

Eva. *Vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Heva* (ſeu, ut paſſim pronunciatur, & ſcribitur, Eva:) *eo quod mater eſſet cunctorum viventium*. Gen. III. 20. Hujus enim nominis radix hebraica *chaja* vivere ſignificat. LXX. ut venuſtatem ex vocabulorum ſimilitudine orientem ſervarent, non Evam aut Hevam, ſed Zoen appellatam ab Adamo dicunt: nam Græcis *Zoe* vita eſt.

Evacuo. *Ut non evacuetur crux Chriſti*. I. Cor. I. 17. Ne crucis Chriſti præconium vi ſua careat. *Evacuati eſtis a Chriſto*. Gal. V. 4. Deſciviſtis a Chriſto, ut optime interpretatur Syriaca.

Evangelista. Bonum nuncium Græcis eſt evangelium; quique id affert, evangeliſta. Pro Dei Propheta accipitur Iſ. XLI. 27. ubi gloriatur Deus, ſe unum Hieroſolymæ Prophetas mittere, deos falſos vaticinari de futuris per ſe ſuoſque non poſſe.

Evangelizo. Felicia annuncio. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Rom. X, 15. ex Iſaia: *Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem!* Iſ. LII. 7. *Ecce ſuper montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem: celebra Juda feſtivitates tuas.* Nah. I. 15. Ecce per omnes montoſæ Judææ fines diſcurrunt, qui nuncient Sennacheribi fugam, deletum Aſſyriorum exercituum, reſtitutam pacem. Plaude, o Juda, inſtaura ſolennes ritus, feſta celebra, & *redde vota tua: quia non adjiciet ultra ut pertranſeat in te Belial*, jugi & legis ignarus barbarus: *univerſus interiit*. ibid.

2. Mortuis evangelizatum eſt. I. Petr. IV. 6. impiis.

Eucharis lingua. Eccl. VI. 5. gratioſa.

Euge. *Non dicant in cordibus ſuis: Euge euge animæ noſtræ!* Pſ. XXXIV. 25. Hebraiſmus exultantium, ſibique gratulantium, pro quo chaldaica: Ut non dicant in cordibus ſuis, Lætata eſt anima noſtra. *Pro eo quod dixiſti, Euge euge, ſuper ſanctuarium meum, quia pollutum eſt ...... idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas ſuas in*

in te ..... daboque Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum Ez. XXV. 3. ſqq. Quia vos, o Ammonitæ, templo & populo meo inſultaſtis, cum a Nabuchodonoſore vaſtarentur: ideo contra vos excitabo accolas veſtros ad orientem, qui cum pecorum ſuorum gregibus & camelis venient, & urbem regni veſtri principem Rabbath in ſtabulum, totam regionem in caulam mutabunt. Eadem maligna lætitia per vocem *Euge* declaratur a Tyriis Ez. XXVI. 2. iiſque ob eandem cauſſam everſio denunciatur.

Exacerbo. *Miſit*, Deus in Ægyptios *tenebras*, *& obſcuravit: & non exacerbavit ſermones ſuos*. Pſ. CIV. 28. Varia hic lectio: aliter enim eſt in hebraicis, & chaldaicis; aliter in hodiernis græcis, ſyriacis, & arabicis; in latinis aliter. Conciliabo paucis verbis omnes, excluſa tantum eorum interpretum opinione, qui per verbum *exacerbare* intelligi volunt *irritum facere*: quæ duo nihil ſane habent inter ſe commune. Deus mandata ſua per Moyſen & Aaronem non acerbe, ſed per leniſſimam patientiam, ſæpe repetiit, & obſtinatum regem diutiſſime expectavit.

Exactor. Ex perſona Chriſti propheta dicit: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes & revertentes, & non tranſibit ſuper eos ultra exactor: quia nunc vidi in oculis meis*. Zach. IX. 8. Communiam eccleſiæ meæ domum militari præſidio apoſtolorum, domeſticorum & familiarium ejus. (nam *euntes & revertentes* Hebræis idem eſt, quod nobis *in ea converſantes.*) Nullum jam tributum indicere exactor ſtygius, neque meos impellere in peccata poterit: quia benevolis oculis eos reſpexi.

2. Exactor Chriſtus. *Ex ipſo* (Juda) *angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælii, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul.* Zach. X. 4. Ex tribu Juda orietur Chriſtus, eccleſiæ lapis angularis & princeps, ex quo felicitas & ſpes omnium pendent, in quo uno hoſtes ſalutis noſtræ ſuperamus, qui per apoſtolos ſuos tributum honoris & obedientiæ ſibi tot nominibus debitum exigit, qui denique unus *ſimul* bonum omne noſtrum,

ſtrum, omnis ſpes & gloria, omne præſidium & decus, legislator & ſalus eſt.

Exæquo. *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Zach. IV. 7. Lapis ille Chriſtus eſt, cujus gratia & nobis datur. Vel, gratia, quanta converſis ad Chriſtum gentibus obtingit, tanta etiam reliquiis filiorum Iſrael olim obtinget, cum tandem ſe colligent & reſipiſcent.

Exaltatio. *A voce angeli* percuſſoris, caſtra Aſſyria populantis, *fugerunt populi: & ab exaltatione tua* a ſublimi tua potentia, DEUS, quam in conterendo Sennacherib oſtendiſti; *diſperſæ ſunt gentes.* Iſ. XXXIII. 3.

Exalto. *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat.* Jac. III. 5. græce, multum gloriatur, valde ſe effert & jactat.

Examino. *Eloquia Domini igne examinata.* Pſ. XVII. 31. Mandata & judicia DEI ſunt puriſſima, ceu *argentum igne examinatum*, ut Pſ. XI. 7. dicitur.

Exaspero. *Qui exaſperant*, Pſ. LXV. 7. iidem ſunt, qui apud Ezechielem ſæpius *domus exaſperans* appellantur, natio DEUM irritans, eumque injuriis provocans. *Educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris.* Pſ. LXVII. 7. Eripit DEUS Hebræos captivitati Ægyptiacæ, etſi in ipſum contumaces & injurios. Sepulcra vocantur ergaſtula, inter quorum ærumnas defoſſi, cum perpetuo mortis timore ac periculis luctabantur. Sicut de altera captivitate DEUS apud Ezechielem, XXXVII. 12, ſub ſepulcrorum imagine loquitur. Allegorice, liberatio e captivitate peccati.

Exaudio. Sublimi ſtylo, & poetico, ita loquentem Dominum facit Oſeas: *Exaudiam cælos, & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum. Et hæc exaudient Jezrahel.* Oſ. II. 21. ſq. Tanquam de perſonis dicitur, ſatisfactum iri voluntati alterius ab altero. quod quiſque horum vellet, ſi eſſet mente præditus, id eveniet.

Excelsum, Excelsus. Excelſum maximum in Gabaon. III. Reg. III. 4. altare veri DEI celeberrimum, ubi Salomon, quemadmodum eo loco narratur, mille ho-

hoſtiis immolatis, ſecundum quietem ſapientiam a DEO petiit, & impetravit.

2) Excelſa deorum inanium. *Demolientur excelſa idoli.* Amos VII. 9. Luci impii excidentur. Colles & montes, in quibus hi luci & aræ frequentabantur, excelſa nuncupabant Hebræi, quaſi nihil eſſe nobilius & ſublimius poſſet. de quo nomine conqueritur DEUS Ez. XX. 29. Et Ez. XVI. 16. ait: *Sumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta.* LXX. verterunt, idola conſuta. Imagines araſque deorum veſtimentis tuis ornaſti.

3) Excelſa & fluctus. *Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Pſ. XLI. 8. Colliſi gurgites tui, & rotati fluctus tui. Reſpicit ad cataractas Jordanis, prope montem Hermon minorem, ubi hæc ſcribebat propheta, ex alto ſe devolventis. hujus vorticoſis fluctibus calamitates ſuas confert.

4. Excelſum pro tribunali. *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Pſ. LXXII. 8. non diſſimulanter, ſed palam cum faſtu & impudentia, e ſummo loco, in tribunali. Ut *in altum regredere* Pſ. VII. 8. ſignificat, tribunal conſcende. Hebraice enim utroque loco eſt idem vocabulum.

5. Excelſa pro montibus Judææ: quos Habacuc, III. 19, nomine totius ſuæ gentis propheta exultans prædicit ſuperaturum ſe in reditu e captivitate. Anagogice, cæleſtis patriæ ſpes.

Excerebro. *Qui mactat pectus*, ſacrificium DEO offerens, *quaſi qui excerebret canem*, & exemptum ejus cerebrum immolare velit. Eſ. LXVI. 3. ſi nimirum contemnat Divinam legem, nec animo contrito verbum ejus revereatur, ut v. 2 dixerat.

Excessus. *Dixi in exceſſu mentis meæ*. Pſ. XXX. 23. in trepidatione mea, in terrore meo. *Dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.* Pſ. CXV. 2. Cum vehementer preſſus malis trepidarem, conarerque feſtinanter effugere, agnovi, hominum judicia & dicta omnia eſſe fallacia.

Excipio. Vocabulum *excepto* in ſacris voluminibus nunc eſt negantis ſententiæ, ut apud Latinos; nunc

con-

contra affirmantis, quaſi ſit inſuper, etiam, cum Negat Act. XXVI. 29. ubi Paulus ad Agrippam regem: *Opto---non tantum te, ſed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his*. Optabat enim Chriſtianos, & probos: vinctos non optabat. Affirmat autem in illo Eſdræ: *Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos unus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus*. II. Eſdr. V. 18. Convivis meis inferri jubebam quotidie bovem & ſex arietes, atque inſuper volucres. Sic Jeremiæ præbebatur *torta panis quotidie, excepto pulmento*. Jer. XXXVII. ult. id eſt, cum pulmento.

Excuso: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem*. Pſ. CXL. 4. Ne permittas inclinari cor meum ad verba aut opera mala: (nam *verbum* Hebræis ſæpiſſime eſt *res*.) neque ſinas, ut peccata mea obſtinate excuſem, uti facere ſolent homines inique viventes.

Excussus. *Filii excuſſorum*. Pſ. CXXVI. 4. Hebraiſmus, filii robuſti, vegeti, lacertoſi.

Execramentum, *Omne execramentum erroris odit Dominus*. Eccli. XV. 13. Græce: omne abominandum. Odit omnem execrandum errorem.

Exeo. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus* (hebraice, in filio hominis, in quo) *non eſt ſalus. Exibit ſpiritus ejus* (filii hominis, per mortem) *& revertetur* corpus *in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, principum, & filii hominis. atque inſuper etiam cogitationes & ſpes veſtræ, ſi illis confiditis.

Exitus. Deum alloquens pſaltes ait, *Exitus matutini & veſpere* (veſperæ) *delectabis*. Pſ. LXIV. 9. Delectatione, & jubilo (ut eſt in hebraico) ortum diei & occaſum implebis: lætitia cumulabis incolas omnes utriuſque plagæ, ab ortu ad occaſum, omni tempore. 2. Exitus mortis. *Domini Domini exitus mortis*. Pſ. LXVII. 21. Dei Domini eſt (Jehovæ Adonai, ut habet fons hebraicus) ſolius Dei eſt, morti non eripere. 3. Exitus aquarum. i. e. fontes. Pſ. CXVIII. 136.

Fontes lacrymarum profudi. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem; a malitia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum.* Pſ. CVI. 33. ſqq. Deus pro arbitratu ſuo mutat omnia: exſiccat flumina & aquarum fontes, pro iiſque aridum & ſiticuloſum ſolum ſubſtituit, ut terra fertilis ſterilitate ac ſalſugine plectatur, ob incolarum crimina. Contra in deſertis excitat ſtagna, & ſiccam tellurem improviſis fontibus recreat.

4. Habitans in exitu. *Non eſt egreſſa, quæ habitat in exitu.* Mich. I. 11. Samaria urbs, in Hebræorum finibus ultimis verſus Aſſyriam ſita. Non ultro exiit, ſed vi abducta eſt, inquit D. Hieronymus. Chaldaice, non exiit ſalva. q. d. non eſt aſſecuta ſuorum ſcelerum impunitatem.

Exodus. Græcum. exitus. Sic inſcribitur liber ſecundus Pentateuchi, ſeu quinque librorum Moyſis: quia exitum Iſraelitarum ex Ægypto narrat.

Expavesco. *Si expavi ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egreſſus ſum oſtium.* Job. XXXI. 34. Quoties reus in judicio damnandus erat, non expavi quantamcunque hominum multitudinem ei faventem, neque propinquorum ejus maledicta me terruerunt: diſſimulatis his omnibus, perſtiti in perſequendo jure, neque pravo pudore aut iracundia motus diſceſſi.

Expectatio. *Gemma gratiſſima, expectatio* (hebraice, munus, donum) *præſtolantis, quocunque ſe vertit, prudenter intelligit.* Prov. XVII. 8. Gemma gratiſſima eſt donum ei oblatum, qui illud expectaverat. eo qui animum accipientis deliniit, quidquid egerit dixeritque, prudenter & bene dixiſſe ac egiſſe cenſebitur.

Expecto. Gens expectans expectans. Iſ. XVIII. 7. Anadiploſis ſive duplicatio hebraica. Gens anxie, avide, ſollicite expectans.

Exprobro. *Gratis* (immerito) *abſconderunt mihi interitum laquei ſui*, quo caperer: *ſupervacue exprobraverunt animam meam*, ſine cauſſa me criminati ſunt, conviciis animam meam obruerunt. Pſ. XXXIV. 7.

Ex-

Exquiro. *Ipſe autem exquiram animas veſtras*. Bar. VI. 6. Ulciſcar injurias vobis illatas, præſertim iniquam mortem.

Exquisitus. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*. Pſ. CX. 2. omnia prorſus & uſquequaque ita eveniunt, ut a Deo decreta ſunt. Ex hebraico ſic etiam explicare poſſis: ab omnibus Dei voluntatem amantibus intelliguntur, eiſque ſatisfaciunt.

Exsufflo. *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exſufflavi illud*. Agg. I. 9. Sperabatis incrementum rei familiaris, & detrimentum etiam feciſtis: id ipſum, quod domui intuliſtis, ego diſperdidi. Similitudo a vento. Hæc paſſi eſtis, quia templum ædificare recuſatis: (hoc enim totius prophetiæ Aggæi argumentum eſt.) meam domum negligentibus vobis, ego veſtras ad egeſtatem deduxi.

2. Pro contemnere. *Dixiſtis, Ecce de labore, & exſufflaſtis illud*, altare meum. Mal. I. 13. Quia altare aſpernamini, viliſſima quæque offertis, quaſi ſatis me digna, dummodo veſtro labore parata ſint.

Exsurgo. *Exſurrexi, & adhuc ſum tecum*. Pſ. CXXXVIII. 18. Quoties expergiſcor, protinus tibi ſum præſens o Deus: cogitationes meæ illico a te cognoſcuntur.

Extermino. *Hypocritæ ---- exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*. Matth. VI. 16. Facies ſuas obſcurant ac depravant, ſpeciem ſibi adimunt.

Extollo. Servus, a te læſus injuſte, *ſi extollens diſceſſerit*, cet. Eccli. XXXIII. ult. auferens ſe, ſuaque; fortaſſis & tua.

Exulto. *Exultabit lingua mea juſtitiam tuam*. Pſ. L. 16. Exultans laudabo juſtitiam tuam, ſive miſericordiam: hæc enim frequentiſſime in hebraico ſub juſtitiæ nomine intelligenda eſt.

F

Faber. *Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas* (telum, arma). *in opus ſuum: & ego creavi interfectorem ad diſperdendum*. Iſ. LIV. 16.

Fabrum ſeu opificem armorum intellige. Tyrannos, omneſque hoſtes tuos ego creavi; neque plus, neque diutius obfuturos, quam ego ſivero.

Fabrico. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem ſuam*. Pſ. CXXVIII. 3. Hebraizantes cum D. Hieronymo exponunt: araverunt arantes; prolongaverunt ſulcum ſuum. Sive ab incude, ſive ab aratro allegoriam ducas: res eadem indicatur, inſectatio nimirum violenta ac diuturna. Arabs, ſoluta utraque metaphora, vertit: Flagellaverunt me impii. Syrus, vim & copiam verberum oſtendens, Supra dorſum meum, inquit, flagellaverunt flagellis. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum* ibid. v. ſq. Hebraice, funes: qui, ut aratro, ita flagellato conveniunt: funibus enim illud trahitur, hic ligatur.

Facies. *Dixitque* ad Moyſen *Dominus*: *Facies mea præcedet te*. Ex. XXXIII. 14. Periphraſis hebraica. Ego ipſe præcedam.

2. Facies pro perſona; *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit*: *iſte & pro buccella panis deſerit veritatem*. Prov. XXVIII. 21. Qui perſonam intuetur non cauſſam; lucrum, non æquitatem. *Accepiſtis faciem in lege*. Mal. II. 9. In exigenda lege non meam legislatoris voluntatem, ſed perſonas hominum reſpexiſtis. *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Pſ. LXXXI. 2. Hebraice: Quouſque judicabitis inique, & facies impiorum accipietis? videlicet parcentes ſceleri, propter gratiam aut potentiam ſceleſti. *Nunquid faciem ejus accipitis*, inquit de Deo ad maledicos amicos Jobus, *& pro DEO judicare nitimini?* Job. XIII. 8. Nam ut Jobi innocentiam criminationibus ſuis opprimerent, Dei juſtitiam laudibus efferebant, & ut in judiciis iniquis fieri ſolet, potentiori contra infirmum favebant. *Ipſe vos arguet, quoniam in abſcondito faciem ejus accipitis*. ibid. v. 10. fraudulento ſcilicet animo, & malitioſo, quem ſpecioſo titulo commendandæ juſtitiæ Divinæ tegebant.

3. A facie. Plerumque per latinam præpoſitionem *coram* expeditiſſime redditur. *Repleta eſt terra iniquitate a facie eorum*. Gen. VI. 13. coram eis, coram hominibus.

Flu-

Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Dan. VII. 10. coram Deo fluebat, non ex ejus ore manabat, Chaldaica extra dubitationem: coram eo. *Turris fortitudinis a facie inimici*. Pſ. LX. 4. Deus eſt perfugium inſuperabile in conſpectu quorumcunque hoſtium. *Conturbavit eos Dominus a facie Iſrael*. Joſ. X. 10. coram univerſo populo. *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*. II. Theſſ. I. 9. Subtilius hoc, quam verius, de pœna damni exponitur, quæ DEI conſpectum damnatis in perpetuum adimit. Hebraiſmus eſt merus, qui non *a conſpectu* Divino eos removeri, ſed contra potius *in conſpectu* Dei torqueri ſignificat. Sententia ſimillima apocalypticæ illi: *Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni*. Apoc. XIV. 10. Interdum *a facie* eſt noſtrum *propter*. Sic: *Ne timeas a facie verborum, quæ audiſti*. Iſ. XXXVII. 6. Noli propter audita in metu eſſe. *Plorabit anima mea a facie ſuperbiæ*. Jer. XIII. 17. propter veſtram ſuperbiam, qua obedientiam detrectatis. *Qui fugerit a facie pavoris*: præ pavore, pavoris ergo, *cadet in foveam*. Jer. XLVIII. 44. *A facie manus tuæ*. Jer. XV. 17. Propter vaticinium a te mihi inſpiratum, propter manum tuam ultricem nobis imminentem, quam in ſolitudine lugens conſiderabam. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis* (non canis) *ſic verbum in corde ſtulti*. Eccli. XIX. 11. ſq. Siquid arcani audiit ſtultus, propter verbum hoc auditum quieſcere non poteſt, donec illud effuderit, eoque ſe liberarit.

4. Super faciem pro ſuper. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. i. e. *ſuper abyſſum*. Gen. I. 2. Noe columbam emiſit, *ut videret, ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ*. Gen. VIII. 8. pro, ſuper terram. *In omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*. i. e. ſuper omnem terram Luc. XXI. 35. in omnes orbis terrarum incolas.

5. Secundum faciem, in facie. *Erat autem populus jucundus ſecundum faciem ſanctorum*. Judith XVI. 24. coram ſanctuario; ut diebus ſolennibus, in DEI templo agi ſolitis. *In facie quidem humilis ſum inter vos*

Fabrum ſeu opificem armorum intellige. Tyrannos, omneſque hoſtes tuos ego creavi; neque plus, neque diutius obſuturos, quam ego ſivero.

Fabrico. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Pſ. CXXVIII. 3. Hebraizantes cum D. Hieronymo exponunt: araverunt arantes, prolongaverunt ſulcum ſuum. Sive ab incude, ſive ab aratro allegoriam ducas: res eadem indicatur, inſectatio nimirum violenta ac diuturna. Arabs, ſoluta utraque metaphora, vertit: Flagellaverunt me impii. Syrus, vim & copiam verberum oſtendens, Supra dorſum meum, inquit, flagellaverunt flagellis. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum* ibid. v. ſq. Hebraice, funes: qui, ut aratro, ita flagellato conveniunt: funibus enim illud trahitur, hic ligatur.

Facies. *Dixitque* ad Moyſen *Dominus*: *Facies mea præcedet te*, Ex. XXXIII. 14. Periphraſis hebraica. Ego ipſe præcedam.

2. Facies pro perſona: *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem*. Prov. XXVIII. 21. Qui perſonam intuetur non cauſſam; lucrum, non æquitatem. *Accepiſtis faciem in lege*. Mal. II. 9. In exigenda lege non meam legislatoris voluntatem, ſed perſonas hominum reſpexiſtis. *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Pſ. LXXXI. 2. Hebraice: Quouſque judicabitis inique, & facies impiorum accipietis? videlicet parcentes ſceleri, propter gratiam aut potentiam ſceleſti. *Nunquid faciem ejus accipitis*, inquit de Deo ad maledicos amicos Jobus, *& pro DEO judicare nitimini?* Job. XIII. 8. Nam ut Jobi innocentiam criminationibus ſuis opprimerent, Dei juſtitiam laudibus efferebant, & ut in judiciis iniquis fieri ſolet, potentiori contra infirmum favebant. *Ipſe vos arguet, quoniam in abſcondito faciem ejus accipitis*. ibid. v. 10. fraudulento ſcilicet animo, & malitioſo, quem ſpecioſo titulo commendandæ juſtitiæ Divinæ tegebant.

3. A facie. Plerumque per latinam præpoſitionem *coram* expeditiſſime redditur. *Repleta eſt terra iniquitate a facie eorum*. Gen. VI. 13. coram eis, coram hominibus.

Flu-

Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Dan. VII. 10. coram DEO fluebat, non ex ejus ore manabat, Chaldaica extra dubitationem: coram eo. *Turris fortitudinis a facie inimici*. Pſ. LX. 4. DEUS eſt perfugium inſuperabile in conſpectu quorumcunque hoſtium. *Conturbavit eos Dominus a facie Iſrael*. Joſ. X. 10. coram univerſo populo. *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*. II. Theſſ. I. 9. Subtilius hoc, quam verius, de pœna damni exponitur, quæ DEI conſpectum damnatis in perpetuum adimit. Hebraiſmus eſt merus, qui non *a conſpectu* Divino eos removeri, ſed contra potius *in conſpectu* DEI torqueri ſignificat. Sententia ſimillima apocalypticæ illi: *Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni*. Apoc. XIV. 10. Interdum *a facie* eſt noſtrum *propter*. Sic: *Ne timeas a facie verborum, quæ audiſti*. Iſ. XXXVII. 6. Noli propter audita in metu eſſe. *Plorabit anima mea a facie ſuperbiæ*. Jer. XIII. 17. propter veſtram ſuperbiam, qua obedientiam detrectatis. *Qui fugerit a facie pavoris*: præ pavore, pavoris ergo, *cadet in foveam*. Jer. XLVIII. 44. *A facie manus tuæ*. Jer. XV. 17. Propter vaticinium a te mihi inſpiratum, propter manum tuam ultricem nobis imminentem, quam in ſolitudine lugens conſiderabam. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis*. *Sagitta infixa femori carnis* (non canis) *ſic verbum in corde ſtulti*. Eccli. XIX. 11. ſq. Siquid arcani audiit ſtultus, propter verbum hoc auditum quieſcere non poteſt, donec illud effuderit, eoque ſe liberarit.

4. Super faciem pro ſuper. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. i. e. *ſuper abyſſum*. Gen. I. 2. Noe columbam emiſit, *ut videret, ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ*. Gen. VIII. 8. pro, ſuper terram. *In omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*. i. e. ſuper omnem terram Luc. XXI. 35. in omnes orbis terrarum incolas.

5. Secundum faciem, in facie. *Erat autem populus jucundus ſecundum faciem ſanctorum*. Judith XVI. 24. coram ſanctuario; ut diebus ſolennibus, in DEI templo agi ſolitis. *In facie quidem humilis ſum inter vos*

II. Cor. X. 1. Nihil ad aſpectum in me præclarum eſt. Græce, ſecundum faciem: ſicut paulo poſt v. 7. ubi etiam noſter interpres id ſervavit: *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte*. quæ coram, quæ in oculis ſunt; quæ apparent.

6. Facie ad faciem. *Adducam vos in deſertum populorum*, ubi non ſunt populi: *& judicabor vobiſcum ibi facie ad faciem*, diſceptabo ſolus cum ſolis. Ez. XX. 35. *Facie ad faciem locutus eſt nobis in monte de medio ignis*, inquit Moyſes de Deo. Deut. V. 4. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*. Ex. XXXIII. 11. *Non ſurrexit ultra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*. Deut. XXXIV. 10. Non quaſi Dei vultum Moyſes viderit, cui dictum eſt: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet*. Ex. XXXIII. 20. multoque minus populus, qui veritus eſt *tranſcendere terminos* (montis Sinai) *ad videndum Dominum*. Ex. XIX. 21. Sed ſenſu dicto: ſolus cum ſolis, ſolus ſoli.

7. Facies adverſus faciem. *Ne accipias faciem adverſus faciem tuam* (græce, contra animam tuam) *nec adverſus animam tuam mendacium*. Eccli. IV. 26. Nullius hominis reſpectu, nullo mendacio moveri te ſine, ut contra te & animæ tuæ bonum quidquam agas.

8. Faciem ponere, firmare faciem. Gladius, fames, & peſtis prædicitur, *ſi poſueritis faciem veſtram, ut ingrediamini Ægyptum*. Jer. XLII. 15. ſqq. ſi obſirmaveritis animum. Chriſtus *faciem ſuam firmavit, ut iret in Jeruſalem*. Luc. IX. 51. Animo & vultu immoto adire necis ſuæ locum conſtituit. Quam ob rem Samaritani *non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem*. ibid. v. 53. quia apparebat, urbem ab illo peti Samaritanis adeo exoſam.

9. Facies honoris. Paterfamilias ad hoſpitem peregrinum: *Exi a facie honoris amicorum meorum*. Eccli. XXIX. 34. Migra, cede honoratioribus, da locum amicis meis: ſupervenit neceſſarius quidam meus, adeſt frater, cui diſceſſu tuo conſulendum eſt.

Facio. *Domine, fac mecum*. Pſ. CVIII. 21. D. Augu-

guſtinus more Latinorum intelligit: ſume partes meas, ades mihi, ſta a me. Arabs & alii addunt: miſericordiam.

2. Faciens faciet. *Tradidi eum* (Aſſyrium) *in manu fortiſſimi gentium*, Chaldæi: *faciens faciet ei*. nimirum, ut meretur. Ez. XXX. 11. Chaldæus immittetur a Deo altæ illi & ſuperbæ cedro Aſſur.

3. Facio, jurantis. Paſſim occurrit: *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparaverit*. ita Ruth ad ſocrum ſuam Noemi. Ruth. I. 17. Vindicem ſibi Deum imprecatur, ſi ſocrum ante mortem reliquerit.

4. Paſſiva hujus verbi dabuntur in Voc. *Fio*.

Fasciculus. Eleganter Abigail ad Davidem: *erit anima domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viventium apud Dominum tuum*. I. Reg. XXV. 29. Deus vitæ dominus te ab inimicis tutum ſervabit, & in ſelecto eorum numero cuſtodiet, quibus longævam ſenectutem deſtinavit. *Ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundavit* Amos IX. 6. Deus, inquit Hieronymus, in cælo habitat, & numerum a ſe electorum in terra congregat.

Fauces. Lex, ſi eam cuſtodieris. *erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis*. Prov. III. 22. Torquis aut monilis inſtar collum tuum ornabit. i. e. ſermones tuos ſapientes & pretioſos efficiet.

2. Fauces latronum. *Quaſi fauces virorum latronum, particeps ſacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem*. Oſ. VI. 9. Civitas Galaad conjunxit ſe cum ſimulacrorum ſacerdotibus, & ſicut latrones ſanguinolentis faucibus irruentes, occidunt eos, qui præſcriptis lege temporibus Hieroſolymam proficiſcuntur ex urbe nobiliſſima Sichem ſeu Sichar, ut in templo verum Deum adorent.

Faunus. *Habitabunt dracones cum faunis ficariis*. Jer. L. 39. Hebraicum *dſijim & ijim* legitur etiam Iſ. XXXIV. 14. Cum ergo B. Heronymus in Iſaia illa ipſa vocabula interpretatus ſit dæmonia & onocentauros, in Jeremia dracones & faunos ſicarios: vides, nil aliud ſignificari, quam ſpectra dæmonum, ſub variis formis homini illudentium, eoque terroribus fugato,

loco ſolitudinem inducentium. Ficarii autem vocantur, quod inter caprificos ſeu ficos ſylveſtres apparerent, aptiſſime ſane: caprificus enim ex ædificiorum ruinis inter ſaxa enaſcitur.

Femur. *Pone manum tuam ſubter femur meum, ut adjurem te per Dominum*, ait ad ſervum Abrahamus. Gen. XXIV. 2. Erat is apud antiquos illos ritus jurantium.

Fenestra. De Meſſiæ nunciis, ſeu apoſtolis, evangelicus propheta exclamat: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes*, (celerrimæ, & fertiliſſimæ) *volant, & quaſi columbæ* (candidæ, veloces, ſimplices) *ad feneſtras ſuas*? Iſ. LX. 8. Ut hæ ad columbarii ſui feneſtras properant, ſic apoſtoli, ut Hieronymus loquitur, alis Spiritus Sancti ad notos ſibi aditus eccleſiæ feſtinant.

2. Mors per feneſtras aſcendens. Jer. IX. 21. Chaldæi, moræ impatientes, non dignabuntur portas effringere, ſed per feneſtras, tectorumque foramina inſilient: occiſis domi omnibus, in plateas erumpent, & vagantes, ibi pueros ac juvenes trucidabunt: *diſperdere parvulos deforis, juvenes de plateis*. ibid. Tropologice Patres, cuſtodiendas gnaviter domus noſtræ feneſtras, oculos, atque aures, ne mors animi illabatur.

Fera. *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento*. Pſ. LXVII. 31. Increpa, Deus, deferre hoſtes noſtros, ſimiles feris inter arundineta ſtabulantibus, ac tauris inter armenta furentibus: qui hæreditate promiſſa excludere conantur populum, tibi inſtar argenti probatum. Ingenioſiſſime Ægyptios notat, geminam mutuatus imaginem propriam; a crocodilis, inter Nili arundines inſidiantibus; a tauriformi Serapide, quem adorabant. Tauri, principes; vaccæ, populus. *Argento*, hebraiſmus: ut eodem Pſalmo, *nive dealbabuntur*. v. 15. pro inſtar nivis, ceu nix.

Fero. *Quantum in te eſt*, inquit malignus Jobi reprehenſor & exagitator Eliphaz, *evacuaſti timorem, & tuliſti preces coram DEO*. Job. XV. 4. Ademiſti hominibus Dei timorem: proinde & rogandi ejus neceſſitatem ſuſtuliſti. *Fero* eo ſenſu, quo Job. XXIV. 10. *eſurientibus tulerunt ſpicas* i. e. rapuerunt.

Fer-

Ferrum. De Joſepho patriarcha vendito: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſiit animam ejus* Pſ. CIV. 18. Tam Græci, quam hebraizantes ex fonte hebraico, & recte quidem, ita vertunt: Anima ejus venit in ferrum. anima ejus, id eſt, ipſe; more hebraico: ipſe in compedes incidit; in ferrum ſeu per ferrum, ſi ita loqui libet, pertranſiit. Sed multo tenerior ad affectum Vulgata; neque ſic, ut omittat ſenſum hebraicum, ſed potius ſuo includat, in hunc modum: Ferrum, in quod Joſeph incidit, intime eum perculit, ipſamque ejus animam penetravit. Sicuti ad Mariam Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Luc. II. 35. Pergit pſaltes: *donec veniret verbum ejus*. v. ſq. Quod accipi duobus modis poteſt: *ejus*, i. e. Dei, Joſephum liberantis: & *ejus*, ipſius Joſephi, nimirum vaticinatio coram Pharaone; vel donec ejus ſomnia, patri & fratribus olim narrata, opere implerentur. Quorum quia utrumque & cum veritate, & cum hebraico fonte æqualiter congruit: ego quoque in mea Pſalterii explanatione totidem verbis uſus ſum, & ambigue dictum, quale inveni, reliqui. Atque id, ut ſemel hoc dicam, in Pſalterio eſt a me factum ſæpius, quoties nimirum uterque locutionis ambiguæ ſenſus erat æque probabilis, & hebraico conſentaneus.

Festino. *Miſeretur excipientis doctrinam miſerationis, & qui feſtinat in judiciis ejus*. Eccli. XVIII. 14. Miſeretur Deus hominis, qui caritatis & miſericordiæ præceptum ſervat, & qui celeriter exequitur imperata.

2. Feſtinare tempus. Siracidæ ad Deum precatio: *Feſtina tempus, & memento finis*. Eccli. XXXVI. 10. Triplex eſt græcorum codd. lectio, quam ita complector: Accelera tempus liberationis noſtræ, & memento jurisjurandi tui, quo promiſiſti Meſſiam finiturum omnes noſtras ærumnas, & iram tuam a nobis in hoſtes averſurum.

Ficarius. De faunis ficariis dictum paulo ante, Voc. *Faunus*.

Fictor. *Ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſionem regis*. Amos

Amos VII. 1. Ecce Deus producit & immittit in terram noſtram locuſtas innumeras, eo tempore, quo (Aprili exeunte) per ultimam pluviam fruges omnes maturitatem plenam aſſequuntur: poſtquam paulo ante locuſta alia, nimirum regia, campos noſtros totonderat. Deprecatur Amos (v. 2.) ne Deus depaſci penitus omnia ſinat, idque (v. 3.) impetrat. Hæc ſpecies viſi, quod prophetæ objectum eſt: ſententia hæc latet. Miſit Deus Aſſyrium hoſtem, cum jam refloreſcerent res hebraicæ, prius ab rege Salmanaſare devaſtatæ. Propheta obteſtante, *miſertus eſt Dominus ſuper hoc: Non erit, dixit Dominus.* v. 3. id eſt, Sennacherib, Judæa per Aſſyrios ſuos ſubacta, Hieroſolyma tamen non potietur. Inde nocturna illa ſtrages horribilis Aſſyriorum CLXXXVM.

Fides. *Omnia opera ejus in fide.* Pſ. XXXII. 4. In omnibus ſuis operibus fidelis eſt Deus.

Filia. Numero ſingulari poſitum, ſequente loci cujuſpiam nomine, indicat urbem aut provinciam. Sic filia Jeruſalem, aut filia Sion, eſt Hieroſolyma urbs, & plerumque totum regnum Juda; filia Ægypti, tota Ægyptus; filia Babel, regnum Aſſyrium, Babylonii.

2. Filia populi mei. quod ſæpius legitur. Eſt vel tota gens, vel Hieroſolyma caput gentis. *Plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Jer. IX. 1. chaldaice, cœtus populi mei.

3. Filiæ (numero plurali) urbis alicujus præcipuæ, ſunt pagi, & oppida, per totam vicinitatem ſita, urbique illi parentia. Id paſſim occurrit. Sic de Rabbath urbe principe Ammonitarum: *erit in tumulum* (acervum lapidum) *diſſipata filiæque ejus igni ſuccendentur.* Jer. XLIX. 2. oppida, villæ, & pagi; non puellæ.

4. Filia dei alieni. *Habuit* (hebr. uxorem duxit) *filiam dei alieni.* Mal. II. 11. alienam, ſimulacra adorantem: quas ne ſibi nuptiis jungerent, Hebræi lege Divina prohibebantur. Invehitur in eos, qui, repudiata uxore prima & legitima, externam & religionis veræ expertem duxerant.

5. Filia feminarum. Dan. XI. 17. Hebraiſmus rarior: pulcerrima femina. Intelligitur Cleopatra,

quam

quam Antiochus Ptolemæo in matrimonium collocavit.

6. Filia latronis. Michæas, qui ſuperiore Capite ſolatus Hieroſolymam fuerat, eique fauſta omnia promiſerat, olim eventura; Nunc tamen, inquit initio Capitis V. *Nunc vaſtaberis, filia latronis*. vaſtaberis, quæ vaſtabas: quæ & latrocinari ſolita, a Chaldæis latronibus punieris.

7. Filia multitudinis. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis*. Cant. VII. 4. Hebraice *Bath rabbim*, quod nomen proprium loci videtur fuiſſe, haud procul Heſebone: unde nomen portæ inditum.

8. Filiæ pharetræ. Thren. III. 13. ſagittæ.

9. Filiæ carminis. Eccl. XII. 4. aures; quippe quæ carminibus paſcuntur.

Filius. Filii Dei. *Videntes filii DEI filias hominum, quod eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores*. Gen. VI. 2. ex his nuptiis orti filii *gigantes* ---- *potentes a ſeculo viri famoſi*. ibid v. 4. Auctores veteres, quidam etiam e primoribus, angelos muliebri amore irretitos putarunt. Verum hæc opinio ita exaruit, ut præter illius memoriam nihil ſuperſit. Plerique ducem ſequuntur Divum Joannem Chryſoſtomum exiſtimantem, Dei filios hoc loco appellari Sethi religioſiſſimi poſteros, hominum filias prolem ſceleratam Caini; a qua infectos illos avitis criminibus, eandem pravitatem filiis gigantibus tradidiſſe, non niſi diluvio eluendam.

2. Filius hominis. Diſtinguunt Hebræi *filios hominis a filiis viri*: nam filii viri ſunt nobiles & inſignes; filii hominis, plebeji & viles. Sic, ubi nos habemus *terrigenæ & filii hominum* (Pſ. XLVIII. 3.) ipſi legunt, *filii hominis*, *& filii viri*, i. e. plebeji & nobiles. Migravit hebraiſmus hic etiam in ſyriacum: quo factum, ut Chriſtus Dei Filius frequenter ſe filium hominis appellaret. Quod autem Mariophili quidam pie meditati ſunt, Chriſtum id honori ſanctiſſimæ ſuæ Matris dediſſe, cui uni vitam deberet, non hominum, ut alii, ſed hominis filius: latinis fortaſſe auribus placere poteſt, Bibliorum peritis non poteſt. Ezechiel quoque filius

filius hominis in ſuo volumine quoties dicitur, non utique idcirco filius virginis appellatur. Et ubique Hebræi, ut dixi, *filii hominis* dicuntur, ubi de plebejis ſermo eſt, non *filii hominum*. Sed plane jugulat ſententiam illam in Evangelio græco & Actis Apoſtolorum articulus, qui vocabulo *hominis* additus, eſt generis maſculini: ut jam olim obſervarunt eruditiſſimus Lorinus in Act. VII. 56. & doctiſſimus ac religioſiſſimus Salmeron Commentar. in N. T. Vol. I. Prolegom. 13. Sic ergo ſe Chriſtus, inquit ibidem Salmeron, filium hominis modeſtiſſime dixit, ut nos terræ filium dicimus, ignobilem, obſcurum, contemptum. In Pſalterio quoque Meſſias filius hominis nuncupatur, cum vates pro Eccleſia Deum obſecrans, ita canit: *Reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam; & perfice eam, quam plantavit dextera tua: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi*. Pſ. LXXIX. 15. ſeq. Vide ſeu reſpice, & viſita, non tantum eccleſiæ vineam a te plantatam, ſed & filium ſeu ſuper filium hominis (chaldaice, Regem Chriſtum) quem Regem æternum, & propter ipſum hanc vineam tibi ſtabiliiſti. Idem ibid. v. 18. *vir dexteræ* appellatur, quem dextera ſua Pater defendit.

3. Filii, pro diſcipulis. IV. Reg. II. 3. & alibi, filii prophetarum; quos hi inſtituerant, non quos genuerant. Filii cantorum. II. Eſdr. XII. 28. cantorum diſcipuli, cantores.

4. Filii, pro nepotibus *Orabam filios uteri mei*, ait de ſe jam calamitoſo & contempto Jobus, XIX. 17. id eſt, nepotes: liberos enim ruina oppreſſerat.

5. Filius mortis. I. Reg. XX. 31. II. Reg. XII. 5. dignus ſupplicio, morti debitus.

6. Filius perditionis. Joann. XVII. 12. de Juda, & II. Theſſ. II. 3. de Antichriſto. Homo perditus, profligatus; exitio deſtinatus, eoque oppreſſus.

7. Filii maledictionis. II. Petr. II. 14. Diris devoti, execrabiles.

8. Filii ſubtractionis, Hebr. X. ult. Qui Divinis ſe mandatis ſubducunt; increduli, jugum detrectantes.

9. Filius homicida. i. e. homicida. IV. Reg. VI. 32. de re-

de rege Iſraelis Joramo, cum innocentis Eliſæi caput amputari juſſiſſet. Tametſi & noſtro more dici Joramus poteſt homicidæ filius, Achabi nimirum, qui lucem Nabotho eripuit: ſed id non eſt hujus loci.

10. Filius pacis. Hebræi pacis nomine genus omne proſperitatis intelligunt. *Dicite, Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos revertetur.* Luc. X. 5. ſq. Siquis erit ſalute ac bono hoc dignus, eorum fiet particeps; ſin minus, vos certe humanitatis veſtræ ac ſtudii fructu non carebitis.

11. Filius unius aut plurium annorum. *Filius viginti & unius anni erat Sedecias, cum regnare cœpiſſet.* Jer. LII. 1. Annos XXI. natus erat. *Darius Medus ſucceſſit in regnum annos natus ſexaginta duos.* Dan. V. ult. quod ipſe Daniel chaldaice ita ſcripſit: *Et Darius Medus accepit regnum ut filius annorum ſexaginta duum.* Dan. VI. 1. ſecundum partitionem canonis hebraici. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet; duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.* I. Reg. XIII. 1. Principio imperii ea erat innocentia Saul rex, qua infans unius anni: ſed talis non niſi per biennium perſeveravit. Si enim non integritatis, ſed regni annos numeres, *annis quadraginta* ei Saulem præfuiſſe, Doctor Gentium narrat Act. XIII. 21. Chaldaice locus noſter (I. Sam. XIII. 1.) ſic habet: Sicut filius anni, in quo nullæ ſunt culpæ.

12. Filii Orientis. Iſ. XI. 14. Jer. XLIX. 28. Ez. XXV. 10. Hebræorum accolæ ad Orientem. Quo revocari poteſt elegantia illa ſacræ linguæ Iſ. XIV. 12. ubi nobis eſt *lucifer*, hebraice autem *filius auroræ*.

13. Filii maris. Meſſias, & emiſſus ab eo per orbem cœtus, quaſi leo *rugiet, & formidabunt filii maris.* Oſ. XI. 10. Remotiſſimi populi trans mare, ſalutari timore perculſi, evangelio morem gerent.

14. Filii nuptiarum (Marc. II. 19.) iidem ſunt, qui Luc. V. 34. filii ſponſi, & græce a Luca filii thalami appellantur; amici videlicet ſponſo familiares.

15. Filii areæ. Iſ. XXI. 10. Grana e frumento excuſſa.

16. Filii tumultus. Jer. XLVIII. 45. Moabitæ tumultuantes.

17. Fi-

17. Filii olei. Zach. IV. ult. & Apoc. XI. 4. Enoch & Elias. de quibus paulo plura Voc. *Oliva*. Filius olei. Iſ. V. 1. ſolum pingue & frugiferum. LXX. & Chaldæus habent, in loco pingui, in terra pingui. Vide *Cornu*.

Fingo. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Pſ. XCIII. 20. Longe a vero ſenſu literali aberrat opinio exiſtimantium, reprehendi eos, qui Dei præcepta ardua & laborioſa cauſſantur. Deum ipſum propheta alloquitur, & laborem in ejus mandatis ineſſe confirmat. Convenit inter Hebraicos, Græcos, Latinoſque doctores, *ſedem iniquitatis* eſſe injuſtum tribunal humanum, Deo inſociabile. Sed Hebræi & Græci, cum verbum *fingo* in participio legant, *fingens laborem*, id referunt ad hoc ipſum tribunal hominum, & intelligunt principes judiceſque injuſtos, qui leges difficiles & labore plenas imponunt. Sed ambiguitatem tollit Vulgatæ auctoritas, quæ aperte determinat, verbum *fingo* non ad ſedem iniquam, ſed ipſum Deum pertinere: repugnat enim & genus pronominis relativi, & perſona ſecunda verbi, dum dicitur, non *quæ fingit*, ſed *qui fingis*. Verus itaque ſenſus eſt: Nunquid tibi, o Deus, qui creaſti ſeu condidiſti legem hominibus laborioſam, qui juſſiſti mandata tua cuſtodiri nimis (i. e. valde; exquiſite, accurate) nunquid tibi ſociabitur tribunal iniquorum? neutiquam ſane: nihil tibi cum illis commune eſt.

Finio. *Uſquedum finiantur lux & tenebræ*. Job XXVI. 10. periphraſis poetica. uſque ad finem temporis, uſque ad extremum judicii diem.

2. Finies me. Ezechias rex in cantico. *De mane uſque ad veſperam finies me. Sperabam uſque ad mane: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea. De mane uſque ad veſperam finies me*. Iſ. XXXVIII. 12. ſq. Tanta gravitas morbi fuit, ut illi diei ſuperſtitem me fore non ſperarem, ſed dicerem: ante hodiernam veſperam, Deus, e vita me tolles. Cum tamen uſque ad noctem ſuperfuiſſe me cernerem, ſperabam, ad auroram me perventurum. Tum vero ita recruduit morbi vis, ut dolor inſtar leonis irrueret, omnia oſſa confringen-

gen-

gentis. Quare denuo meum illud repetii. Ante hujus diei occaſum ad tumulum me perduces.

Finis. De Jeroſolyma: *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui*. Thren. I. 9. Etſi peccatorum ſordibus conſpurcata, non tamen cogitavit, quem denique finem ſua eſſet habitura impietas.

2. Apparere in finem. *Adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit*. Hab. II. 3. Viſio hæc, de venturo Meſſia, procul abeſt; nequaquam ſtatim implebitur: ſed apparebit promiſſi veritas in fine ſeculorum, ut loquitur apoſtolus I. Cor. X. 11. Non fallet datam fidem Deus: nec diuturna erit mora, ſi hinc æternitatem, illinc ævi noſtri brevitatem aſpexeris. Quamprimum adfuerit momentum illud decretum, non tardabit.

3. In finem, ſi præcedat negatio, eſt in perpetuum, ſemper. *Non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem*. Pſ. IX. 19. non erit ſempiterna: non peribit in perpetuum. *Ne repellas in finem*. Pſ. XLIII. 23. Ne in perpetuum nos rejicias. *Animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem*, oblivione nimirum ſempiterna. Pſ. LXXIII. 19. Eodem ſenſu uſurpatur ſæpe, cum negatio latet, vel omnino ſententia eſt mere affirmans. *Deſtruxit eos uſque in finem*. Eccl. X. 16. Deſtruxit ita, ut nulla ſit reſurgendi ſpes in perpetuum, *Nunquid iraſceris in perpetuum, aut perſeverabis in finem?* q. d. non erit ira tua ſempiterna. Jer. III. 5. *Diſciplina tua correxit me in finem*, in perpetuum, ſemper. Pſ. XVII. 36.

4. In finem, titulus complurium Pſalmorum. D. Hieronymus vertit, Victori; ei ſcilicet, qui muſicæ artis notitia vel dignitate ceteros anteiret, muſicæ præfecto. ei pſalmus hic tradi jubebatur canendus, aut in choro muſicorum proponendus; interdum etiam certis quibusdam inſtrumentis muſicis comitandus. Si quæras, unde ingens hæc interpretandi diverſitas, mihi dubium non eſt, quin LXX. & quicunque *in finem* poſuerunt, pro hebraica quinque literarum voce legerint omiſſo *mem* breviorem aliam quatuor litera-

rum,

tum, quæ finem ſignificat. Finem hunc allegorice Chriſtum intelligunt noſtri, qui finis eſt & principium omnium.

5. Memento finis. Siracides ita DEUM precatur: *Feſtina tempus, & memento finis*. Eccl.XXXVI. 10. Triplex eſt in græco fonte lectio pro exemplarium varietate: alia habent, Memento finis; alia, Memento iræ; alia, Memento jurisjurandi. Sic omnia copulemus: Accelera ſalutis tempus, & memento jurisjurandi, quo promiſiſti, te mala noſtra finiturum, & iram in hoſtes noſtros converſurum, per Meſſiæ adventum.

Finitio. Res quatuor homini moleſtiſſimas ſic enumerat Siracides: *Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis*. Eccli.XL. 2. Curæ, timores, ſpes fallaces, mors.

Fio. *Hæc facta eſt mihi, quia juſtificationes tuas exquiſivi*. Pſ.CXVIII. 26. Hoc (ut memor eſſem nominis tui noctu) ideo mihi contigit, quia cuſtodivi (ita eſt hebraice) decreta tua. *Hæc* pro *hoc*: nam genere neutro Hebræi carent. Inde & illud ejusdem Pſalmi: *Hæc me conſolata eſt*. v.50. pro, Hoc me conſolatum eſt.

2. Fieri in populo. De gladio Nabuchodonoſoris: *Hic factus eſt in populo meo, hic in cunctis ducibus Iſrael, qui fugerant*. Jer. XXI. 12. Præteritum pro futuro; more prophetico & poetico Hebræorum. Chaldæi gladius deprehendet, aſſequetur, tum populum, tum duces fruſtra fugitivos.

3. Fieri de medio, fieri foras. *Donec de medio fiat*. II. Theſſ. II. 7. donec tollatur. *Juſſit foras ad breve homines fieri*. Act. V. 34. Juſſit eos e concilio tantiſper educi.

Firmamentum. *Poſuiſti firmamentum ejus formidinem*. Pſ. LXXVII.I.41. hebraice. munimenta ejus. Hæc nimirum ab hoſte capta, DEUS ex præſidio in ejus terrorem mutavit.

2. Firmamentum in plaga. De impiis felicibus: *Non eſt ---- firmamentum in plaga eorum*. Pſ. LXXII. 4. Siqua etiam plaga illis infligitur, ea tamen non

eſt

eſt diuturna: abundant namque modis liberandi ſe dolore.

3. Firmamentum panis, in ſummis montium. *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*. Pſ. LXXI. 16. Id firmamentum, ut ex hebraico liquet, triticum eſt. Tanta erit abundantia tritici, ut etiam in ſummis montium largiter proventurum ſit. Alibi panis additur. *Vocavit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contrivit*. Pſ. CIV. 16. Hic vero eſt hebraice, *omnem baculum panis*; omnem culmum tritici.

Flagellum. Iſ. XXVIII. 15. eſt Nabuchodonoſor. Non attinget nos, inquiunt ſcelerati, tutos patrocinio deorum, quos prophetæ *mendacium* appellant.

Flavesco. *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus*. Prov. XXIII. 31. Hebraice tamen eſt, rubet. Nec ſane flavum uſquam in Bibliis vinum reperio, ſed rubrum ubique. *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Iſ. LXIII. 2. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium*. I. Mach. VI. 34. *Libavit de ſanguine uvæ*. Eccl. L. 16. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Gen. XLIX. 11. *Pulcriores ſunt oculi ejus vino*. ibid. v. 12. hebraice: rubicundi oculi præ vino. Adde his, quod vir eruditionis multiplicis Petrus Laurembergius in Acerra Philologica teſtatur, Centur. III. §. 68. e veteribus Hiſtoricis, Geographis, Botanicis, neminem eſſe, qui aliud vinum quam rubrum Judææ tribuat. Recte igitur cum eodem Laurembergio ſtatues, & primum Chriſti miraculum, & ultimum omniumque maximum, rubri coloris vino aſſignanda eſſe; id eſt, aquas Canæ in Galilæa converſas a Domino in vinum rubrum eſſe, ejuſdemque coloris fuiſſe illud, quo in Cœna Sacroſancta inſtituenda uſus eſt. De cananæo vino favet Eccleſia, in hymno Epiphaniæ canens: *Aquæ rubeſcunt hydriæ*.

Floreo. *Florebunt de civitate ſicut fœnum terræ*. Pſ. LXXI. 16. Cives florebunt tanto numero, quantus eſt herbarum ſeu fœni creſcentis.

Flos. *Date florem Moab, quia florens egredietur*. Jer. XLIII. 9. Sarcaſmus acerbus in Moabitidem, tamquam in puellam ſceleratam & vanam: Date illi flores, quibus ſe coronet: hæ ipſæ corollæ pro alis erunt, quibus, avolet (ita enim habet fons hebraicus) in exilium & ſervitutem. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine*. ibid. v. 10. qui regno Moabitarum parcit, neque illud pro viribus exſcindit.

Flumen. Vocabulum hoc, ſi ponatur antonomaſtice, & nullo addito nomine proprio, plerumque Euphratem ſignificat. *Habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen*. I. Eſdr. IV. 10. nimirum Euphratem, quem Eſdras eo Capite ſæpius fluvium ſimpliciter appellat. *Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum*; hebraice, *terræ*, ſcilicet Judææ. Pſ. LXXI. 8. Cui par eſt illud: *Loquetur pacem gentibus, & poteſtas ejus a mari uſque ad mare, & a fluminibus* (hebr. *a flumine*) *uſque ad fines terræ*. Zach. IX. 10. Notiſſimus erat hic loquendi modus Hebræis, qui ex Pentateucho ſcirent, promiſſum Abrahamo eſſe: *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphratem*. Gen. XV. 18. & populo electo: *Ponam autem terminos tuos a mari rubro uſque ad mare Palæſtinorum, & a deſerto uſque ad fluvium*. Ex. XXIII. 31. Ex quibus habebant nomina ipſa utriuſque *maris* ac *fluvii*, & *fines terræ* ſeu *deſertum*. Ambo tamen vaticinia apertiſſime ſolum Meſſiam prædicant, maxime ſi pergas in Pſalmo: *& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei*. v. 11. & ſi in Zacharia verſum priorem annectas: *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator*. Quæ omnia neque in Salomonem, neque in ullum alium regem aut hominem præter Chriſtum Jesum conveniunt. Solus ille mortalium omnium non tantum Judææ totius, ſed etiam univerſi orbis dominatu potitur, rex omnium a mari ad mare, ab ortu ad occaſum; & a flumine Jordane, ubi vox Patris intonuit, *Hic eſt Filius meus* (Matth. III. ult.) uſque ad terminos orbis terrarum.

2. Attentiſſimus Ribera in Commentar. Majorib. ad XII. Prophet. minores, in C. ult. Mich. nu. 33. cenſet, ubi de Judæorum terra ſermo eſt, flumen per antonomaſiam dici Jordanem. Recipio hoc ut probabile, & locum Pſalterii de Chriſto modo allatum ita ipſe interpretor. Sed cavendum, ne flumen mediterraneum cum finitimo confundatur. *Flumen* ſine addito nomine, ſi ſit mediterraneum & ipſius Judææ, Jordanis eſt; ſi extra Judæam & finitimum, Euphrates. In explicato loco Pſ. LXXI. 8. pro diverſa acceptione, ut dixi, utrumque verum eſt.

Fluo. Elogium terræ ſanctæ proprium, Terra fluens lacte & melle. i. e. abundans non rebus tantum neceſſariis, verum etiam deliciis; nominatim lacte propter lætiſſima paſcua, & melle ob immenſam copiam apum.

Fluvius. Si nomen proprium non adjungatur, eodem modo accipiendum, quo paulo ante de *Flumine* explicatum eſt. Sic Ex. XXIII. 31. I. Eſdr. IV. 11. 16. 17. & 20. Euphrates eo vocabulo indicatur.

Fodio. Oſ. III. 2. Hebraiſmus, cujus obſcuritas inde oritur, quod & fodere, & emere verbum idem ſignificat. Emi eam (uxorem) mihi pretio argenti & hordei. Sic ubi Deut. II. 6. nos cum LXX. & Chaldæo legimus, *aquam emptam haurietis & bibetis*; in fonte hebraico eſt, *& etiam aquas ab eis fodietis argento*. Erat autem priſcis ſeculis conſuetudo, ut nuptiæ per coemptionem fierent: quod pluribus oſtendit literatiſſimus Barnabas Briſſonius l. de vario ritu Nuptiarum. Omiſſis aliis gentibus, Hebræorum in hoc genere morem oſtendunt verba Sichem, Dinam Jacobi patriarchæ filiam emere ſibi a patre ſponſam quantocunque pretio cupientis: *Quæcunque ſtatueritis, dabo: gaudete dotem* (non quam puella viro, ſed quam hic uxori afferat) *& munera poſtulate: & libenter tribuam*. Gen. XXXIV. 11. ſq.

Foedero. *Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?* Jer. XV. 12. Ferrum ab Aquilone ſunt Chaldæi. Depone ſpem vanam, o Jeruſalem: ferrum ferro, æs æri, Judæi Chaldæis ſociari non poſſunt.

Diripient te (v. ſq.) hoſtes intra omnes tuos terminos, quam late ditio tua patet.

Foedus. Impii Hebræi dicunt: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus*. Iſ. XXVIII. 15. Non timemus mortem ac tumulum, tam de iis ſecuri, quam qui fœdere ſibi aliquem adjunxerunt. Nabuchodonoſor, populorum flagellum, cum ad nos uſque pervenerit, non nocebit: ſuſtentant enim ſpem noſtram, proteguntque nos dii, quos prophetæ mendacium nuncupant.

Foenero. *Non fœneravi*, non dedi cuiquam pecunias mutuas, *nec fœneravit mihi quiſquam: &* tamen *omnes maledicunt mihi*. Jer. XV. 10. Injuriam nec intuli, nec paſſus ſum: poteram quiete vivere, niſi Deus mihi odioſum prophetæ officium impoſuiſſet, quod omnium iras in me concitavit.

Foenum. Judas Machabæus & ſocii inter feras in montibus *fœni cibo veſcentes demorabantur*. II. Mach. V. ult. herbis & radicibus alebantur.

2. Fœnum pro palea, ſeu culmo frumenti una cum ſpica. Mich. IV. 12. Horum trituram propheta v. ſq. imperat Hieroſolymæ ceu vitulæ robuſtiſſimæ, cui vires ferreas & æream vim tribuit. Comminuti ſunt autem populi ab Eccleſia, & eorum rapinæ ac potentia DEO ſubjecta tum, cum ad Chriſtum adducti ſunt.

Foetantes. Davidem DEUS elegit *de poſt fœtantes*. Pſ. LXXVII. 70. cum fœtas oves ſequeretur, qui eſt infimus vitæ paſtoritiæ gradus. inde eum tranſtulit *ad paſcendum Jacob populum ſuum*, ut eſt hebraice v. ſq.

Foeteo. Hebræi ad Moyſen & Aaronem: *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus* Ex. V. 21. odioſos nos illis effeciſtis. Modus hic loquendi occurrit & alibi in hebraico; exempli gratia Gen. XXXIV. 30. ubi noſter abſque metaphora: *odioſum feciſtis me Chananæis*. Sic & I. Reg. XXVII. ult. *Multa mala operatus eſt contra populum ſuum*. hebraice ad verbum: *fœtendo fœtere ſe fecit populo ſuo*.

ſum

ſummopere ſcilicet inviſum, tot illatis perpetuo damnis. *Videntes autem filii Ammon, quod injuriam feciſſent David.* I Par. XIX. 6. hebraice: *quoniam fœtere ſo feciſſent Davidi.*

Fons. *Benedicite DEO Domino de fontibus* (hebraice, de fonte) *Iſrael.* Pſ. LXVII. 27. Fons hic ſeu fontes vel eſt Jacob & XII patriarchæ, ejus filii; vel beneficiorum ſcaturigo uberrima, populo electo aperta. Enumerantur mox principes, eorumque in ſuas tribus dimanans felicitas. Benjamin, natu minimus; tribus quoque minima omnium, ſed in Saulle rege victoriis & gloria ad ſtuporem uſque aucta. Juda, unde regum a Davide perpetua ſeries. Zabulon & Nephthali, Judicum tempore inſignes, præſertim contra Jabin & Siſaram. Allegorice, fons gratiæ Chriſtus, & fontes apoſtoli, quorum noviſſimus Paulus, ad tertium uſque cælum raptus, e tribu Benjamin; alii de tribu Juda, Servatoris propinqui; ceteri, utpote Gallilæi, ex tribubus Zabulon & Nephthali.

2. Fontes & vena. In elegantiſſima allegoria fidelis conjugii Prov. V. 15. ſqq. fontes ſunt legitimi liberi, vena eſt uxor.

Foramen. Non tantum in ſumma dignitate, ac maximis opibus natus es, o Rex Tyri: ſed *& foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt.* Ez. XXVIII. 13. hebraice tibiæ ſeu fiſtulæ, Parata tibi eſt lætitia, & occaſio fruendi voluptate omni honeſta, qualis eſt muſica.

2. Videntes per foramina. Eccl. XII. 3. Oculi. Totam illam Senii hypotypoſin artificioſiſſimam explano in Voc. *Tenebreſco.*

Formido. Bar. VI. 69. Terriculum in horto, vinea, agro. Tales, inquit, ſunt dii, vana gentium terricula.

Formidolosus. *Ad DEUM formidoloſa laudatio.* Job. XXXVII. 22. DEO terribili debetur laus, non ſine timore tamen perſolvenda: quia *digne eum invenire non poſſumus.* v. ſq.

Fornax. Sol *fornacem cuſtodiens in operibus ardoris,*

Eccli. XLIII. 3. Ardorem continet inſtar fornacis vehementiſſime ſuccenſæ.

2. Fornax ferrea. Jer. XI. 4. Servitus graviſſima in Ægypto, ubi laterem coquere, & injurias ferre ultimas coacti.

Fornicor. Paſſim de adorantibus falſos deos & ſimulacra. *Cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum.* Ex. XXXIV. 15. *Fornicabitur poſt deos alienos.* Deut. XXXI. 16. *Fornicans fornicabitur terra a domino.* i. e. deſerto Domino. Oſ. I. 2. *Filii fornicationum ſunt.* Oſ. II. 4. chaldaice, *filii idololatræ.* Tale & illud: *Fornicata es cum filiis Ægypti .... in filiis Aſſyriorum ... cum Chaldæis.* Ez. XVI. 26. ſqq. Imitata hos populos, eorum deos adoptaſti. *Fornicata eſt igitur ſuper me*, dicit Dominus. Ez. XXIII. 5. contra me.

Fornix. *Diſſipat impios rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem.* Prov. XX. 26. hebr. chald. & græc. *rotam.* Frequens veteribus ſupplicium rotæ, cujus radiis innexus varie torquebatur reus. Fornix dici poteſt a cantho, qui vere fornix eſt rotæ, extremam ejus curvaturam cingens & includens.

Forsitan. Pro utique, nimirum, ſcilicet. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi.* Joann. V. 46. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Joann. VIII. 19. Græce eadem eſt particula, quæ Joann. VIII. 42. XIV. 7, & XVIII. 36, ubi etiam noſter vertit *utique*.

Fortitudo. David ad Deum: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* i. e. apud te. Pſ. LVIII. 10.

2. Fortitudo capitis. *Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim fortitudo* (hebraice, munimentum ſeu arx) *capitis mei.* Pſ. LIX. 9. quia Ephraimitæ robur erant exercitus Iſraelitici. Oſtendit, occupatam a ſe dei beneficio regionem omnem cis ac trans Jordanem.

3. Fortitudo maris. *Erubeſce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes.* Iſ. XXIII. 4. Erubeſce Sidon, quæ Tyrum filiam tuam pereuntem auxilio non

non ſublevaſti. Sic ait mare, id eſt, navarchi & mercatores, & ipſa potiſſimum Tyrus, munimentum maritimum validiſſimum. Ego, inquit Tyrus, ab hoſte ita exinanita ſum, & vaſtata, ut ſi ſemper fuiſſem ſterilis: cum tamen prole florentiſſima abundaverim.

4. Clamare in fortitudine. Jon. III. 8. Clamare valide. Id innumeris locis reperias, fortitudinem in Divinis Libris non pro animi magnitudine & conſtantia accipi; ſed pro viribus, potentia, robore.

Framea. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ*. Pſ. XVI. 13. Fons hebraicus, gladium tuum; LXX. rhomphæam tuam. *Framea*, ortum a Germanis vocabulum, haſtam ſignificabat, ut diſerte explicat Tacitus: traductum eſt poſtea ad indicandum etiam gladium. Sententia loci eſt: Eripe me impio, & hoſtibus tuis extorque gladium, adime vires, quibus contra æquitatem & voluntatem tuam abutuntur.

2. Defecerunt frameæ. *Inimici defecerunt frameæ in finem*. Pſ. IX. 7. Aliqui, latina ſola conſiderantes, dici putarunt, inimicos deficere ſeu deeſſe ferro; ita conciſos a victoribus hoſtes eſſe, ut jam non inveniant, quos occidant. Sed hebraica & græca luculenter: Enſes hoſtis defecerunt in perpetuum. Sic fracta eſt potentia hoſtium, ut arma deinceps capere nunquam auſuri ſint.

3. Framea ſuper paſtorem. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute paſtorem, & diſpergentur oves: & convertam manum meam ad parvulos*. Zach. XIII. 7. Chriſtus ipſe docuit (Matth. XXVI. 31. & Marc. XIV. 27.) prædicta hæc eſſe de ſe & apoſtolis, diſpergendis eo tempore, quo paſſurus ipſe eſſet. Divini ergo Patris vox eſt: Sinam te hoſtilis gladie, irruere in conſtitutum a me Paſtorem generis humani, qui ut verus Deus ejuſdem eſt mecum Naturæ, & ut ſanctiſſimus Homo ſumma mihi amicitia conjungitur. Percutietur paſtor hic, & grex diſſipabitur. Sed redux ego, inquit Jesus, manum extendam ad trepidos, & afflictos confirmabo.

Frater. De proxima conſanguinitate conjunctis; hebraiſmus notiſſimus. *Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum*. Gen. XIV. 14. i. e. filium fratris ſui Arani. Eadem conſuetudine in Lege Nova ſæpius fratres Domini appellantur, quod propinquiſſima cognatione Chriſtum attingerent, non quod eandem etiam matrem haberent, ut quidam rerum & linguarum inſcii ſomniarunt. de his plura Voc. *Jacobus*.

2. Frater pro ſimili. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*. Prov. XVIII. 9. ſimilis diſſipanti.

3. Frater draconum; & ſocius ſtruthionum. Job. XXX. 29. De Jobi plangore, ſibilis, ejulatu, rectius hæc accipi, quam de ejus ſolitudine, ex contextu & Michæa oſtendi Voc. *Draco*, §. 2.

4. Fratres noſtri. Doctor gentium laudat fratris ſui ſollicitudinem *ſive pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, apoſtoli eccleſiarum*. II. Cor. VIII. 23. Antiptoſis eſt; uſitato more diceretur: ſive pro Tito, ſive pro fratribus noſtris apoſtolis. Hebraicam iſta & ſyriacam linguam ſapiunt, caſuum diſtinctione carentes.

Fraternitas. Reſiſtite, inquit apoſtolorum princeps, leoni ſtygio; *ſcientes, eandem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri*. I. Petr. V. 9. Scitote, fratres quoque veſtros, qui per orbem diſperſi vivunt, nihilo leviora pati.

Fraudulenter. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* (LXX. negligenter:) *& maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine*. Jer. XLVIII. 10. qui parcit Moabitis, qui eos non conatur delere, quoad valet. Tropologice, de negligentia in extirpandis vitiis.

Frenum. *In die illa erit, quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino*. Zach. ult. 20. Ornamenta bellica Deo conſecrabuntur in templo, ceſſantibus jam bellis, & pace per veram religionem introducta.

2. Frenum tributi. II. Reg. VIII. 1. Urbs Geth, caput unius e ſatrapiis Philiſthæorum. Patet conferenti

renti narrationem ejuſdem rei alteram I. Par. XVIII. 1: Sic dicta Geth, poſtquam ei a ſe victæ David præſidium impoſuit, atque ita munimento hoc tanquam freno Philiſthæos cohibuit, & imperatum a ſe tributum ſolvere coegit.

Fructus. *Obaudite me divini fructus*. Eccli. XXXIX. 17. Spiritus Sapientiæ in me dicit, inquit Siracides & per me ad vos: *Exaudite me, filii ſancti.* ita eſt græce. Hebræi, Divinus populus, adoptati a Deo filii, ejuſque veluti progenies.

2. Fructus cogitationum. *Terra erit in deſolationem propter habitatores ſuos* impios, *& propter fructum* malarum *cogitationum eorum*, Mich. VII. 13.

3. Fructus labiorum. *Creavi fructum labiorum pacem*. Iſ. LVII. 19. Fructum precum ſuarum percipient: (præteritum pro futuro, ut alibi locis innumeris.) pacem eis impertiar, pacem plenam, proſperitatem in omnes diffundendam.

Frustum. Lebetem per ludibrium dixerant Joroſolymam, ſe autem carnes. *hæc eſt lebes, nos autem carnes*. Ez. XI. 3. Hic ſerio Deus ad prophetam: *Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eam aquam. Congere fruſta ejus*, ollæ debita, ibi coquenda, *in eam; omnem partem bonam, femur & armum, electa & oſſibus plena*. Ez. XXIV. 3. ſq. Præſtantiſſimos quoſque igni ærumnarum coquendos deſtinat.

Fulgur. *Fulgura in pluviam fecit*. Pſ. CXXXIV. 7. Pluviam immittit ſtatim poſt fulgura, vel etiam cum illis, cum tamen naturæ ſint prorſus contrariæ. Idem legimus Jer. X. 13. & LI. 16.

Fullo. Meſſias *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum*. Mal. III. 2. De herba fullonum ſive ſaponis dixi Voc. *Borith*. Chriſtus ſuos tam puros efficit, quam ignis metalla pretioſiſſima; tam candidos, & ſine omni macula ſplendidos, quam herba hæc telam.

Fumigo. Deus *tangit montes, & fumigant*, ſeu fumant. Pſ. CIII. 32. *ut mons Sinai, Veſuvius, Ætna, Pyrenæi olim, qui arſerunt, flammas vomuerunt, grandem fumum in fornacis modum exhalantes terribili ſpecie.* ita doctiſſimus Gilbert. Genebrardus, ad hunc Pſalterii locum.

Fun-

FUNDAMENTUM. *Contremuit terra: fundamenta montium turbata ſunt*. Pſ. XVII. 8. Pars hypotypoſeos illuſtris qua David adventum liberatoris ſui DEI poetice deſcribit. Legitur etiam II. Reg. XXII. 8. ſqq. *Contremuit terra: fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata*, cet. Tantus fuit motus terræ, ut etiam ima montium trepidarent.

2. Revelare fundamenta. De Samaria: *fundamenta ejus revelabo*. Mich. I. 6. Evertam funditus: deſtruam ſic, ut fundamenta appareant. *Apparuerunt fontes aquarum & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum*. Pſ. XVII. 16. & pæne totidem verbis II. Reg. XXII. 16. Terra tanto motu concuſſa eſt, ut divulſa ac ſciſſa ad intimas uſque fontium origines & latebras reconditiſſimas pateret.

3. Fundamenta terræ, i. e. reipublicæ. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ*. Pſ. LXXXI (qui totus eſt de judicibus & magiſtratibus) 5. Exponit hoc perquam concinne Venerab. Bellarminus: Judices neſcierunt, quid facti in cauſis; nec intellexerunt, quid juris; ideo in tenebris ambulantes, perperam judicant: convulſis autem legum & juſtitiæ fundamentis, totus orbis terrarum perturbabitur.

FUNDO. *Domine, in judicium poſuiſti eum* (Chaldæum) *et fortem, ut corriperes, fundaſti eum*. Hab. I. 12. Ad hoc eum elegiſti, ut per illum juſtitiæ tui judicii executio perageretur: & idcirco tantas ei vires tribuiſti, ut ejus manu nos caſtigares. Sed tamen (v. 13.) puriſſimi tui oculi crudelitatem & ſævitiam aſpicere non poſſunt: cur ergo eam in Chaldæo impunitam intueris, pei... nobis, quos devorat?

... Pro poſſeſſione, ſive hæreditate: eas ...niculis dividebant. *Quando dividebat ...Jacob funiculus hæreditatis ejus*. Deut. Ex omnibus populis Hebraicum dele...cu hæreditatem ſibi propriam poſſideret. ...*bi mittens funiculum ſortis in cœtu Domini*. ...5. Jam non erit tibi poſſeſſio & hæreditas ...incta.

2. Fu-

2. Funiculo metiri. *Filii tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur.* Amos VII. ult. Victor, occiſis incolis, terram ſuis poſſidendam ſorte dividet. Militaris locutio: qualis & illa: *Tetendit funiculum ſuum.* Thr. II. 8. Adeo proſtrata eſt Jeroſolymæ felicitas; ut Deus eam ſolo æquaſſe videatur, ut funiculus tendi per nudam aream poſſit. David *percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.* II. Reg. VIII. 2. Moabitidem penitus ſibi ſubjecit, ac tum de regione ipſa, tum de incolarum vita & nece pro arbitrio ſtatuit. Geminus hic funiculus eſt metaphoricus duntaxat, & liberrimam Davidis voluntatem ſignificat, qua alios juſto ſupplicio addixit, aliorum vitæ pepercit. Plures multo fuiſſe ſervatos, quam interfectos, docet hebraicum vocabulum *plenitudinis* funiculo vitæ additum II. Sam. VIII. 2.

3. Funiculus Samariæ. *Extendam ſuper Jeruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab.* IV. Reg. XXI. 13 In eam non minus graviter animadvertam, quam in Samariam, & domum Achab. Declarat id admirabili ſimilitudine a literis in tabella cerata ſcriptis: *delebo Jeruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſuper faciem ejus*, ut ne veſtigium quidem literarum ſuperſit.

4. Semita & funiculus. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam;* omnem meam requiem, omne meum negotium; quid ſedens, quid ſtans agitem. *Intellexiſti* omnes *cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.* Pſ. CXXXVIII. 2. ſqq. noſti, quid ſim conatus acquirere, & quid acquiſierim; *ſemitam & accubationem* meam, ut eſt in hebraico.

5. Funiculi Adam. *In funiculis Adam traham* (pro traxi) *eos, in vinculis caritatis: & ero* (fui) *eis quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum, & declinavi ad eum ut veſceretur: Non revertetur in terram Ægypti, & Aſſur ipſe rex ejus: quoniam noluerunt converti.* Oſ. XI. 4. ſq. Non terrore, ut bulluas; ſed beneficiorum & mandatorum vinculis, ut animantes domeſticas, humano mo-

more (*adam* enim eſt homo) eos traxi, benevolentia & amore alliciens. Sæpe animalibus his meis quietem conceſſi, & pabulum lautius præbui; diebus feſtis, annis ſabbaticis, & jubilæis. Sed quia ingratus Iſraelis populus (regnum decem tribuum) perpetuo reſtitit, in ſervitutem agetur; non jam Ægyptiacam, quæ finiatur; ſed Aſſyriam, e qua nunquam reducatur.

6. Funiculi vanitatis. *Væ qui trabitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Iſ. V. 18. Præclare Chaldaicus paraphraſtes: Væ qui incipiunt paulatim peccare, & peccata augent, ut creſcant & roborentur tanquam vinculum plauſtri. validus nimirum funis jugi.

7. Funiculus maris. *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum*, cet. Soph. II. 5. ſq. qui in ora maritima habitatis; vaſtatores prius, nunc ipſi perdendi & vaſtandi.

8. Funiculus virga. Zach. XI. 7. De duabus virgis paſtoritiis, Decore & Funiculo, ſingillatim dicetur in Voc. *Virga*.

9. Funiculus argenteus. Eccl. XII. 6. Medulla ſpinæ dorſi. Diſertiſſima illa Senectutis deſcriptio colligetur a me tota Voc. *Tenebreſco*.

Funis. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Pſ. XV. 6. Felix mihi ſors obvenit. A dividendis bonis immobilibus metaphoram ducit: illa enim funiculis, ut modo dixi, ſeu funibus partiebantur. ſtatim vero aperte profitetur, quid ſentiat: *etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

2. Funis diruptus. Bar. VI. 43. Apud Romanos quoque zona indicium erat virginitatis, eamque ſolvere ſponſus aut amator ſolebat. Exprobrat Baruch impudicitiam illis, quæ cuivis obvio ſe dederent, idque ipſum beneficii loco a diis ſuis flagitarent, ſuperſtitioſe incenſis propterea oſſibus olivarum.

Furor. *Adhuc conſiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus ſum.* Eccl. XXXIX. 16. græce, ut lunaticus qui creſcente aut plena luna continere ſe nequit. Meditabor porro, inquit Siracides, ut proferre utilia poſſim: nam velut entheus, ſeu Divino afflatu incitatus, ad hoc impellor.

Ga-

G.

GABAA. Iſraelitæ *profunde peccaverunt*, *ſicut in diebus Gabaa*. Oſ. IX 9. Gabaitarum flagitium & illata uxori Levitæ injuria narrantur Judic. XIX. 22. ſqq. Sicut autem ob Gabaitarum ſcelus tribus Benjamin, ita ob ſua crimina totum Iſraelis regnum ad interitum redigetur. *Ex diebus Gabaa peccavit Iſrael, ibi ſteterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis.* Oſ. X. 9. Poſtquam a Gabaæ civibus uxori Levitæ illuſum eſt, ſacrilega deorum religio irrepſit. ibi Iſraelitæ ſteterunt, ſeu ambulare per imperatas a DEO vias deſierunt. Non proſternet eos prælium, quale Gabaitas totamque tribum Benjamin afflixit, qui etſi demum periere, initio tamen victores, nequaquam inulti occubuere: at his ne iſtud quidem triſte ſolatium concedetur, ut ullum hoſtibus memorabile damnum inferant. cumque tribus Benjamin e ruinis ſuis denuo aſſurrexerit, horum ſervitus apud Aſſyrios numquam relaxabitur.

GABBATHA. Locus tribunalis, ubi Chriſtus a Pilato morti addictus: *qui dicitur lithoſtrotos, hebraice. autem gabbatha*: Joann. XIX 13. *hebraice*, i. e. ſermone Hebræis tum uſitato, qui poſt captivitatem Babylonicam ſyriacus fuit. Etſi enim *gabbatha* ad radicem hebraicam *gava* revocari quomodocunque poſſet, ac dici ex hebraico fonte ſyriacum ſeu ſyriace terminatum, ut ſignificet *locum excelſum*: verius tamen eſt, ut ipſius evangeliſtæ interpretatio græca oſtendit, oriri a ſyriaco *gab* ſeu *gav*, quod ſignificat *viam lapidibus ſternere*: cui eleganter reſpondet græcum *lithoſtrotos*, *lapidibus ſtratum*. Latine dicas teſſellatum: qualia pavimenta in templis ornatioribus. Gradus marmorei, quibus ad hoc tribunal aſcendebatur, nunc Scalæ Sanctæ nomen obtinent, & Romæ juxta Lateranenſem ædem ingenti religione fidelis populi coluntur.

GAD. Zelpha ancilla ſua *edente filium*, *dixit* Lia: *Feliciter*: *& idcirco vocavit nomen ejus Gad.* Gen. XXX 10. ſq. *Gad* Hebræis eſt, quod nobis fortuna.

GA-

Galaad. Per allegoriam *hæc dicit Dominus ſuper domum regis Juda: Galaad tu mihi caput Libani: ſi non poſuero te ſolitudinem, urbes inhabitabiles.* Jer. XXII 6. Galaad eſt nobiliſſima & feraciſſima pars montis Libani; hoc loco, Hieroſolymam indicans. *Si non* jurantis, ut ſæpe. Verax non dicar, niſi domum & urbem regiam in locum deſertum mutavero, ita ut ſimilis fiat urbibus dirutis, quæ habitari non poſſunt.

2. Galaad idolum. Oſ. XII 11. Locus obſcurus, illuſtratus in Voc. *Acervus*.

Galatia. Judas Machabæus ejuſque ſocii de Romanis narrari audiunt *virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia*, res ibi ſtrenue geſtas, *quia obtinuerunt eos*. I. Mach. VIII 2. Galatarum nomine ſcriptores Græci & Gallos, & Gallogræcos intelligunt. De utriſque hæc audire Machabæus potuit: nam de Gallis in ipſo magiſtratu triumphavit L. Furius prætor, teſte Livio l. 31. & Gallogræciam, quod ſuppetias tuliſſet Antiocho Magno bellum contra Romanos gerenti, eo victo debellavit Cn. Manlius Volſo, poſteaque de illa triumphum egit. Liv. l. 38 & 39. Longe tamen ſimilius vero eſt, de Gallogræcis hæc narrari: hi enim & loco, & tempore propiores multo erant, quam Galli.

Galgala. *Dixitque Dominus ad Joſue: Hodie abſtuli* (hebr. devolvi) *opprobrium Ægypti a vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala*; a devolvendo, auferendo. Joſ. V. 9. Supra omnem modum ibi deinde viguiſſe crimina, & religionis ſanctitatem petulantia ſingulari violatam eſſe, vides Oſ. IX 15. Unde illud: *Nolite ingredi in Galgala.* Oſ. IV 15. Idolum Galaad, & bobus immolantes in Galgal, ex Oſ. XII 11, vide in Voc. *Acervus*.

Gallus. Inter Divinæ potentiæ opera etiam galli cantus numeratur Job XXXVIII 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* Quis dedit gallo, ut velut intelligens præſignificare tam conſtanter, tam ſine erroris periculo, tam inæquali dierum menſura tam æqualiter, ſolis vicinitatem ſtatis horis poſſit?

Gaudimonium. Bar. IV 34. In græco fonte eſt ſuperbia.

Gehenna. Pro loco æternis damnatorum ſupplicii s deſtinato. Amœna vallis, Hieroſolymæ vicina, Ge Hinnom, Vallis Hinnom, dicta eſt. Ibi ara illa Tophet infamis: *traduntque Hebræi, ex hoc loco appellatam gehennam: quod ſcilicet omnis populus Judæorum ibi perierit, offendens DEUM. In quo loco etiam filios ſuos is igne idolis conſecrarint, ſive holocauſtum obtulerint.* D. Hieronym. l. 2 in Jerem. ad ejus C. VII.

Gehon. Gen. II. 13. Fluvius Nilus.

Generatio. *Noe vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Gen. VI 9. id eſt, ea ætate, ſuis temporibus. In generationem & generationem, & ſimilia, quæ ubique occurrunt, ſignificant in omne tempus, per omne ævum. *Uſque in annos generationis & generationis.* Joel. II 2. ad ultimos uſque poſteros, quamdiu numerabuntur anni.

2. Pro tempore decem annorum. *Eritis ibi* (in captivitate Babylonica) - - - - *uſque ad generationes ſeptem.* Jeremias in epiſtola ad Hebræos, Bar. VI 2. Eritis captivi annos LXX.

3. Pro ſobole. Ezechias rex in cantico: *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me, quaſi tabernaculum paſtorum.* Iſ. XXXVIII 12. Ut eximia hujus loci venuſtate delectari poſſis, duo obſerva. Alterum eſt, Ezechiam adhuc tum prole caruiſſe: illi enim morbo, de quo carmen hoc cecinit, ſuperfuit annis XV. Iſ. XXXVIII 5, & IV Reg. XX. 6. Manaſſes autem, cum Ezechiæ patri ſucceſſit, duodecim annorum fuit. IV Reg. XXI 1, & II Par. XXXIII 1. Alterum, hebraicæ linguæ proprium, illud eſt, quod ſtirpis propagationem Hebræi per ædificationem domus exprimunt: ipſis enim *ædificare domum* eſt ſobolem obtinere. quapropter & ipſum filii nomen ab ea radice natum eſt, quæ ædificare ſignificat. Domui autem ſtabili, & in ævum duraturæ, opponit Ezechias tabernaculum paſtoritium, quod opere tumultuario ſtructum, & per aliquam anni partem uſurpatum, frigore ingruente detenditur, & convolutum aufertur. Spes, inquit, propagandi generis, & Meſſiæ præſertim meos inter poſteros numerandi, ablata

eſt:

eſt: & regia domus inſtar temporalis tentorii per letalem hunc morbum evertitur.

4. Pro genere hominum. *Generatio prava & exaſperans: generatio, quæ non direxit cor ſuum* Pſ. LXXVII 8. Homines pravi, Deum irritantes, neque recto & puro animo agentes. *Caſta generatio.* homines caſti. Sap. IV. 1.

5. Meſſiæ generatio. Tum Divina, tum humana inenarrabilis eſt. *Generationem ejus, quis enarrabit?* Iſ. LIII 8. Sequens particula *quia* quo modo cum utraque generatione connectatur, docui in Voc. *Anguſtia*.

Genero. Pro pario. *Interrogate, & videte, ſi generat maſculus: quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis, & converſæ ſunt univerſæ facies in auruginem?* Jer. XXX 6. Magna dies illa tanto dolore impios obruet, quantus eſt parturientium. Quos ipſa ſexus conditio cruciatui partus eximit, ii tamen mulierum parturientium inſtar præ doloris vi lumbos manibus ſtringent, & ſanguine fugiente colorem luridum ore præferent.

Genesis. Græcum generatio, ortus, natalis. Sic appellamus librum primum e quinque Moſaicis ſive Pentateucho: quoniam ejus libri principio rerum omnium origo narratur.

Gens. *Congregabo omnes gentes ad Jeruſalem in prælium, & capietur civitas, & vaſtabuntur domus.* Zach. ult. 2. Exercitus eſt Romanorum, quem ex omnibus gentibus ad illud ſpectaculum & ſupplicium ultimum Hieroſolymæ Deus congregavit. Ab eo *media pars civitatis* abducetur *in captivitatem: & reliquum populi non feretur ex urbe*, trucidati relinquentur in ipſa urbe inſepulti. ibid. Tum vero Dominus (v. 3) exſurget, contra illas ipſas gentes præliaturus: inanes ſimulacrorum religiones deſtruet, & ſicut Ægyptios fluctibus Erythræi demerſit *in die certaminis*, ita gentium crimina undis baptiſmi ſepeliet.

2. Non gens. *Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens, quam oderim:* tertia, quam odi, ne digna quidem eſt nomine humanæ gentis; adeo ſtulta

eſt

eſt & conſcelerata. Primus horum eſt populus Idumæorum, *qui ſedent in monte Seir; & Philiſthiim*, alter Philiſthæi; *& ſtultus populus, qui habitat in Sichimis*. Eccli. L. 27. ſq. poſtremi ſunt Samaritani, non gens, ſed gentium colluvies; non jam Dei gens, ſed perditorum hominum ſentina, & bonorum omnium abominatio propter infame templum in monte Garizim ſuper Sichimis.

3. Gentes pro falſorum deorum clientibus. Id in Divino Codice perpetuum eſt, phraſi hebraica. Quam ſectati Græci, & ſumpto ab his vocabulo noſtri in latinitate ſacra ethnicos & gentiles eos nuncupant. *Hæc enim omnia gentes inquirunt*. Matth. VI. 32. quippe homines profani, Divinæque Providentiæ ignari. *Via maris trans Jordanem, Galilæa gentium*. Matth. IV. 15. ex Eſ. IX. 1. Galilæa ſuperior, vicina Tyriis & Sidoniis, qui deos adorabant; in tribu Nephthali ſita, quæ trans Jordanem ad mare Mediterraneum deſcendebatur.

Genus. Apoſtolus expoſitum ſe fuiſſe ſcribit, inter alia diſcrimina, *periculis ex genere*, *periculis ex gentibus*: quæ inter ſe opponit. II. Cor. XI. 26. Nempe & exteri, a religione hebraica alieni; & ipſi Hebræi, ejuſdem cum Paulo generis, ex Abrahamo procreati, eum in diſcrimen adduxerant. Syriace pro noſtro *ex genere* clarius ponitur *ex cognatione mea*; gente nimirum Judaica.

Germanitas. *Præcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus* (hebraico ſenſu Hæreditas): *ut diſſolverem germanitatem inter Judam & Iſrael*. Zach. XI. 14. Sicut germanitatem, qua Iſraël Judæ conjungebatur, Jeroboami tempore gens ipſa diſrupit: ita ego illam nunc in perpetuum reſcindam, dum veri Judæi & Abrahæ filii Chriſtum Davidis nepotem adorabunt, Iſraelitæ impii fugient.

Germen. *Erit germen Domini in magnificentia*. Iſ. IV. 2. Poſt tantam vaſtitatem, quanta v. 1 prædicta fuerat, florebit lætiſſimum germen, Meſſias. Chaldaice, Chriſtus Domini. Sic & *germen juſtum* (Jer. XXIII. 5) & *germen nominatum* (Ez. XXXIV. 29) germen celebre, Meſſias eſt. *Germen alienum ſe-*

P *mina-*

minabis. Iſ. XVII. 10. Quod tu ſeres, alius metet.

Germino. *Vinum germinans virgines*. Zach. IX. ult. Sanguis Chriſti in Euchariſtia, caſtitatem mundiſſimam conſervans.

Gersam. Moyſes primum ſuum filium vocavit *Gerſam, dicens: Advena fui in terra aliena*. Ex. II. 22. Hebraice *ger* eſt peregrinus, *ſcham* ibi.

Geth. *In Geth nolite annunciare*. Mich. I. 10. *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis*. II. Reg. I 20. ne dolore noſtro Philiſtæi lætentur. Geth enim & Aſcalon illorum erant ſatrapiæ.

Gigas. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*. Job. XXVI. 5. De tempore diluvii dictum eſt. Myſtici ad malos dæmonas transferunt, qui ſub immenſo aquarum barathro apud inferos gemunt.

2. Cœtus gigantum. *Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur*. Prov. XXI 16. inter veteres illos gigantes damnatos; proinde & inter dæmones. nam hebraicum vocabulum interpres noſter nunc vertit gigantes, nunc mortuos, nunc diabolos.

3. Gigantes ſuſcitati. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi gigantes: Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum*. Iſ. XIV. 9. Proſopopœja ſarcaſtica, qua propheta fingit excipi umbram Balthaſaris, ea nocte a Perſis & Medis occiſi: principes enim, & heroes damnati ſic eum apud inferos alloquuntur: *Et tu vulneratus es, ſicut & nos*, cet. ibid. v. 10 ſqq.

Gimel, ſeu, ut olim pronunciabatur, *Ghimel*. Tertia alphabeti hebraici litera, noſtro *g* reſpondens. Cur ponatur in Threnis & Pſ. CXVIII, expoſui in Voc. *Aleph*.

Gith. *Nonne cum adæquaverit faciem ejus, ſuperficiem terræ aratæ, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis?* Iſ. XXVIII. 25 Gith ſeminis genus, nigrum & calidum. Similitudinis duplex eſt ratio. I. Sicut paterfamilias diſtincte novit, quo tempore quidque

que in agro curandum ſit; ita Deus, quandiu cuiſque hominum generi indulgendum, quo modo unumquodque curandum. II. Sicut leviora, qualia ſunt gith & cuminum, virga ſeu baculo excutiuntur; robuſtiora vero ſeris & rotis plauſtri, (v. 27) more illius ætatis & gentis: ita debilem & rudem populum Deus longe mitiore pœna, quam doctos & peritos afficiet; & hos ipſos quoque intra menſuram, *non in perpetuum*. v. 28. nondum enim tum gentem ſuam omnino projecit.

Gladius. *Stetiſtis in gladiis veſtris*. Ez. XXXIII. 26. Hebraiſmus, in pro cum. Omnia per vim geſſiſtis.

Gloria. *Mutaverunt gloriam ſuam*, Deum, *in ſimilitudinem vituli*, dum hujus imagini honores Divinos habuere. Pſ. CV 20.

2. Poſt gloriam. Chriſtus de Patre: *Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliaverunt vos*. Zach. II. 8. Poſtquam glorioſus e tumulo ſurrexi, miſit me per apoſtolos & apoſtolicos viros ad omnes gentes: ii ipſi vos colent, qui ſpoliarant.

Glorioſus. *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quam glorioſus & indigens pane*. Prov. XII. 9. Hebraice hæc eſt ſententia: melior eſt homo vilis, & ſerviens ſibi (proin & ſibi ſufficiens;) quam qui ſe glorioſe jactat, & pane caret.

Glutinum. Contra electum populum, promiſſam ſibi a Deo hæreditatem aditurum, inſurrexerunt gentes ceteræ: *unuſquisque proximo ſuo auxiliabitur* (Iſ. XLI. 6) ſociis armis freti, ac deorum ſuorum præſidio nixi. *Confortavit faber ærarius percutiens malleo*, & deum cudens, *eum qui cudebat tunc temporis*, laboris ſui ſocium, *dicens: Glutino bonum eſt:* age, conjungamus dei noſtri membra: en quod bonum eſt ad commiſſuram, ad ferrumen, ut metalli pars parti hæreat, *& confortavit eum*, deum ſuum, *clavis, ut non moveretur*. v. 7. Irridentur inaniſſima gentium numina, oppoſita præſertim Deo vero, Abrahamum ejuſque poſteros vocanti (ibid. v. 2) & opera ſtupenda patranti.

Glutio. *Uſquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſalivam meam?* Iob. VII. 19. ut aliquando

 libe-

libere reſpirem. Hinc probabilem conjecturam illi capiunt, qui Jobum inter alios morbos etiam angina & aſthmate laboraſſe autumant.

Gog. Quid Ez. XXXVIII. & XXXIX. per tota illa duo Capita ſint Gog & Magog, mira opinionum varietate certatur. Probabilius videtur, Gog eſſe Antiochum Epiphanem, hoſtem populi Hebraici acerbiſſimum; Magog autem, & gentes ibi enumeratas, ſignificare populos, qui in Antiochi exercitu militarunt. Sed Apoc. XX. 7. expeditiſſima omnium eſt ſententia Ven. Roberti Bellarmini, l. III. de Rom. Pontif. c. XVII. probantis, Gog fore Antichriſtum, Magog ejus aſſeclas. docte hoc, & ſolide, ut loquitur Antonius Mayr, vir tantæ ſoliditatis ac doctrinæ, quantæ modeſtiæ ac ingenuitatis, de I. & II. Adventu Chriſti l. VII n. 1082. Pluribus Bellarminum tuetur eximius Gretſerus Operum omnium Vol. IX in Defenſ. Bellarm. de ſummo Pont. l. III. c. XVII.

Gomor. Menſura quotidiana mannæ in ſingula capita. Ex. XVI. 16. *Gomor autem decima pars eſt Ephi*, ſive trimodii. ibid. v. ult.

Gomorrha. Principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ dicuntur Hebræi impii I. Iſ. 10, quia flagitiis ac turpitudine illis ſimiles.

Grabatus. Confidebant Iſraelitæ de Syrorum auxilio, & veluti acquieſcebant *in Damaſci grabato*, in illius auxilii ſpe. Amos III. 12. Sed hoc perpaucu-lis proderit: ceteri omnes peribunt. Totum locum proponam in Voc. *Plaga*.

Graecia. Zac. IX. 13. Pro falſorum deorum cultoribus: qui etiam apud Patres Græcos paſſim Græci vocantur.

Graecus. Nonnunquam in Lege Nova Græcorum nomine indicantur ii ex ipſis Hebræis, qui in Græcia vel nati, vel diu verſati, ſermone græco utebantur. *Factum eſt murmur Græcorum* (fons ipſe græcus habet, Helleniſtarum) *adverſus Hebræos*. Act. VI. 1. Alibi vero externos ſignificat, religione falſa implicitos, quos paſſim ethnicos aut gentiles appellant. Sic ubi nos Col. III. 11. legimus, *ubi non eſt Gentilis & Judæus*, græce Paulus ipſe ſcripſit, *Græcus & Judæus*.

Gra-

Gratia. *Gratiæ autem ſatuorum effundentur*. Eccli. XX. 13. Dicta & facta, alioqui grata futura, obſequia, officia, beneficia, dum a ſtultis intempeſtive & præpoſtere proficiſcuntur, gratiam omnem amittunt.

2. Pro ſtipe. *Hos mittam perferre gratiam veſtram* (latino more, ſtipem; græco, eleemoſynam) *in Jeruſalem*. I. Cor. XVI. 3.

Gratis. Pro temere. *Eſt qui præ confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum gratis*. Eccli. XX. 25. Qui amico petenti non audet præ pudore negare poſtulata, deinde cum promiſſa exſolvere non poteſt, vel non vult, pro amico infenſum habet. idque *gratis*, temere pollicitus.

Gusto. Pro experiri. *Guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus*. Prov. ult. 18. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Pſ. XXXIII. 9.

Gutta. Eccli. XXIV. 21. Græce, ſtacte. i. e. ſudor myrrhæ arbuſculæ. Gutta Pſ. XLIV. 9. apud LXX. Interpretes eſt ſtacte.

Guttur. *Miſericordia & veritas te non deſerant: circumda eas gutturi tuo*. Prov. III. 3. iis tamquam gemmatis monilibus guttur tuum orna. i. e. retine illas, & revolve animo; prode ſermonibus. Eadem ratione intellige Prov. VI. 21.

Gymnasium. *Ædificaverunt gymnaſium in Jeroſolymis ſecundum leges nationum*. I. Mach. I. 15. In illo adoleſcentes exercebantur ad palæſtram, curſum, ſaltum, diſcum; literis quoque ac ſuperſtitionibus Græcorum imbuebantur. Gymnaſio additur II. Mach. IV. 9. ephebia: ubi effeminati ad libidinem alebantur.

Gyrus. Job. XXXVIII. 31. gyrus Arcturi ſunt ſtellæ circa Arcturum.

H.

Habeo. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis*. II. Petr. I. 15. Curabo, ut habeatis, quæ horum memoriam in vobis me mortuo ſæpius excitent.

Habitaculum. De victoria Joſuæ, ſolem & lunam

 ſtare

ſtare jubentis: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Hab. III. 11. græce, in ſtatione ſua. Militare vocabulum, aptiſſimum iis, quæ ſequuntur, & fulgura ac fulmina ſub metaphora ſagittarum & haſtæ proponunt.

HABITATOR. Ezechias rex in morbo graviſſimo nihil jam niſi mortem expectans: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.* Iſ. XXXVIII. 11. Qui ſermonis hebraici proprietatem intelligunt, ſciunt, terram viventium non appellari cæleſtem patriam, ſed hunc orbem terrarum, in quo vivimus. Duo ultima hujus loci vocabula non tantum ſignificant habitatorem quietis, ſeu quietum; verum etiam habitatorem hujus temporis, hujus ævi, nihil. Ait ergo: Non jam adorabo DEUM in templo inter viventes alios: neque homines jam intuebor, qui in hac vita, quanquam breviſſima & inſtar nihili, quiete tamen ac tranquille degunt.

HABITATRIX. Jeroſolymam appellat Dominus *habitatricem vallis ſolidæ atque campeſtris.* Jer. XXI. 13. Pars enim urbis inferior, per arcem & montem Sion munitiſſima, ceterum campos ampliſſimos proſpiciebat.

HADRACH. Zach. IX. 1. Tractus Syriæ prope Damaſcum. *Onus* hoc loco præter morem uſurpatur in vaticinio læto: prædicitur enim vocatio gentium, quarum aliquæ loco omnium nominantur. In his populis, ubi Evangelii lucem reſpexerint, Dominus acquieſcet: *Damaſci requiei ejus.* ibid.

HAEREDITAS. In titulo Pſalmi V. *ea quæ hereditatem conſequitur* allegorice eſt eccleſia, tropologice anima juſta & cælo deſtinata. Literali ſenſu hebraicum *nechiloth* inſtrumentum muſicum denotat: quemadmodum ſæpius in Pſalmorum titulis inſtrumenta muſica varia nominantur. *In finem*, ut ſuo loco monui, hebraice eſt victori, præfecto, principi illius inſtrumenti: ei David Pſalmum hunc tradi vult, addito hoc muſicæ genere decantandum.

2. Hæreditas DEI. Ita paſſim appellatur electus populus, ac terra ſancta. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.* Pſ. LXXVIII. 1. *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylva:*

ſylva: dedit contra me vocem. Jer. XII. 8. Ipſe meus populus contra me inſurrexit, & clamorem ſuſtulit.

Haeredito. Deus *legem vitæ hæreditavit illos.* Eccli. XVII. 9. Dedit hominibus legem vitæ, inſtar hæreditatis tranſmittendam poſteris.

2. Pro poſſidere. *Ira ipſius gentes, quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit.* i. e. occupabit, obtinebit, tenebit. Eccli. XXXIX. 28. *Hæreditabis in omnibus gentibus;* pro, omnes gentes. Pſ. LXXXI. ult. Poſſidebis omnes populos, tam certo jure, quam qui hæreditatem ſuam certiſſimam adit.

Haeres. Ut oſtendat, omnes Iſraelis provincias ab hoſte captum iri uſque ad Judæ regnum, in cujus finibus urbes Mareſa & Odolla ſitæ erant, inquit: *Hæredem adducam tibi, quæ habitas in Mareſa: uſque ad Odollam veniet gloria Iſrael.* Mich. I. 15. Per amaram ironiam dicit hæredem & gloriam, pro violento prædone ac ſumma ignominia. Hoſtis tanquam hæres poſſeſſionem Iſraelis eo uſque occupabit, ut ex Mareſa Judæ urbe conſpici poſſit: & ignominia decem tribuum ſub jugum miſſarum uſque ad fines Judææ perveniet.

Haeresis. Apud Græcos Latinoſque veteres nequaquam contumelioſum erat; ſed opinionem, diſciplinam, inſtitutum ſignificabat. Paulus ipſe de ſe: *Secundum ſectam* (in fonte græco, ſecundum viam, ſecundum diſciplinam), *quam dicunt hæreſim, ſic deſervio Patri & DEO meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt.* Act. XXIV. 14. Senſim vero reſtricte de illis acceptum eſt, qui contempto eccleſiæ judicio electum a ſe errorem cum pertinacia tuentur.

Hanes. *Nuncii tui uſque ad Hanes pervenerunt.* Iſ. XXX. 4. Urbs Ægypti ultima, ait Hieronymus, verſus Æthiopiam. Exprobrat, quod Ægyptum univerſam percurrerint, auxilii petendi cauſſa: quod ab Ægyptiis quæri Deus nolebat.

Hebdomas, Non tantum eſt ſeptem dierum numerus, ſed & annorum. Gen. XXIX. 27. ſq. ſeptem anni, quibus Jacob Labano ſerviit, appellantur hebdomada. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum.* Lev. XXV. 8. Nihil celebrius LXX. hebdomadis Danielis

IX. 24. ſqq. Manifeſtum eſt omnibus, eas non eſſe dierum tantum, cum ſufficere tot tantiſque rebus gerendis nullo modo poſſent. Sunt ergo anni 490. Quis primus hebdomadum harum ſtatuendus ſit annus, certamen eſt graviſſimum, & propter intricatas antiquæ chronotaxeos rationes infinitum. Id inter Chriſtianos omnes certum, deſinere illas in imperium Tiberii Cæſaris. Gabriel eas dividit in hebdomades ſeptem, ſexaginta duas, & ultimam. De ſeptem primis multa perquam memorabilia prædicit: mediis ſilentio præteritis, ad ultimam tranſit, in qua ſalutem humano generi Chriſtus ſua morte attulit: addit poſt omnia Hieroſolymæ per Romanos everſionem.

Hebeninus. Vide *Ebeninus*.

Hedera. Jon. IV. 6. ſeqq. Hebraicum *kikajon* quid proprie ſignificet, accuratione ſumma Hieronymus prodidit, in hunc Jonæ locum, & epiſt. 89. Ait, genus eſſe virgulti, lata habens folia in modum pampini, & umbram denſiſſimam; celeriter creſcere, & ſuo trunco ſe ſuſtinere, abſque ullis calamorum & haſtilium adminiculis, quibus hederæ & cucurbitæ indigent; naſci paſſim in Palæſtina. Addit, relinquere ſe nomen hebraicum noluiſſe, quod Latini non intelligerent; cum vero hi nomen ei plantæ proprium non haberent, hederam interpretatum eſſe, exemplo aliorum ante ſe interpretum. Eandem ob cauſſam LXX, & alii, græco vocabulo, quod proprium eſſet, deſtituti, cucurbitam appellarunt, tametſi re vera nec hedera, nec cucurbita fuit, ſed *kikajon* in ſola Palæſtina notum.

Hellada. Narratur I. Mach. VIII. 9. ſq. bellum ab Romanis geſtum *apud Helladam*, i. e. in Græcia. Decipiuntur graviter, qui hoc loco bellum Achaicum quærunt; poſterius quippe Juda Machabæo, cui id narratum eſſe Divina hæc hiſtoria docet. Bellum ergo eſt Aetolicum, quod A. V. C. 562. M. Acilius Glabrio Coſ. geſſit, & anno proximo de Aetolis triumphavit, Narratio autem hæc tota incidit in annum V. C. 593, ut in accuratiſſimis ſuis Annalibus V. T. Salianus definit. Humanum aliquid paſſus eſt vir ceteroqui pereruditus, qui hujus belli ducem fuiſ-

ſe

ſe ſcribit Fulvium Nobiliorem: hic enim A. V. C. 564. in Græciam trajecit quidem, ut Aetolis res novas meditantibus armatus occurreret: ſed illis pacem petentibus, cauſſa ipſa pugnandi ſublata eſt. Illud vero mirandum, & inter humanæ infirmitatis exempla reponendum, quod maximi duo interpretes hunc ducem contra Græcos Nabidem rati ſunt: qui tamen neque Romanus ipſe fuit, ſed Lacon; neque unquam Aetolis arma intulit, ſed Græcos infeſtavit Achaico bello, quod Juda Machabæo mortuo geſſum, eidem vivo narrari non potuit.

Hermon. *Aquilonem & mare* (hebraice, & dexterum, quemadmodum & vertit Hieronymus) *tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*. Pſ. LXXXVIII. 13. Tibi conditori ſuo plaudent omnes Hebræorum plagæ. Nam Thabor ad occaſum, Hermon ad ortum ſiti montes erant: Aquiloni autem obverſum erat mare mortuum, vel etiam rubrum, Oceani pars. Et qui Deum vultu ad orientem converſo adorabat, occidentem a tergo, ſeptemtriones ad lævam, ad dexteram utrumque illud mare habebat. Allegorice Genebrardus, de Chriſti transfiguratione in monte Thabor, & multiplicatione panum ad montem Hermon.

Hermoniim. *Memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico.* Pſ. XLI. 7. Hebraicum *Hermonim* numero plurali, & noſtrum *Hermoniim* more hebraico terminatum, ſatis oſtendunt, non unum duntaxat eſſe Hermonis montem. Eſt in extremis Palæſtinæ finibus Hermon duplex: in quorum minore ad ripam Jordanis verſabatur pſaltes cum ſociis, & reditum ad Dei tabernaculum impenſe optabat.

Herodius. *Paſſeres nidificabunt. Herodii domus dux eſt eorum.* Pſ. CIII. 17. Aves ceteras nidificantes inſtar ducis anteit herodius; qui citius illis, & in altioribus arboribus nidum ædificat. Herodius multis eſt cicogna, quibuſdam milvius, aliis ardea. Quidquid eligas, eadem ſumma rei eſt, Deum naturæ auctorem etiam avibus nidificandi tempus & locum opportunum deſignaſſe.

Hin. Menſura liquidorum. Complectebatur duodecim

decim logos, i. e. 72. ova, ut ajunt Talmudici: ſiquidem logis ſingulis ova ſena tribuunt.

Hinnio. Vociferor. In mœrore idem eſt ac ululo. *Hinni voce tua, filia Gallim: attende Laiſa: paupercula Anathoth.* Iſ. X. 30. Ulula, o Gallim urbs! cave Laiſa, tuque o tenue oppidolum Anathoth, irruente Sennacheribo. In rebus lætis eſt exultare, & clamorem hilarem edere. *Hinnite contra caput gentium.* Jer. XXXI. 7. Exultate in conſpectu gentium; coram præcipuis eorum, qui deos adorant. *Hinni, quæ non pariebas.* Iſ. LIV. 1. Eccleſiam gentium lætitia geſtire jubet, ſterilem ante Chriſti Sponſi adventum, deinceps vero multo fœcundiorem Synagoga futuram. *Hinnient de mari.* Iſ. XXIV. 14. Exultabunt alienigenæ & transmarini populi, a Meſſia vocati.

Hircus. *Super hircos viſitabo.* Zach. X. 3. chaldaice, principes. Malos populi duces & paſtores plectam.

Hoc. Somniorum vana fides eſt: quia *hoc ſecundum hoc viſio ſomniorum.* Eccl. XXXIV. 3. Somnium non eſt res, ſed mera imago; eſt hoc huic ſimile, ut hominis imago in aqua vel ſpeculo non eſt homo, ſed ſecundum hominem, ſimulacrum hominis inane.

Hodie. Pater æternus ad Filium Divinum: *Ego hodie genui te.* Pſ. II. 7. Triplex eſt illud hodie; dies æternitatis, nocte carens, qua Pater Filium ſemper gignit; dies, qua Verbum naturam humanam aſſumit; dies, qua Criſtus redivivus e tumulo prodit. De primo horum dierum exponitur allatus Davidis locus Hebr. I. 5. de altero Hebr. V. 5. de ultimo Act. XIII. 33. Memorabiliſſimum exemplum, poſſe eadem Divini Codicis verba habere duos, vel etiam plures ſenſus, æque primarios, & æque a Spiritu Sancto intentos.

2. Hodie & cras. *Ecce,* inquit Criſtus, *ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras,* brevi tempore: *& tertia die conſummor,* paulo poſt e vita migro. Luc. XIII. 32.

Holocaustum. & Holocautoma. Græca. Victima, quæ tota cremabatur.

Homo. Judices, ne inique fungantur officio, ſic admonet propheta Aſaph: *Dii eſtis & filii excelſi omnes.*

Vos

Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis. Pſ. LXXXI. 6. ſq. Tametſi velut quidam dii inter homines conſtituti eſtis, & ab altiſſimo omnes ut peculiares nobilioreſque filii adoptati: nihilominus dies aderit, qua vel fato veſtro ut imus quiſque de plebe moriemini, vel ſubito & violento interitu cadetis, ut unus de iniquis principibus, ut Pharao, ut Eglon, ut Siſara. Myſtice, Adamus cum nepotibus, corporis morti adjudicatus; unus de principibus, Lucifer, æterno ſupplicio addictus.

2. Homo & homo. Pſ. LXXXVI. 5. Sioni, ſeu de Sione, dicetur: Plurimi homines copioſe in ea nati ſunt. ex diverſis gentibus, quarum aliquas enumerat pſalmus hic, ingens advenarum numerus eccleſiam Moſaicam locupletabit; & multo major Chriſtianam. Qui de Chriſto expoſuere, recte id & pie ſenſu allegorico; ſed literalem ſi huc trahunt, veritati hebraicæ vim faciunt.

3. Homo homo. Ez. XIV. 4. & 7. Omnis homo, quicunque homo.

4. Homo pacis meæ. Pſ. XL. 10. Familiaris; &, ut additur, menſæ ſocius.

5. Homo iniquitatis. i. e. iniquus. Job. XXXIV. 36.

6. Homo peccati. II. Theſſ. II. 3. de Antichriſto. Quaſi totus e peccatis concretus; ſolis criminibus natus.

Honestas. Hebraico more pro divitiis. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a DEO ſunt* Ec. XI. 14. *Vigilia honeſtatis* (græce, divitiarum) *tabefaciet carnes*. Eccl. XXXI. 1. Qui vigilat, ut opes corradat, extabeſcet.

Honesto. Sapientia *profugum iræ fratris juſtum*, Jacobum Eſau fratris iras fugientem, *deduxit per vias rectas & oſtendit illi regnum DEI* in viſione ſcalæ, ... *honeſtavit*, ditavit, *illum in laboribus*, *& complevit* ſeu ad felicem & fructuoſum finem perduxit *labores illius*. Sap. X. 10. Eadem impediit (v. 11.) ne a Labano circumveniretur, *& honeſtum*, i. e. divitem, *fecit illum*. Eadem (v. 12) *cuſtodivit illum ab inimicis, & a ſeductoribus tutavit illum*; ab Eſau, & a Labano: *& certamen forte* cum angelo *dedit illi, ut vinceret*.

Ho-

Honor. De Deo, & ad Deum pſaltes regius: *Honor Regis judicium diligit. Tu paraſti directiones*. Pſ. XCVIII. 4. Summi Regis imperium amat uti judicio: nihil per vim, nihil caſu: omnia ſummo conſilio, ſumma æquitate ſtatuuntur.

Hora. Interrogant Jesum diſcipuli, cur in Judæam rediret, in qua propemodum lapidatus nuper eſſet. Reſpondet Dominus: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Joann. XI. 9. Adagium gentis erat. Nonne in horas mutari homines ſolent? Non omnium horarum eadem ſors eſt. Numerabant Hebræi quotidie horas duodecim, longiores æſtate, hyeme breviores: earum prima cum ſole oriente incipiebat, cum occidente ultima deſinebat. Ex quibus intelligitur, Chriſti cum Samaritana colloquium, ſub cujus finem cibos ei diſcipuli attulere, in meridiem incidiſſe: *hora erat quaſi ſexta*. Joann. IV. 6. Hora vero nona, qua ſpiritum Servator emiſit, nequaquam eſt, ut vulgus putat, ante meridiem tertia, ſed poſt eundem.

Hosanna. Imperite D. Auguſtino reſponderunt illi, qui vocem hanc ex hebraica lingua in alias per interpretationem tranſire non poſſe dixerunt, ſed meram eſſe interjectionem lætantis. L. II. de Doctrina Chriſt. C. 11 Ipſe tamen ſanctus doctor vere de ſuo addidit Tr. LI. in Joann. vocem eſſe obſecrantis. *Hoſchia* verbum conjugationis Hiphil, ſignificat *ſalutem imperti, ſalutem da*; legiturque II. Sam. XIV. 4. II. Reg. VI. 26. Pſ. hebr. XII. 2. & CXVIII. 25. Inde naſcitur contractum *hoſcha*, ſenſus ejusdem, quod reperitur Jer. XXXI. 7. ac Pſ. hebraici ordinis LXXXVI. 2. Particula *na*, i. e. quæſo, rogo, vocabulum *hoſcanna* ſeu *hoſanna* complet, & ſenſum efficit, *da ſalutem quæſo*. Divus Thomas Aquinas III. P. q. 54, a. 3. in corp. inquit: *Clamabant Hoſanna, ut dicitur Matth. 21. quaſi ſalutem ab eo petentes*. Evangeliſtæ verba ſunt: *Clamabant dicentes Hoſanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis*. Matth. XXI. 9. Equidem verbum hoc amat caſum dativum, poteratque adeo ſenſus clamantis populi eſſe: Rex cæli altiſſime, ſalutem da quæſumus filio huic Davidis. Magnus tamen Hie-

Hieronymus aliique vocabulum *dicentes* connectunt cum *filio David*, ut religioſæ plebis voces non pro Chriſti incolumitate Patrem Divinum, ſed pro ſua Chriſtum ipſum orare intelligantur. In orthodoxo certe ſacrificio præſationis clauſula *Hoſanna in excelſis* non eo refertur, ut Chriſto Patrem, ſed ut nobis utrumque faventem precemur.

Hospitalis. Cognomentum Jovis II. Mach. VI. 2. Tribuebatur hoc ei a profanis ideo, quod hoſpitum juri præeſſe crederent. Convenienter ſcilicet Garizæorum profeſſioni, qui in literis ad regem Antiochum advenas & hoſpites ſe appellaverant, ut eſt apud Joſephum Antiq. XII. 7.

Hospitor. Siracides de moleſtiis peregre devorandis agens ait; *Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet*. Eccl. XXIX. 32. Recipietur quidem hoſpitio, ſed pretium cogetur perſolvere, quo ipſe diverſitorem ſuum alet, adhæc audiet acerba dicta, videlicet (v. 33): Agedum, ſurge: expedi menſam, & neceſſaria, quæcunque tibi præſto ſunt. Imo (v. 33) jubebitur omnino cedere, & emigrare domo: quia ſuperveniſſe dicentur hoſpites ipſo digniores, olim neceſſarii, ſanguine vel amicitia fratres, Gravia ſunt hæc (v. ult.) homini cordato: talis reprehenſio patrisfamilias tam ei moleſta accidit, quam creditor debitum repoſcens, & dilatam ſolutionem improperans.

Humerus. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus*. Iſ. IX. 6. Meſſias eccleſiæ imperium, & generis humani cauſſam ſuis humeris ſuſtinet. Patres id paſſim de cruce a Chriſto bajulata interpretantur.

2. Aperire humerum. *Ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus .... filiis Orientis cum filii Ammon* Ez. XXV. 9. ſq. Aperiam urbes veſtras munitiſſimas hoſtibus veſtris ad orientem degentibus & Ammonitis. Sicut homo, quantumvis robuſtus, diffiſſo humero uſum brachii amittit, neque jam repellere hoſtem poteſt: ita propugnaculis regionum dirutis, irrumpentibus hoſtibus omnia patent.

3. Humero uno. *Serviant ei*, Domino, *humero uno*

Soph.

Soph. III. 9. Conſenſu, junctis viribus. LXX. ſub jugo uno. Legis Divinæ jugum fertur jucundius & facilius, ſi totus populus ad id conſpiret: ut cum plures unum onus geſtant.

4. Dare humerum recedentem. II. Eſdr. IX. 29. Tergum obvertere, diſcedere, contemptim ſe avertere.

Humilio. Frequens eſt Hebræis, humiliare ſe, pro ſervare jejunium, abſtinere a cibis. *Ante languorem humilia te.* Eccl. XVIII. 21. græce additur, per temperantiam. qui enim ſobrie vivit, vel avertit omnino morbum, vel certe multum levat & minuit.

Humilis. *Noli eſſe humilis*, i. e. abjecti animi, *in ſapientia tua.* Eccl. XIII. 11. Noli animo jacente & ignobili aliquid ſapientia tua indignum agere.

2. Ros humilem efficiens cryſtallum. Vide Voc. *Medicina.*

Hyacinthus. Per hyacinthum, aut hyacinthinum, coloris ex purpureo cærulei ſive telæ, ſive fila indicantur.

Hyaena. Græce legitur Eccl. XIII. 22. *Quæ pax hyænæ cum cane, & quæ pax diviti cum paupere?* Sic etiam Syriaca habent. Librariis vocabulum *hyænæ* minus erat notum fortaſſe, ut crederent eſſe *homini*: atque iſtud nobis reliquerunt ita ex Grotio monet interpres magni judicii Baptiſta Hamelæus. Hyæna animal ex luporum genere, vel ei affine, niſi quod major & crudelior lupo eſt, Canibus infeſtiſſimam hyænam eſſe, e Plinio conſtat. Ut iſta canes, ita pauperem dives devorat.

Hyssopus. Herba, quæ *egreditur de pariete*, III. Reg. IV. 33. Adhibita eſt ad avertendum exterminatorem genium in Ægypto, Ex. XII. 22; ad lepram expurgandam, Lev. XIV. 6. & ad ſacrificium vaccæ rufæ pro peccato, Num. XIX. 6. Huc reſpiciens David, rogat: *Aſperges* (futurum pro imperativo, more hebraico) *me hyſſopo.* Pſ. L. 9. Tu ipſe, o Deus, a ſcelerum meorum veſtigiis me expia.

JA-

I.

JACOB. Naſcens *plantam fratris* Eſau *tenebat manu: & idcirco appellavit eum Jacob*, i. e. ſupplantans. Gen. XXV. 25. *Juſte vocatum eſt*, exclamat Eſau, *nomen ejus Jacob: ſupplantavit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam* Gen. XXVII. 36.

JACOBUS. In apoſtolorum catalogo Luc. VI. 16. legimus & *Judam Jacobi.* qui loquendi modus apud Græcos id ſignificare ſolet, eſſe illum hujus filium, ut *Levi Alphæi*, *Simon Joannis*. Verum hic id locum non habet, neque alibi a ſcriptoribus canonicis ubique ſervatum eſt. Judæ apoſtoli Jacobus non pater, ſed frater fuit. Teſtis ipſe de ſe locupletiſſimus; *Judas JESU Chriſti ſervus, frater autem Jacobi.* Jud. v. 1. Fuere ambo de numero fratrum Domini. *Fratres ejus, Jacobus, & Joſeph, & Simon, & Judas.* Matth. XIII. 55 Qui vero parentes? Ut reſpondeam, ſimul attingenda eſt nobiliſſima illa quæſtio de tribus Jacobis, majore, minore, & parvo; præclare enodata in eruditiſſimis Actis Sanctorum Bollandinis, ubi Godefridus Henſchenius T. I, April. ad ejus diem IX. de S. Maria Cleophæ C. I. breviter, & T. I. Maji, die I. in Comment. prævio de gemino S. Jacobo, præſertim § 4. ex inſtituto hæc tractat. In pugnum contraho, quæ ille fuſe. Maria illa, quæ in evangelio nunc Jacobi, nunc Joſephi nunc utriuſque mater dicitur, alibi Maria Cleophæ appellatur. Is Cleophas, teſte S. Hegeſippo, frater Joſephi fuit, Sponſi Virginei. Quare, ut ipſi fratres erant, ita uxoribus ſororum nomen adhæſit, prolata etiam ad filios nomenclatione, ut, quos Maria Cleophæ pepererat, fratres Domini vocarentur. Horum præcipuus Jacobus, non apoſtolus ex duodecim, ut cum Martyrologio & ſacerdotali Breviario Baronius & paſſim plerique autumant; ſed Jacobus tertius, ab utroque apoſtolo diſtinguendus. Jacobus major, Joannis apoſtoli & evangeliſtæ frater, Zebedæi fuit & Salomes filius. Jacobum minorem, Alphæi filium, Mat-

Matthæi fratrem, in Voc. *Alphæus* dixi. Supereſt Jacobus *parvus*: ita enim in græco fonte nominatur Marc. XV. 40. quod noſter interpres in nomen *Jacobi minoris* convertit. Mutatio vero hæc, qua pro *parvo* minor dicitur, lectores pæne omnes in errorem induxit, ut Jacobum hunc eſſe crederent eundem, quem inter apoſtolos duodecim minorem nuncupare ſolemus. Atqui longiſſime differunt: Jacobus minor, qui cum Philippo calendis Maji colitur, Alphæo genitus, & e duodecim apoſtolus fuit. Jacobus Cleophæ filius, frater Domini, epiſtolæ canonicæ auctor, epiſcopus Hieroſolymæ, non apoſtolus ex duodecim, ſed honoris ergo hoc nomine, quemadmodum Paulus, ornatus eſt. Diverſi amborum parentes, diverſa patria, diverſæ res geſtæ, diverſus mortis locus, diverſum martyrii genus. Tam multa & valida ſunt argumenta, quæ Jacobum Adelphotheum (fratrem Domini ſic dicunt Græci) auctorem ſedis Theadelphicæ ſeu Jeroſolymitanæ ab apoſtolo Jacob diſtinguunt, ut non poſſim non profiteri cum Henſchenio, dicti Commentarii de Jacobis §. 4. n. 33. *Argumentis utrimque expenſis arbitramur neceſſario ſeparandos*. Siquis novitatem ſententiæ huic objicit, næ ille opinione ſua plurimum fallitur: nam, ut nihil dicam de Niceta Paphlagone ſeculi IX. ſcriptore, jam ante ipſum Hieronymum Gregorius Nyſſenus, Cyrillus, & Epiphanius eadem cenſuere: quorum locos apud Henſchenium videre licet.

Jaculum. Qui ſibi vacat, ſapientiam percipere poterit. Sed *qua ſapientia replebitur, qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitat, & converſatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum?* Eccli. XXXVIII. 25. ſq. Homo agricola, cujus omnis cura eſt fuſtis ferro præfixus; qui ſtimulat boves, vivit inter boves, narrat de ſolis bobus.

Janthimus. Græcum, violaceus, colorem floris violæ referens.

Id. *In id ipſum* eſt ſimul, pariter. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipſum.* Pſ. XXXIII. 4. omnes una voce, omnes conjunctis ſtudiis.

In

In pace in id ipſum dormiam. Pſ. IV. 9. ſimul, una cum ſociis, de quibus modo locutus fuerat. *Jeruſalem --- cujus participatio ejus in id ipſum*. Pſ. CXXI. 3. *ejus*, pronomen pleonaſticum, nobis redundat. Jeruſalem, cujus cives, ut loco, ita animo conjuncti ſunt.

Idiota. Græcum homo privatus, unus de populo. Solet accipi pro indocto, & eruditionis experte: qualis nimirum plebs. *Comperto, quod* Petrus & Joannes *homines eſſent ſine literis & idiotæ, admirabantur*. Act. IV. 13. *Qui ſupplet locum idiotæ*, i. e. totius populi, & precanti reſpondet *Amen*. I. Cor. XIV. 16. ut noſtro more ad aram miniſter.

Idolium. I. Cor. VIII. 10. Idolium eſt locus falſo deo conſecratus.

Idolothytium. I. Cor. VIII, 7. & 10. Apoc. II. 20. Græcum quod immolatum diis eſt.

Idolum. *Vox enim annunciantis a Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim*. Jer. IV. 15. Dan erat limes aquilonaris Hebræorum, mons Ephraim vero inter Dan & Jeruſalem. *Ab Aquilone* (ibid. v. 6.) ſeu *deſerto* (v. 11.) irrupit *leo* ille, *prædo gentium* (v. 7.) Nabuchodonoſor. Quod prædicens Jeremias exclamat: Jam nunc audio voces nunciantium ex Dan, & monte Ephraim, approperare Chaldæorum vexilla, in quibus Beli ſimulacrum. *Idolum* alii putaverunt ignem, regibus præferri ſolitum, & a populis aliquot ad Orientem divino honore cultum. Nunciatur ergo *idolum* adveniens, quod Hebræos ſimulacra adorantes plectat.

2. Paſtor & idolum. Zach. XI. 17. Antichriſtus, vana imago paſtoris. imo etiam verum & vivum idolum, *oſtendens ſe tanquam ſit Deus*. II. Theſſ. II. 4. Ejus brachium recidet iræ Divinæ gladius, & oculum dextrum æterna Sapientia excæcabit. Zach. I. d. dum potentiam deſtruet, & providentiam infatuabit.

Idumaea. Provincia poſteriorum Eſau, qui & Edom dictus. Inde petendus nexus, qui in principio Malachiæ minus apparet. *Dilexi vos, dicit Dominus*. Mal. I. 2. Hebræi, qui ſe non minus, quam vicinos Idumæos, vaſtatos & exinanitos a Chaldæis videbant,

queribundi interrogant. *In quo dilexiſti nos?* Reſpondet Deus: *Nonne frater erat Eſau Jacob?* ibid. & tamen vos, Jacobi nepotes, in antiquum gloriæ locum reſtitutos, frui bonis terræ veſtræ pinguiſſimæ ſinam. at poſteros Eſau e ruinis reſurgere non permittam. *Quod ſi dixerit Idumæa: deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus ---- ego deſtruam*, cet. v. 4.

Jebusaeus. Philiſthæus *relinquetur etiam ipſe DEO noſtro, & erit quaſi dux in Juda, ac Accaron* Philiſthæorum ſatrapia *quaſi Jebuſæus*. Zach. IX. 7. Vocatio gentium per Chriſtum. Alienigena quivis erit pars eccleſiæ, ut Jebuſæus pars hebraici populi: neque enim deletus eſt, aut ejectus: ſed permiſſus Jeroſolymæ cum Judæis habitavit. Joſ. XV. ult. & Judic. I. 21.

Jecur. *Effuſum eſt in terra jecur meum ſuper contritione filiæ populi mei*. Thren. II. 11. Laurentius Villavicentinus in Phraſib. Divinæ Script. Voc. *Jecur* ex hoc loco Jeremiæ conjicit, fuiſſe hoc Hebræorum adagium, additque: *Jecur enim fons eſt ſanguinis: ſanguine vita & animus conſtant. Effundi ergo jecur dixit Hieremias pro exanimari.*

Jejunium. Omitti ſinit Deus Zach. VIII. 19. jejunium quarti, quinti, ſeptimi, & decimi (menſis) eorumque loco gaudium & feſtos dies præcipit.

Jeremias. An per errorem pro Zacharia poſitus Matth. XXVII. 9. & an locus a Matthæo allatus ſit is, quem Zach. XI. 12. ſq. legimus, variæ ſunt multumque inter ſe diſtantes opiniones: quas quia nemo perſtrinxit brevius Theophilo Raynaudo, homine lectionis inexhauſtæ, ejus verba recenſeo ex Operum Vol. IX. l. de Juda Proditore, C. XII. n. 3. *Non extat quidem locus apud Jeremiam; ſed potius ſimilis legitur apud Zachariam: ideoque magna & pervetus rixa eſt, quomodo Matthæus Jeremiam loco Zachariæ allegarit. Nec dubitarunt aliqui liberius cauſari Evangeliſtæ immemoriam, conſulto a Spiritu Sancto permiſſam, ut doceremur, omnes æque Prophetas unum eſſe Spiritus Sancti organum; ac proinde perinde eſſe, unum ac alium proferre. Alii vero excuſarunt librarii vitium: quod magis probat Antonius Peres. Quidam cauſati ſunt malignam hujus loci in Jeremiæ codicibus*

per

per Judæos eraſionem; vel certe per hæreticos, quod cenſuit Anaſtaſius Sinaita. *Nonnulli dixerunt, allegationem teſtimonii, ex duobus illis Prophetis concinnati, unius duntaxat Prophetæ nomine factam. At alii, binomium fuiſſe Zachariam, aut nomen Jeremiæ jam olim e margine in textum, quo nomen duntaxat Prophetæ ſcriptum fuerat, irrepſiſſe ſunt arbitrati. Nec defuerunt nonnulli, qui intercidiſſe librum aliquem Jeremiæ, quem Matthæus protulerit, profeſſi ſunt; non omnino abſque fundamento, cum Jeremiæ deſcriptiones, quæ interciderunt, in libris Machabæorum allegentur. Tamen utcunque id ſe habeat (de quo plenius Michael Medina) certum eſt, in prophetia per Matthæum allegata triginta argenteos expreſſos eſſe; eamque ſummam, juxta prophetiam, fuiſſe decorum pretium.* ironice nimirum, quia pretium ſervi.

Jerobaal. Hebraice, litigans ſeu pugnans cum Baal. Judic. VI. 32. Gedeonis cognomen, quia Baalis aram demolitus erat.

Jesus. Nomen ſanctiſſimum Hominis Dei, impoſitum divinitus ob eam cauſſam, quam Gabriel internuncius retulit: *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Matth. I. 21. Hebræis enim *Jeſus* idem erat, quod in latinitate eccleſiaſtica *Salvator* eſt. Fuere, qui religioſa diligentia numerarent, quoties ardentiſſimus Chriſti amore Paulus ſacrum Jesu nomen epiſtolis ſuis intexuerit. In errorem illi te inducent, ſi fidem ſimpliciter tribuas: neque enim in græco ipſius Pauli volumine toties Divinum illud nomen occurrit, quoties latine in Paulinis epiſtolis legitur.

2. Deus Jeſus. *Exultabo in DEO Jeſu meo.* Hab. III. 18. Hebraice, in Deo ſalutis meæ. Quapropter ſenſu literali Deus ut ſalutis omnis unicus auctor intelligendus eſt. Allegorice, Chriſtus. Suaviter Auguſtinus, poſitum eſſe in latinis codicibus illud nomen, *quod eſt nobis amicius & dulcius nominare.* Lib. XVIII. de Civ. Dei, C. XXXII.

3. Jeſus pro Joſue. Deus *temporibus Jeſu præcipitavit Jericho.* II. Mach. XII. 15. *Patres noſtri cum Jeſu,* inquit Stephanus in præclara ſua oratione, Act. VII. 45. id eſt, cum Joſua duce. *Fortis in bello Jeſus*

Nave. Eccli. XLVI. 1. Cur autem Joſue, qui fuit filius Nun, hoc loco dicatur Nave, diſputabitur Voc. *Navè*.

Jezrahel. Hebraice ſemen Dei. Urbs inſignis, & caput decem tribuum, inſtar Samariæ, quæ fuit altera eorum metropolis, ut ait Hieronymus. Oſ. I. 4. accipitur pro tota regione, ut Jeruſalem paſſim pro toto regno Juda. *Viſitabo ſanguinem Jezrahel ſuper domum Jehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael*. Puniam domum Jehu, ex qua nati reges pravo ſuo exemplo, & vitulorum aureorum conſervatione, Iſraelis regno calamitatem animorum & corporum intulerunt. Idcirco delebo ſolium Iſraelis regium, & *conteram arcum Iſrael in valle Jezrahel*. ibid. v. 5. In valle maxima urbis Jezrahel commiſſum eſt decretorium cum Aſſyriis prælium, quo fracta eſt Iſraelitarum potentia bellica, & regnum ac libertas in perpetuum amiſſa.

2. Magnus dies Jezrahel. Oſ. I. ult. Adventus Liberatoris Chriſti.

Igneus. *Igneæ habenæ currus*. Nah. II. 3. In exercitu Nabuchodonoſoris quadrigarum habenæ, auro tectæ, ad ſolem tanquam igneæ radiabant. Ut clypei aurei & ærei a ſolaribus radiis *reſplenduerunt ſicut lampades ignis*. I. Mach. VI. 39.

Ignis. Pro calamitate. *De igne egredientur, & ignis conſumet eos*. Ez. XV. 7. Si etiam vitis hæc (ita enim regnum Juda verſu præcedente appellaverat) ex igne evaſerit, in alium eam conjiciam, donec in cinerem omnino ſolvatur. Ærumna ærumnam excipiet, donec ex omni parte pereatis.

2. Pro fame. *In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit*. Eccli. XL. ult. Non niſi imprudenti ſuavis accidet mendicitas ex ſolo otio orta: ſed ille quoque ſæpe ad ardentem famem adigetur.

3. Pro bello. De Chaldæis, poſt everſam Hieroſolymam perituris: *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient*. Hab. II. 13. Laborabunt Chaldæi, ut acerrimum belli incendium extinguant; ſed incaſſum: a Perſis & Medis injectus ignis omnia devorabit, & ipſos quoque conſumet.

4. Pro

4. Pro ſuperbia ſeu ambitione. In celeberrimo illo Salomonis ænigmate de quatuor inſaturabilibus, Prov. XXX. 15. ſq. quod totum evolvam Voc. *Sanguiſuga*.

5. Ignis devorans. Iſ. XXXII. 14. Ignis eſt vel holocauſti, qui totam victimam; vel inferorum, qui damnatos devorat; uti dictum Voc. *Ardor*, ubi utraque de toto loco ſententia.

Ignitus. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis*. Nah. II. 3. Duces Nabuchodonoſoris, contra Niniven moventis, clypeos aureos vel æneos, ſive auro vel ære inductos ferent, qui ad ſolem relucentes ardere videantur. Præfectis copiarum paludamenta & ſaga erunt coccinea.

Ignorantia. *Oratio Habacuc prophetæ pro ignorantiis*. Hab. III. 1. pro peccatis. præſertim ne illis commotus Deus adventum Meſſiæ differat. David quoque *ignorantias* appellat delicta. Pſ. XXIV. 7. & idem fit I. Mach. XIII. 39.

Ignoro. Neſcio, & ignoro, pro odi. *Rebelles lumini*, qui *neſcierunt* vias Dei (Job. XXIV. 13), tenebris gaudent ad perpetranda crimina, *& ignoraverunt lucem*. i. e. averſantur, oderunt & vias Dei, & lucem; ſatis quidem ſibi notas, ſed inviſas, ibid. v. 16.

Illudo. *Stultus* (boni quidam codices habent *ſtultis*) *illudet peccatum*. Prov. XIV. 9. Verbum hebraicum plures recipit ſenſus; irridere, illudere, eloqui, pallio abſcondere, aliud cum alio comparare. Quare Chaldaicus, poſtremum hoc amplexus, Stultus, inquit, comparationem ponet in peccatis. Stultus irridebit peccatum, delicta ſua elevando, cum aliorum criminibus comparando, veluti pallio quodam involvendo, & extenuando. Sed dum hoc agit, non tam ipſe peccato, quam ipſi peccatum illudit.

2. De Leviathan ſeu dracone marino ad Deum dicitur: *Quem formaſti ad illudendum ei*, Pſ. CIII. 26. Quidam dici putant, cetum ipſum mari illudere; ſed repugnant græca, quæ aperte oſtendunt, formatum a Deo cetum, ut ei illudatur. Paratum homini ſpectaculum, & obleſtamentum; triumphi etiam materia, nec exiguæ utilitatis.

Illumino. Deus *illuminet vultum ſuum ſuper nos*. Pſ. LXVI. 2. Sereno vultu nos reſpiciat.

Illusio. David ægrotans: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*. Pſ. XXXVII. 8. hebraice, ignominia. ut & Hieronymus vertit. Illudunt inimici, cum fractum ac delumbatum corpus meum audiunt. Aſcetis, *illuſiones* hujus loci ad voluptatem turpem referentibus, chaldaica patrocinantur: *lumbi mei impleti ſunt combuſtione*. libidinis nimirum igne.

Illustro. Faciem illuſtrare ſuper ſervum ſuum (Pſ. XXX. 17.) eſt vultum ſerenare, ore exporrecto & oculis benignis aſpicere.

Imago *In imagine pertranſit homo*. Pſ. XXXVIII. 7. Vita humana eſt inſtar imaginis; ſpecies magis, quam res; bonum ſuperficiarium & adumbratum, non ſolidum & verum.

2. Imago ſimilitudinis. *DEUS creavit hominem inexterminabilem*, immortalem, *& ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*. i. e. imaginem ſibi ſimilem. Sap. II. 23.

Immemoratio. Sap. XIV. 26. Oblivio.

Imminutus. *Imminutum a prudentia Roboam*. Eccli. XLVII. 28. imprudentem; &, ut v. præcedente eum appellavit, publicam *gentis ſtultitiam*.

Immitto. Militare verbum. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Pſ. XXXIII. 8. Tendet, caſtra ponet. i. e. firmiſſimi valli inſtar contra omnia pericula muniet.

Immodicus. Legitur hoc vocabulum in editionibus aliquot Eccli. XVIII. 32. ſed emendatiſſima Vulgatæ exemplaria habent *in modicis*. Locum interpretatus ſum Voc. *Commiſſio*.

Immolo. *Qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum*. Iſ. LXVI. 3. Si immolet abſque virtutibus commemoratis v. 2. ſine quibus Deo placere homo non poteſt: ſacrificium æque erit inutile, ac ſi Molocho hominem immolet.

Immuto. *Pro his, qui immutabuntur*. in titulo Pſalmi LIX. Hebraice, *pro hexachordo*. ut ſæpius in Pſalmorum veſtibulo nominantur deſtinata illis inſtrumenta mu-

ta muſica, & nominatim hexachordos initio Pſalmorum hebraici ordinis XLV. LXIX. & LXXX. Quod Patrum aliqui eos intelligunt, *qui immutabuntur in tituli crucis inſcriptionem*, & ad Chriſti *doctrinam* tranſibunt, non literale, ſed myſticum eſt.

2. Immutare cedros. *Sycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus*. Iſ. IX. 10. Pro domibus, quæ vili materia ſtructæ erant, multo pretioſiores e cedro ædificabimus.

Imperfectus. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis*. Pſ. CXXXVIII. 16. Oculi tui me viderunt nondum in matris utero perfectum. In libro ſcientiæ tuæ ſcripti ſunt dies omnes, quibus quisque hominum formatur, nec ullus eorum dierum in hoc tuo libro deeſt.

Impinguo. Morbo correptus, *da ſuavitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum medico*. Eccli. XXXVIII. 11. Memento offerre Deo thus ſimilam, & pinguem hoſtiam: tum & medicum conſule.

Implano. *Non dixeris: Per DEUM abeſt: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas: Ille me implanavit*. Eccli. XV. 11. ſq. Noli culpam in Deum rejicere, ſi vera ſapientia cares; ſed in tua peccata: ſi enim, quæ ille odit, non perpetraveris, ea facile potieris. Cave dicas: Deus me in errorem induxit.

Impleo. Manus implere, Hebræis eſt conſecrare, inaugurare, ſacerdotio initiare, imponendo novi ſacerdotis manibus, quæ Deo offerat. Idemque *implendi* verbum hebraica Exod. XXVIII. 41. & XXIX. 9. 22. 26. 27. 31. & 35. habent, ubi Vulgata utitur verbis *conſecrandi*, *initiandi*, *conſecrationis*. Sic & in Michæ hiſtoria Judic. XVII. 12. *implere manus* non eſt, ut quidam autumant, datis pecuniis allicere hominem, ſed conſecrare ſacerdotem ſimulacri. Tale & illud: *Quicunque volebat, implebat manum ſuam*, initiabatur, ſeu initiabat ipſe ſe, *& fiebat ſacerdos excelſorum*. III. Reg. XIII. 33. Hunc loquendi modum ad altare ipſum transferri putant aliqui, ubi dicitur: *Expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt ma-*

num ejus. Ez. XLIII. 26. Sed nihil vetat accipere ſenſu proprio de ſacerdotibus: *ejus*, i. e. uniuſcujuſque ex ſacerdotibus, de quibus locutus erat. præſertim cum apud LXX. legamus plurali numero, *manus ipſorum*.

2. Implere arcum, Zach. IX. 13. Arcum vehementer tendere. Allegoria ab arcu, gladio, jaculo, tuba, turbine, ſignificat Evangelii victoriam de Græciæ erroribus & falſis per totum orbem religionibus.

3. Impleverunt proverbia & judicia. ita quædam editiones Eccli. XVIII. 29. ſed perperam. legendum *impluerunt*: de quo mox.

Imploro. Eodem Eccli. XVIII. 29. a quibusdam legitur cum ſit *impluerunt*: de quo jam.

Impluo. *Intellexerunt veritatem & juſtitiam, & impluerunt proverbia & judicia*. Eccli. XVIII. 29. Hanc eſſe lectionem veram, non *impleverunt*, aut *imploraverunt*, demonſtrant græca: velut imbrem effuderunt. Sapientiam, qua pleni erant ipſi, & optime vivendi præcepta aliis inſtillarunt. Talis Moyſes erat, cum optabat: *Concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina*. Deut. XXXII. 2.

Improbus. Vocatus a potentiore, brevi diſcede, *ne improbus ſis*, importunus, moleſtus; *ne impingaris*, ne offendas: neque tamen omnino eum devita, ne tui obliviſcatur: *& ne longe ſis ab eo, ne eas in oblivionem*. Eccli. XIII. 13.

Improperium. Gravia ſunt homini cordato, *correptio domus, & improperium fœneratoris*. Eccli. XXIX. ult. ſi exire domo jubeatur, quaſi nimis jam diu abuſus hoſpitio; & ſi reprehendatur a creditore, quaſi negligens in debitis expediendis.

Imprudens. *Eſt qui perdet animam ſuam præ confuſione*, dum eum pudet facere, quod debebat: *& ab imprudenti perſona perdet eam*, peccando animam ſuam perdet, ſi hominis imprudentis reſpectu nefas contraxerit, *perſonæ autem acceptione*, dum non æquitatis. ſed perſonæ rationem habet, *perdet ſe*, Eccli. XX. 24.

In. Sæpiſſime eſt pleonaſticum, ſeu redundans. ſi lati-

ſi latinam conſuetudinem ſpectes. *Non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus*. i. e. opera manuum ejus. Pſ. XXVII. 5. *Locutus ſum in lingua mea*. Pſ. XXXVIII. 5. *Cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*. Pſ. CXVIII. 6. omnia mandata tua. *Comtemnens in animam ſuam*. Eccli. XXIII. 25. i. e. animam ſuam. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis*, i.e. omnia opera tua: *in factis*, i. e. facta, opera, *manuum tuarum meditabar*. Pſ. CXLII. 5. *Surge DEUS - - - - tu hæreditabis in omnibus gentibus*. Pſ. LXXXI. ult. poſſidebis omnes gentes. *Increpet Dominus in te, ſatan, & increpet Dominus in te*. i. e. te. Zach. III. 2. Ego Dominus (Dei enim vox eſt) te increpo, ac diſcedere jubeo. *Non egit dolum in lingua ſua*. Pſ. XIV. 3. neminem verbis decepit. *Loquentur in ore ſuo*. Pſ. LVIII. 8. *In virga percutient maxillam judicis Iſrael*. Mic. V. 1. *Vidi in oculis meis*. Zach. IX, 8. *Non ceperunt in ea*, i. e. eam, Sodomam, *manus*. Thren. IV. 6. Non fuit ab hoſtibus capta. *Narrate in turribus ejus*. Pſ. XLVIII. 13. Enumerate turres Hieroſolymæ. *Occidi*, inquit Lamech, *virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum*. Gen. IV. 23. vulnere meo occidi, contudi ad mortem, livore confeci.

2. Pro contra. *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis*, Pſ. XLIII. 6. Nihil pſaltes de inteſtino bello: ſed hebraiſmus eſt merus: ſpernemus inſurgentes contra nos. *In calore fornacis concertatur faber ferrarius*. Eccli. XXXVIII. 29. contra calorem pugnat, cum calore conflictatur.

3. Pro de. *In inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*. Pſ. XCI. 12. Audiam de illis, qui maligne adverſus me inſurgunt.

4. Pro cum. *Infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in terra, in beſtia agri, & in volucre cæli*, cum beſtiis & volucribus: *ſed & piſces maris congregabuntur*, morientur. Oſ. IV. 3.

5. Loco pro. Aſcendens *accepiſti dona in hominibus*. Pſ. LXVII. 19. pro hominibus, inter homines diſtribuenda: nam, ut hunc Pſalmi locum Paulus refert, *dedit dona hominibus* Eph. IV. 8.

6. In

6. In me, pro mihi. *Angelus, qui loquebatur in me*. Zach. I. 9. & ſæpius deinceps. Fruſtra hinc aliqui conati ſunt neſcio quem energumeniſmum extundere geniorum bonorum in hominibus ſanctis. Simpliciſſimus eſt hebraiſmus: loquebatur mihi.

7. In Deo omnipotente. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob, in DEO omnipotente*. Gen. VI. 2. ſq. Hebraiſmus eſt, & Galliciſmus: *en DIEU toutpuiſſant*. ut Deus omnipotens.

8. In convertendo, conveniendo, deficiendo. *In convertendo inimicum meum retrorſum*. Pſ. IX. 4. Cedente inimico; dum hoſtis retro abit, dum fugit. *In convertendo Dominum captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*. hebraice, ſomniantes. Pſ. CXXV. 1. Dum reducit Dominus captivas Sionis reliquias, præ lætitia ſomniare nobis videmur. *In conveniendo populos in unum*. Pſ. CI. 33. populis convenientibus. *In deficiendo ex me ſpiritum meum*. Pſ. CXLI. 4. Dum animus me deficit; dum ſpiritus me deſtituit.

Inaquosus. *Tentaverunt DEUM in inaquoſo*. Pſ. CV. 14. in loco arido, ubi nullæ aquæ. Exprobrat hoc illis Moyſes: *cur tentatis Dominum?* Ex. XVII. 2.

Inauxiliatus. Sap. XII. 6. Omni ope deſtitutus. Locum totum ſi deſideras, pete ex Voc. *Sacramentum*.

Incendens. I. Par. IV. 22. Nomen proprium, non appellativum; ut cetera illius verſiculi.

Incendo. *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis, quibus* (helleniſmus, pro *quæ*) *cogitant*. Pſ. IX. 23. Uritur pauper, ſive impatientiæ æſtu, ſive incertis de Divina providentia ſuſpicionibus, cur improbis bona, bonis viris mala eveniant.

Inchoatio. Elementa prima Chriſtianæ religionis appellat gentium doctor *inchoationis Chriſti ſermonem*. Hebr. VI. 1. inſtitutiones catecheticas.

Incido. *Non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis*, pro Hebræis, catervatim trucidatis. Jer. XVI. 6. Et lacertos incidere, & crinibus nudare caput, vetabatur populus electus, Deut. XIV. 1. neque enim hæc decebant credentes meliorem vitam, ipſorum etiam

cor-

corporum. Multi tamen Judæorum hunc alienigenarum morem cum ſequerentur, prædicit Jeremias fore, ut profano ritu, quem legis reverentia omittere noluiſſent, abſtinere inviti ipſa funerum copia impii cogerentur.

Incircumcisus. Labiis incircumciſum ſe Moyſes appellat, Ex. VI. 12. & 30. i. e. indiſertum, & linguæ impeditæ. Incircumciſa mens, auris, cor, per metaphoram dicuntur; Lev. XXVI. 41. Jer. VI. 10. Act. VII. 51. pro improbis, impuris, & a Deo alienis.

Inclino. *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Cant. II. 17. & IV. 6. hebraice, *& fugiant*. Donec adveniat, donec nos afflet dies, & fugiant umbræ, ac plene dies illuceſcat.

2. Inclinare cælos. Allegorice David: *Domine inclina cælos tuos*, demitte nubes de cælo, excita tempeſtatem, *& deſcende*, oſtendendo hominibus tuam potentiam: *tange montes*, continge fulmine hos tuos hoſtes ſuperbos, *& fumigabunt*, in fumum diſſolvi incipient. *Fulgura coruſcationem*, injice terrorem, *& diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas*, fulmina tua, pœnas, damna, *& conturbabis eos*. Pſ. CXLIII. 5. ſq.

Inclusor. Tranſtulit Nabuchodonoſor captivos Jechoniam regem, *& principes ejus, & fabrum, & incluſorem*. Jer. XXIV. 1. Iidem traducti Babylonem narrantur denuo Jer. XXIX. 2. videlicet rex, regina cum enuchis, *principes Juda & Jeruſalem, & faber, & incluſor*. Hebraice eſt *maſger*, ab radice *ſagar*, *clauſit*. ut videas, eſſe vocabulum fideliſſime verſum. De ſenſu dubitatur. David Kimchi interpretatur, eſſe conſiliarios & ſapientes, qui ſilentio claudunt arcana ſibi commiſſa. ſed hoc rabbinicum. & an tales viri collocarentur a propheta poſt fabros? Clericus mercatores cenſet, qui merces tabernis incluſas haberent. verum & hoc longe petitum. D. Hieronymus arbitratur, fuiſſe artifices, qui gemmas pretioſo metallo includerent, ut aurifices. Alii arbitrantur militares artifices, qui caſtra metari ſcirent, & urbes obſeſſas concludere: quod rei præſenti maxime idoneum videtur: tales enim & Hebræis potiſſimum ſubducere debebant hoſtes, & ſibi ad belli uſum

uſum

uſum adjungere. *Cluſores* dicuntur IV. Reg. XXIV. 14. & 16. ubi idem hebraicum *maſger* uſurpatur: ſed v. 16. additur etiam numerus, *cluſores mille*; tanquam in re memorabili, & more militari: atque adjicitur; *omnes viros fortes, & bellatores*.

Incola. Pro advena ſeu peregrino. *Incola ego ſum in terra*. Pſ. CXVIII. 19. hebraice, peregrinor in terra. Idem ſenſus eſt Pſ. CIV. 12.

Inconsummatio. *Filii autem adulterorum in inconſummatione* (alii legunt *in conſummatione*) *erunt*. Sap. III. 16. Peribunt immaturi, conſumentur.

Incrasso. *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus*. Hab. I. 16. Placet ſibi Chaldæus in arte & felicitate ſua bellica, illis tribuit victorias, per quas cepit tot pingues prædas, tot urbes & provincias abſumpſit. Ideo (v. 17) victoria has proſequitur, & rapere per fas & nefas pergit.

Incredibilis. Pro incredulo, & imperium detrectante, Eccel. I. 36. XVI. 7. & 29. XXIII. 33. Bar. I. 19. & de uxore Lot Sap. X. 7. Alio ſenſu accipe illud: *O mors, bonum eſt judicium tuum*, ſententia tua, moriendi neceſſitas, *homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt*. infirmitate, ſenio, ſollicitudine confecto; *& incredibili, qui perdit patientiam*; nihil jam melius ſperanti, qui expectationem lætioris ſtatus amiſit, neque præſentem ſere poteſt. Eccli. XLI. 3. ſq.

Incredulus. *Viſio dura nunciata eſt mihi: qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui depopulator eſt, vaſtat*. Iſ. XXI. 2. Noli ſuſpicari, incredulos a propheta dici eos, qui fidem non habeant viſioni duræ, quam narrat: ſed vox *incredulus* cum iis, quæ proxime ſequuntur, refertur vel ad Perſas & Medos, vel ad Chaldæos: utrumque enim doctos habet auctores. Mihi dividere cum Sancio ſententiam placet: Babylonius prævaricatus eſt, & infideliter egit: aderit ejus depopulator Medus & Perſa, qui vaſtet omnia, ut concinna ſit oppoſitio: delictum præceſſit, ſequetur pœna.

Increpatio. Aquæ, terram operientes, *ab increpatione*

tiore tua fugient. Pſ. CIII. 7. Deo jubente, ſe recipient, & premere terram deſinent. Contextus totus à me datus eſt in Voc *Abyſſus*.

Increpo. *Dixit Dominus ad ſatan: Increpet Dominus in te ſatan: & increpet Dominus in te, qui elegit Jeruſalem*. Zach. III. 2. *in te*, i. e. te. Ego te reprimam, ego te coercebo. eſt enim in hebraico tempus futurum. Repetitur verbum, ut major vis addatur ſententiæ. Ego, qui ſedem religionis elegi Jeruſalem, ego te compeſcam, ne ſupplicem pro ea Jeſum ſacerdotem magnum impedire poſſis.

Incurvans. *Diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam, incurvantem & refrenantem*. hebraice, ramum & juncum. Iſ. IX. 14. Caput eſt longævus & honorabilis, cauda eſt propheta mendax: ut ipſe propheta explicat. v. ſq. Ramus, fructibus gravis, ſeque ponderis ergo incurvans, opulentos proceres indicat; pauperes juncus, qui ab infimæ conditionis hominibus pro capiſtro jumentis injicitur. LXX. more ſuo metaphoram ſolventes ajunt: magnum & parvum. *Non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrenantem*. Iſ. XIX. 15. Nihil agetur, ex quo prudenter colligas, eſſe aliquem ſapienter imperantem, vel obedienter curantem, quæ imperata ſunt.

Incurvo. *Diſſipat impios rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem*. hebraice, chald. & græce, rotam. Prov. XX. 26. Addicit eos ſupplicio rotæ, quæ nominari fornix poteſt ob canthum: is enim iſtar fornicis extremam rotæ curvitatem circuit & comprehendit.

Induo. *Induti ſunt arietes ovium*. Pſ. LXIV. 14. Facilis eſt & naturalis eorum ſenſus, qui arietes laudari putant a villoſo ac denſo vellere, bene veſtitos & munitos. Sed hebraica explanationem iſtam repudiant: in quibus cum idem vocabulum arietes & campos ſeu paſcua ſignificet, ſententia hæc eſt: arietes cincti ſunt copioſo grege; paſcua veſtiuntur gregibus. quorum utrumque pecoris abundantiam & arietum fertilitatem prædicat.

Indus. Judæ Machabæo narratur, ademiſſe Romanos Antiocho Magno *regionem Indorum, & Medos, & Ly-*

& Lydos, de optimis regionibus, eaſque regi Eumeni largitos eſſe. I Mach. VIII. 8. Livius autem l. 38. pacem ait Antiocho datam ea lege, ut omni illa regione excederet, quæ cis Taurum montem a Tanaim, & a Tauri valle ad juga Lycaoniæ proxima pertinet; Eumeni ab Romanis tributam in Europa Cherſoneſum, & Lyſimachiam, ceteraque, quibus finibus Antiochus tenuiſſet; in Aſia Phrygiam utramque, alteram ad Helleſpontum, majorem alteram; & Myſiam, Lycaoniam, Myliadem, ac Lydiam. Unde conficiunt, qui Machabæorum libros oppugnant, inſanabili vulnere affectum hunc locum eſſe, in quo ſola Lydia recte nominetur, India & Media Antiocho per ſummam inſcitiam aſſignentur, regiones ceteræ ſilentio involvantur. Equidem ita hebes nemo eſt, ut orientalem illam Indiam ad Gangem, aut magnum Medorum imperium Antiocho vendicet. Sed longe diverſos alios & Indos, & Medos, in citeriore Aſia circa Taurum montem oſtendimus. Meminit Livius eodem l. 38. Indi fluvii haud procul a Cibyra urbe, quæ in Phrygiæ Cariæque finibus erat. Si conferas quæ Plinius l. 5. c. 28. narrat, videbis, Indum hunc fluvium, in Cibyratarum jugis ortum, recipere ſexaginta perennes fluvios, torrentes amplius centum, dignum proinde, a quo accolæ nomen traxerint, &, ut a Sequana Sequani, ab Ibero Iberi, a Cappadoce amne Cappadoces, ita ab Indo hoc Indi ſint appellati. Habemus ergo jam regionem Indorum in Phrygia, quam Eumeni datam ex Livio diſcimus. Medos quoque ibidem reperire licet, cum in Strabone l. 7. Phrygibus annumerentur Mygdones, & Bebryces, & Medobithyni; Medorum videlicet olim eo deducta colonia. Nam quod Strabo Medobithynos hos per *e* breve ſeu pſilon ſcribit, Machabæorum hiſtoricus per *e* longum ſeu eta vel ita, nullius negotii eſt: nemo enim ignorat, tales unius aut alterius literæ mutationes in antiquiſſimis nominibus frequenter occurrere. Denique negligentiam omiſſarum provinciarum non arguet, qui attenderit, etſi non nominatas, ſatis tamen indicatas fuiſſe ceteras in *optimis regionibus*, quæ ad extremum adduntur.

Inebrio. Pro largiter implere. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*, copioſe irrigaſti. Pſ. LXIV. 10. & paulo poſt, v. 11. *rivos ejus inebria*, auge abundanter aquas. *Inebriabuntur*, uberrime ſatiabuntur, *ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Pſ. XXXV. 9. *Inebriabo prati mei fructum*, rigabo liberaliter. Eccli. XXIV. 42. *Bibite, & inebriamini, cariſſimi*. Cant. V. 1. non ad intemperantiam, ſed ad implendum penitus naturæ deſiderium. *Anima, quæ benedicit*, homo benevolens & beneficus, *impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur*. Prov. XI. 25. qui liberaliter largitur, ei plene & abundanter retribuetur.

2. Pro implere malis. *Inebriaberis, & eris deſpecta*, Nah. III. 11. Tu quoque, Ninive, dolores acerbiſſimos feres, ut Alexandria, cui eosdem modo erat minatus. *Inebriate eum*, nempe vino furoris Domini. Jer. XLVIII. 26. Eodem ſenſu contra Babylonicum populum. Jer. LI. 57. *Cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur*. Iſ. XLIX. ult. Mutuis ſe vulneribus laniabunt. Impletum id ſemper in Eccleſiæ hoſtibus, ferro, & doctrina.

Infans. *Non erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui non impleat dies ſuos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. Iſ. LXV. 20. Infans dierum, ſcilicet paucorum. Non erit in eccleſia triumphante neque immaturus infans, nec effœtus & inutilis ſenex; ſed omnes maturi & perfecti: nam qui pueriles cupiditates & peccati imprudentiam ad ultimum uſque conſervaverit, morti æternæ addictus in domicilium illud vitæ non admittetur.

Inferi. Infernus. Plerumque hæc nomina non ſignificant infelix illud ac æternum damnatorum ergaſtulum; ſed ſepulcrum, ubi corpus; aut limbum, ubi ſpiritus hominis mortui ſervabatur. Sic Jacob patriarcha, *Deſcendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum*. Gen. XXXVII. 35. *Deducetis*, ait idem, *canos meos ---- ad inferos*. Gen. XLII. ult. & XLIV. 29. Tobias de ſuis parentibus: *Timeo ergo, ne forte ---*

deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos. Tob. VI. 15. Job ad DEUM: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Job. XIV. 13. Neque enim ſanctiſſimi viri aut ſibi, aut ſuis, inferorum ſupplicia ominati ſunt. Neque David, ad id uſque tempus innocentiſſimus, de damnatorum carcere (ut commatici meditantur) illa pronunciavit: *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis*. Pſ. XVII. 6. *Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis*. II. Reg. XXII. 6. ſed, ut Pſalmi titulus, totuſque ejusdem & hiſtoriæ contextus oſtendit, mortis & ſepulcri horror ingruebat undique, Saule regiisque ſatellitibus inſidias ex omni parte tendentibus. Eadem eſt ſententia, cum dicit: *Eruiſti animam meam* (vitam meam, me; more, hebraico) *ex inferno inferiori*. Pſ. LXXXV. 13. e ſepulcro, vel limbo, quæ ſunt humanarum rerum meta ultima. grates enim agit liberatori DEO, ob depulſum mortis periculum, quam ſibi hoſtes machinati erant. Qui voce hebrica uti gaudent, magnopere caveant, ne irridendi ſui occaſionem præbeant dicendo *Schéola*, vel, quod etiam pejus eſt, *Schéolach*, media brevi Duplici errore ſe implicant, qui ita pronunciant, nam hebraice *Schéol* duabus ſyllabis abſolvitur, & *o* natura longum ſeu *chòlem* habet.

2. Infernus pro ira. In ænigmate Salomonico Prov. XXX. 12. ſq. de rebus quatuor inſatiabilibus. Exponetur a me totum Voc. *Sanguiſuga*.

Imfirmo. Jeruſalem *infirmata eſt in bonum*, vigorem omnem ad agendum bene amiſit, *quæ habitat in amaritudinibus*, quia peccatorum ſuorum amaritie DEUM exacerbavit. Mich. I. 12.

Infirmus. *Qui autem infirmus eſt, olus manducet*. Rom. XIV. 2. Qui conſcientia erronea laborans, certo genere cibi putat ſibi interdictum: is oleribus veſcatur potius, quam quibus ali nefas eſſe exiſtimat.

Inflammo. *Eloquium Domini inflammavit eum*. Pſ. CIV. 19. Verbum DEI Joſephum ſuo igne purgavit.

In-

Ingredior. *In medio tui Sanctus: & non ingrediar civitatem.* Oſ. XI. Non tranſibo ad gentem aut urbem aliam, vobis omnino rejectis: donec a Chriſto ædificetur Civitas nova Jeruſalem, in quam ipſam tamen & vobis Hebræis acceſſus patebit.

2. Impetu ingredi. *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit & germinabit Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine.* Iſ. XXVII. 6. Apoſtoli Meſſiæ, ſpiritus impetu acti, Iſraelem aggredientur, & illo florente ac germinante, fructu & poſteris totum orbem implebunt. An autem (v. 7.) rebelles Judæi, qui ipſum Deum Hominem percuſſerunt, ejuſque ſervos occiderunt, viciſſim percuſſi non ſunt? Nondum conceſſum eſt pœnitentiæ ſpatium. ſed hoc elapſo (v. 8.) Synagogam repudiatam abjiciet Deus, ac tum pro merito & æquali menſura retribuet, iramque pridem conceptam ſemel effundet.

Iniquitas. Quo ſenſu melior ſit *iniquitas viri*, quam *mulier benefaciens*, Eccli. XLII. 14, dixi Voc. *Benefaciens*.

2. Iniquitas. ſanctuarii. Ad Aaronem & filios dicit Dominus: *Portabitis iniquitatem ſanctuarii - - - ſuſtinebitis peccata ſacerdotii veſtri.* Num. XVIII. 1. Siquid in ritu ſanctuarii, aut contra ſacerdotis officium peccabitur, vos pœnas dabitis. Qui hoc loco ſacrificia pro peccatis fieri ſolita intellexerunt, ad verbum *ſuſtinebitis* parum attenderunt.

3. Iniquitatem ponere. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, cum veniet is, *cujus eſt judicium* Meſſias. Ez. XXI. 27. Vox hebraica indicat rem depravatam, diſtortam, inclinatam. Quapropter locum hunc ſubtiliter aliqui ſic interpretantur, quoniam reges tiara recta, privati obliqua tegebantur, minari Deum, ſe ſenſim ſine ſenſu cidarim ac tiaram gentis hebraicæ depoſiturum; ita ut omnino jaceat veniente Meſſia. Sed Vulgata optime *iniquitatem* ponit, morum pravitatem declarans, quam hujus vocabuli radix hebraica paſſim alibi in Pagina Divina ſignificat, quique ſenſus proinde maxime proprius eſt. Omitto alia, quæ explicationi illi delicatæ opponi merito poſſent. Contextum totum propono in Voc. *Cidaris*.

Initium. Pro principatu. De ape: *initium dulcoris habet fructus illius*. Eccli. XI. 3. Mel, qui fructus eſt apis, dulcedinis principatum obtinet; res eſt dulcium omnium dulciſſima. *In judicio DEI opera ejus ab initio, & ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus ſuis*. Eccli. XVI. 26. Deus initio ſumma ſapientia produxit opera ſua omnia, & nominatim cælum, ſidera, genios cæleſtes: nam de his loqui Siracidem, oſtendit verſus 30. *Poſt hæc DEUS in terram reſpexit*. Hæc igitur cæleſtia opera ſic inſtituit & ordinavit, ut ſuas cuique partes & officia aſſignaret, & ſuum cuique principatum in ſuo genere tribueret. Præfecit ſidus aliud diei, aliud nocti; alia his, alia illis mundi plagis: genios futuris hominum gentibus cuſtodes & præſides deſtinavit. Ornavit (v. 27.) in perpetuum duratura illorum opera & munera: neque tamen unquam vel eſurierunt, vel defatigata labore ſunt; nec deſtiterunt. In ſuis (v. 28.) unumquodque ſpatiis perſtitit, & perſiſtet. Eorum ergo exemplo (v. 29.) tu quoque Deo auſculta, quemadmodum nobiliſſima illa Dei opera nunquam ei reſiſtunt.

Innoxius. Pro impunito. Num. XIV. 18.

Inscientia. *Dum ab intus minor eſt expectatio, majorem computat inſcientiam ejus cauſſæ, de qua tormentum præſtat*. Sap. XVII. 12. Quo minorem animus expectationem & ſpem habet auxilii, eo graviora timet. quia ignorat cauſſam & originem, unde calamitas in ſe eruptura eſt, cujus metu ſe cruciat.

Insimulatus. i. e. non ſimulatus, non fictus; ſed verus, & efficax. Sap. XVIII. 16.

Insipientia. Verba Chriſti paſſuri & patientis ad Patrem: *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Pſ. XXI. 3. Diu noctuque ad te clamo, bene gnarus, te non aſſenſurum precibus, quibus natura humana infirmitati ſuæ relicta calicem hunc deprecatur: neque tamen hoc mihi ceu inſipientia imputabitur: quoniam, etſi non liberationem a cruciatibus, aliud tamen impetrabo munus longe nobilius, generis humani ſalutem: quapropter merito non ſileo, ſed in precibus perſevero: &, ut habent hebrai-

ca,

ca, non eſt ſilentium mihi. *DEUS tu ſcis inſipientiam meam; & delicta mea a te non ſunt abſcondita*. Pſ. LXVIII. 6. Sicuti priorem Pſalmum, vigeſimum primum, ex perſona Chriſti ſcriptum eſſe, conſtat ex Matth. XXVII. 46, & Marc. XV. 34. ita idem de Pſalmo LXVIII. ſcimus ex Joann. II. 17, & Rom. XV. 3. Totius ergo generis humani inſipientiam ac delicta intellige, quæ quia Chriſtus expianda in ſe ſuſcepit, vocat ſua.

Insula. *Habitator inſulæ hujus*. Iſ. XX. 6. i. e. Judææ: quia, inquit Hieronymus, ut inſula mari, ſic Judæa hoſtilium agminum fluctibus undique tundebatur, Aſſyriorum maxime, & Ægyptiorum.

Insuper. *Qui delinquit in animam ſuam, inſuper habebitur*. Eccli. XIX. 4. negligetur, contemnetur, nihili fiet.

Insuspicabilis. *Novem inſuſpicabilia cordis magnificavi*, (græce, beata duxi) *& decimum dicam in lingua* (i. e. lingua mea, ore meo) *hominibus*. Eccli. XXV. 9. Res novem ſunt jucundæ ſenſui, de quibus nemo male ſuſpicari ſolet, & quibus homines fieri ſe beatos putant. Ego autem decimum hominibus annuncio, ſuavius nobiliuſque his omnibus, timorem Domini, qui *ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*. ibid. v. 14. ſupra omnia eminet.

Intellectus. Legitur in titulo plurium Pſalmorum. Hebraice, eruditio. Signum eſt attentionem excitans, illis carminibus ab auctore additum, quæ memoriæ commendata ſingularem in modum cupiebat.

2. Intellectus manuum. *Pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*. Pſ. LXXVII. ult. Quam innocenter & attente David paſtor agnos & oves curaverat, tam integre totum Iſraelis gregem pavit, tam prudenter pedo regio uſus eſt.

3. Intellectus bonus. *Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Pſ. CX. 10. hebraice plurali numero, facientibus ea. Quiſquis & timorem Domini, & ſapientiam ſecutus vivendo fuerit, is vere intelligens dicendus erit.

Intelligo. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*. Pſ. XL. 2. Qui non expectat, dum oretur: qui ultro adinvenit animo, qua ratione opituletur

non egenis tantum, ſed &pauperibus. quid inter hos interſit, dixi Voc. *Egenus*.

Intendo. Pro attendere, intento animo eſſe. *DEUS in adjutorium meum intende*. Pſ. LXIX. 2. Et alibi non raro. Singulare eſt illud: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime; ſpecie tua & pulcritudine tua; intende, proſpere procede, & regna; propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua*. Pſ. XLIV. 4. ſq. Fontis hebraici veritatem ſic repræſentat Hieronymus doctor maximus: Accingere gladio tuo ſuper femur, fortiſſime, gloria tua, & decore tuo. (i. e. qui gladius eſt gloria tua, & decor tuus.) Et decore tuo proſpere aſcende propter verbum veritatis & manſuetudinem juſtitiæ, & docebit te terribilia dextera tua.

2. Intendere in ſpecie. *Omni homini noli intendere in ſpecie*. Eccli. XLII. 12. Noli cujuſquam ſpeciem ſeu pulcritudinem fixis oculis contemplari.

Intentator. *DEUS enim intentator malorum eſt: ipſe autem* (i. e. ipſe, inquam,) *neminem tentat*. Jac. I. 13. Neminem ad mala allicit: neminem, inquam, tentat.

Intercido. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Pſ. XXVIII. 7. Tonitru, quod inter igniferas nubes & erumpentia fulmina auditur.

Interfectus. *Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello*. Iſ. XXII. 2. Ne quidem honeſtæ mortis habebunt ſolatium, ſed fame peribunt.

Interficio. *Præcipiet ſuper te Dominus, non ſeminabitur ex nomine tuo amplius: de domo dei tui interficiam, ſculptile & conflatile ponam ſepulcrum tuum, quia inhonoratus es*. Nah. I. 14. Poſt turpem fugam, o Sennacherib, nulla nova ſuſcepta prole, per ipſum dei tui Neſroch, cultum in ejus templo interficieris: nec alium tumulum, quam circumſtantia deorum ſimulacra habebis, abſque ſupremo ſepulcri honore jacens,

Interiora. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri*. Job. IX. 9. Poſt nota etiam nobis aſtra, ſidera nominat ad alterum polum vergentia, quæ antarctica vocant, oculis noſtris

ſtris ſubducta. Eodem modo opponitur Arcturo ſeu plagæ ſeptentrionali Job. XXXVII. 9.

INTERITUS. *Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt.* Pſ. IX. 16. Hebraice, in fovea. Inimici foveam mihi perdendo foderunt, aqua cœnoque impleverunt, in eandem vero ipſi pro me corruerunt, nec aquæ tantum immerſi, ſed in limo ipſo defixi ſunt.

INTERPRES. Populi electi duos interpretes Iſ. XLIII. 27. eſſe Moyſen & Aaronem, dixi ejus loci explanatione Voc. *Contamino*.

INTERROGATIO. *In cogitationibus enim impii interrogatio erit*. Sap. I. 9. Inquiret in illas Dominus, cui reſpondere impius cogetur. *Longe enim eſt teſtamentum a quibuſdam, & interrogatio omnium in conſummatione eſt*, Eccli. XVI. 22. Quidam longe abſunt a lege Divina: ſed exquirentur omnia, cum articulus mortis & judicii advenerit. Filii extra matrimonium nati *teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua*. Sap. IV. 6. in judicio Divino; imo & humano.

2. Conſcientiæ interrogatio. *Salvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in DEUM.* I. Petr. III. 21. non per lavationem corporis, ſed per conſcientiam probatam coram DEO.

INTERROGO. Nonnunquam eſt judiciale vocabulum. Sic impii minantur DEI Filio Meſſiæ: *Contumelia & tormento interrogemus eum. - - - - Morte turpiſſima condemnemus eum*. Sap. II. 19. ſq. DEUS *interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur*. Sap. VI. 4. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Pſ. X. 5. oculi ejus omnia humana vident, & perſcrutantur.

2. Interrogari aſſidue. Eccli. XXIII. 9. vetamur jurare, & v. 10. temere nominare DEUM, Cælites, ac res ſanctas: *quoniam non eris immunis*, impunitus, *ab eis*, propter hæc. Additur v. 11. *ſicut enim ſervus interrogatus aſſidue, a livore non minuitur; ſic omnis jurans, & nominans, in toto a peccato non purgabitur*. ut ſervus, qui identidem quæſtioni & flagello ſubjicitur, nunquam vibicibus carebit: ſic, ubi juratur ac ſancta nominantur temere, *in toto* i. e. omnino animus peccatorum maculis carere non poterit.

Interruptio. In Judæos, ſpem ſuam in Ægyptiis reponentes, adverſo Deo: *erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita, in muro excelſo: quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio ejus.* Iſ. XXX. 13. Sicut pars muri, vitio ſeparata a muro reliquo, jamque in ruinam propendens, ſi tamen requiratur a ſtultis, ut ea nitantur, repente cadens eos elidit: ita veſtra hæc fiducia ſubito vos exitio obruet.

Intimus. Avarus *projecit intima ſua.* Eccli. XIII. 13. & animam, & viſcera ac valetudinem amore lucelli vendit & abjicit. Quidam intelligunt, avarum abjicere omnem humanitatem, & viſcera miſericordiæ. verum ſenſus hic videtur durior.

Intrinsecus. *Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet.* Cant. IV. 1. i. e. ut nihil dicam de maore oculorum parte ſub palpebris latente, dum eos modeſtia tua clauſos tenet. Sic & genas laudat, *abſque eo, quod intrinſecus latet* ſub velo. ibid. v. 3.

Intro. *Omni tempore, quo intravit & exivit,* i. e. verſatus eſt, *inter nos Dominus JESUS.* Act. I. 21.

Introeo. *Introibit uſque in progenies patrum ſuorum: & uſque in æternum non videbit lumen.* Pſ. XLVIII. 20. Majorum ſuorum crimina imitabitur, ſocius quoque eorundem futurus in æternis tenebris.

Introitus. *Conteret vos ab introitu Emath uſque ad torrentem deſerti,* ſeu rivum Ægypti. Amos VI. ult. Urbs Emath, dicta dein Epiphania, limes Palæſtinæ fuit ad Aquilonem, rivus Ægypti ad meridiem. Conteret omnes veſtras tribus per duodecim provincias.

Invalesco. Jacob *invaluit ad angelum.* Oſ. XII. 4. cum eo luctans prævaluit. Cum deinde in Bethel Deum inveniſſet, i. e. vidiſſet, *ibi locutus eſt nobiſcum.* ibid. dum convocata omni domo ſua univerſos hortatus eſt, ut in perpetuum Deo obtemperarent. Gen. XXXV. 2. ſq. Ut ergo Jacob ſolius ubique Dei meminit, ita tu quoque, ejus poſteritas, ad Dominum eundem convertere. Oſ. XII. 5. ſq.

Invenio. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Pſ. XX. 9. Sentiant ultricem manum tuam omnes tui hoſtes 2. Invenire gratiam. i. e. gratioſum eſſe. Noe *invenit*

venit gratiam coram Domino. Gen. VI. 8. placuit Deo *Si inveni in conſpectu regis gratiam,* inquit Eſther, V. 8. ſiquid apud regem gratia poſſum. Ad meliorem Eſtherem Gabriel: *inveniſti enim gratiam apud DEUM.* Luc. I. 30. gratia apud eum excellis.

3. Invenire iniquitatem. *Dives effectus ſum, inveni idolum mihi: omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* Oſ. XII. 8. Vituli, quos adoro, & malæ artes meæ divitias mihi pepererunt. nemo hos labores meos reprehendere ut iniquos audebit. Rationem addit Hieronymus: quia divitibus omnes indigent, ideo omnes iis adulantur, illorumque vitia diſſimulant.

4. *Tribulabo eos ita, ut inveniantur.* Jer. X. 18. Legunt aliqui: *ita, ut non inveniantur.* nimirum, ut funditus pereant. Verum id ab hebraico, græco, chaldaico diſſidet, nobiſcum affirmantibus: *ut inveniantur.* ut deprehendantur anguſtiis concluſi, ut evadere ſupplicium non poſſint.

Inventio. *Qui argentum fabricant, & ſolliciti ſunt, nec eſt inventio operum illorum: exterminati ſunt.* Bar. III. 18. ſq. Qui quantum ad opes cumulandas moliantur, vix ipſi cogitando aſſequuntur, denique tamen morte abripiuntur.

Inveteraſco. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Pſ. XXXI. 3. Quia peccata per multos menſes nec agnovi, nec abolere deprecando ſtudui: gravi morbo caſtigatus, robur corporis omne amiſi, totoſque dies inter lamenta conſumpſi.

Invidus. Vitæ ſuæ invidus. Eccli. XVIII. ult. Qui ſuam ipſe vitam efficit miſeram. Contextum habes Voc. *Commiſſio.*

Inundatio. Ad Hieroſolymam: *inundatio camelorum operiet te.* i. e. magna eorum copia. Iſ. LX. 6. Quæ ſequuntur, non pertinent nominatim ad magos Chriſtum natum adorantes, ſed generatim ad omnium gentium vocationem.

Inutilis. *Væ, qui cogitatis inutile.* Mich. II. 1. falſi dei ſimulacrum, vel crimen quodcunque mortiferum: quia ſi rem ipſam ſpectamus, nihil omnino affert utilitatis veræ.

Joannes. Latine dicas, gratioſus. Receptum quidem apud nos uſum ſcribendi ſequor, nequaquam tamen improbo eos, qui *Johannes* ſcribunt: etenim perite ac vere admonuit Georgius Wicelius in Onomaſtico Chriſtiano, Claſſe I. Voc. *Johannes*, hebraicam literam *Cheth*, cui Latini ſubrogare leniorem ſuam aſpirationem amant, ad hujus vocabuli radicem ſic pertinere, ut abſque illius ope ne interpretationem quidem ullam admittat.

Job. Ita ſcribit Vulgata, auctoritatem LXX. recte ſecuta. Neque horum, neque Hebræorum veſtigia ſectantur illi, qui *Hiob* ſcribunt, & cum aſpiratione pronunciant, quæ ab hebraico *Ijov*, ut a græco *Job* abeſt.

Jordan. Deus ad Jeremiam: *Cum autem in terra pacis ſecurus fueris, quid facies in ſuperbia Jordanis?* Jer. XII. 5. Si conquereris de Anathoth patria tua, oppido exiguo & quieto, in quo eſſe tibi ſine periculo & cura licet: quid facies inter fluctus urbis Jeruſalem, paris Jordani, imbribus & liquefactis nivibus aucto?

Joseph. Hebraice eſt *addens*, ad quod alludit Rachel Gen. XXX. 24. & Jacob Gen. XLIX. 22.

2. Pro toto populo electo. Ut *Jacob* & *Iſrael*, ita interdum *Joſeph* totius gentis loco dicitur. Datum id honori patriarchæ ſanctiſſimi, qui in Ægypto pater ſui populi fuit. *Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti* Pſ. LXXX. 6. Solennes illos ritus imperavit Deus Joſephi poſteris, Hebræis nimirum ex Ægypto egreſſis, ceu perenne monumentum ac teſtimonium, tum Divinæ voluntatis, tum acceptorum tot beneficiorum. *Nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* Amos VI. 6. Quæ verba ſane torquent illi, qui ad Joſephum adoleſcentulum in ciſterna, & inde ad animas in purganti flamma hærentes avertunt: cum tamen literali ſenſu planiſſime ſignificetur hebraicus populus, preſſus & egens, quem proceres voluptarii & officii omnis immemores negligebant.

3. Pro Joſete. *Maria Joſeph.* Marc. XV. ult. Eadem videlicet, quæ alibi appellatur *Maria Jacobi & Joſeph mater.* Matth. XXVII. 56. & *Maria Jacobi minoris & Joſeph mater.* Marc. XV. 40. Nobiliſſimi Legis Novæ interpretes in errorem inducti ſunt, ut hunc Joſe-

Joſephum, vel potius Joſetem, confunderet cum Joſepho Barſaba, qui cum Matthia Act. I. 23 ſqq. ad electionem propoſitus laudatur. Vitari hic error facile poterat ſi græcum fontem intueri ſtudioſius libuiſſet. Barſabas, qui & Juſtus, *Joſeph* dicto loco Actorum vocatur. Alter vero, frater Domini, nunquam apud Matthæum & Marcum *Joſeph*, ſed in recto caſu *Joſes*, in obliquo *Joſe* conſtanter nominatur. Eodemque modo (ut obſervat Petrus Boſchius, in Actis Sanctorum Bollandinis, T. V. Jul. ad ejus diem XX. de S. Joſeph Barſaba n. 6.) Chryſoſtomus, Hieronymus, Gregorius Nyſſenus ſcribunt: de quibus, ſi plura cupis, ipſum adi. Hieronymus *Joſetis* nomine in obliquo utitur: quem virum, linguarum peritiſſimum, quis ſequi dubitet? Nominum hominumque eorundem, Joſeph & Joſe, diſcrimen oſtendunt ſyriaca, in Evangeliis & Actis. Quare cum Bollandinis l. d. diſtinguendos omnino judico, & cum iiſdem clariſſimo Auguſtino Calmeto aſſentior, in Act. I. 23. *Joſephum Barſabam notum non eſſe in Evangelio.* quippe qui in ſolis demum Actis Apoſtolorum nominatur.

Ipse. Cum dixiſſet Deus, poſiturum ſe inimicitias inter ſerpentem & mulierem, & inter ſerpentis progeniem ac mulieris filium; addit: *ipſa conteret caput tuum*. Gen. III. 15. Vetus & ardens eſt controverſia, legendumne ſit *ipſa*, an *ipſe*, mulieris filius, an *ipſum* ſemen. De Hebraico fonte certum eſt, poſſe legi tam *hi*, *ipſa*; quam *hu*, *ipſe* ſeu *ipſum*; prout punctum vocale adjeceris. Illud quoque certum, hoc ipſum pronomen, his ipſis literis ſcriptum, pro feminino genere in hebraicis Bibliis ſæpiſſime uſurpari, præſertim in Pentateucho; nominatim paulo poſt locum hunc dubium, verſu 20. ubi omnes legimus *hi*, *ipſa*, quippe de Eva. In codd. LXX. interpretum hodie quidem extat *ipſe*: ſed cum veteres Patres, ſemper alibi auctoritatem LXX. ſequi ſoliti, imo & Joſephus Hebræus, habeant *ipſa*: apparet, LXX. feminino genere uſos eſſe, ſed poſt quintum a Chriſto ſeculum, eove ſerius, librariorum incuria vel partium ſtudio fuiſſe mutatos. Chaldaica & arabica fatendum eſt feminino generi non favere. Audiamus magnum Cornelium, hic dicentem:

tem. *Nota primo, nullam ex his tribus lectionibus eſſe rejiciendam; imo omnes ſunt veræ.* addo, & omnes Chriſto ejuſque venerandæ Matri æque glorioſæ: nam ſi ſerpentem contriviſſe ipſa dicitur, non niſi per Filium contrivit; ſi ipſe, in Matris redundat gloriam honor Filii.

Irascor. *Dominus regnavit, iraſcantur populi; qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra.* Pſ. XCVIII. 1. Quantumvis obnitantur infideles populi, ac tumultuentur: Dominus eſt Rex ſupremus, ille Iſraelis Deus, qui in arca fœderis habitat, Cherubinis ab utraque parte aſtantibus.

Irritatio. *Sicut in irritatione.* Pſ. XCIV. 9. Eſt nomen proprium loci, qui appellatus eſt Contradictio, Num. XX. 13. Hebraice utrobique idem nomen eſt *Meriva*.

2. Irritatio oblationis. Immolarunt hoſtias diis, *& dederunt ibi irritationem oblationis ſuæ*, victimas, quibus me irritabant; *& poſuerunt ibi odorem ſuavitatis ſuæ* thus ſuaviſſimum incenderunt. Ez. XX. 28.

Irrumpo. *Graviter ferebant Ptolemenſes amicitiæ conventionem, indignantes, ne forte fœdus irrumperent.* II. Mach. XIII. 25. Indignabantur Ptolemaidis incolæ, quia verebantur, ne Judæi, conceſſa ſibi tanta poteſtate ab Antiocho, fœdus cum eo junctum rumperent, ſicque ipſos etiam Ptolemenſes bella adverſus regem implicarent.

Is. Deo confiſi *non timebimus, dum turbabitur terra & transferentur montes in cor maris. Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum.* cet. Pſ. XLV. 3. ſq. Nullus nos metus inceſſet, ſi vel tota tellus ita concutiatur, ut montes transferantur in medium mare. Etſi enim ſonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum, tamen *cet. Eorum* pro *ejus*, inquiunt magni viri: hebraice enim & græce *mare* præceſſit plurali numero. Sed opus non eſt, talis incogitantiæ interpretem latinum arguere: cum pronomen *eorum* referre ad montes liceat, circum quos maxime vorticoſi & ſonori ſunt fluctus.

2. Is per pleonaſmum. Crebro pronomen hoc, contra ſermonis latini uſum, ſolius venuſtatis gratia ab Hebræis apponitur, ſenſu id non poſcente. *Beata*

gens,

gens, *cujus eſt Dominus* Deus *ejus*. Pſ. XXXII 12. pro, cujus Dominus eſt Deus, quæ ſolum Deum agnoſcit & veneratur dominum. Sic Jobus in fonte hebraico. *Nox illa*, *occupet eam caligo*. pro, occupet noctem illam caligo. Job. III. 6. *Aſer*, *pinguis panis ejus*. Gen. XLIX. 20. pro, pinguis erit panis Aſeris. *Gad*, *accinctus prœliabitur ante eum*: & *ipſe accingetur retrorſum*. ibid. v. 19. Ante tribum Gad armatus hoſtis conſiſtet, eumque ad prælium provocabit: cui ut Gad reſiſtat, & ipſe arma capiet, atque hoſtem retro abire coget.

Isaac. A ridendo: quaſi dicas, Riſus. *Dixitque Sara* nato hoc filio. *Riſum fecit mihi* Deus: *quicunque audierit*, *corridebit mihi*. Gen. XXI. 6.

Iscariotes. Proditoris cognomentum, ab omnibus evangeliſtis traditum. Quidam derivarunt a *ſachar*, *merces*; a mercede nimirum iniquitatis triginta argenteis. Sed neque pars vocabuli poſtrema congruit, neque credibile fit, divinitus inditum, ab eventu nomen eſſe mortalium ſceleſtiſſimo. Vero ſimilis origo ea eſt, quam præter alios indicat hebraice doctiſſimus Adolphus a S. Georgio, in præſtanti ſuo volumine *Ed veallupb*, Teſtis & Doctor, Maamar 2. Perek 32. *Dictus fuit Judas Iſch*, *h. e. vir*, *ex Karjoth oppido*. Urbem Carjoth ſitam fuiſſe in tribu Juda, compertum eſt ex Joſ. XV. 25. Non poſſum tamen non aſtipulari Hieronymo, hebraicæ antiquitatis & regioni peritiſſimo, & ſolertiſſimo indagatori, qui venditorem Chriſti Judam ortum affirmat *de tribu Ephraim*, & *de vico ejuſdem tribus Iſcarioth* L. IX. in Iſaiam, ad ejus C. XXVIII Angelus Caninius l. de Locis Novi Teſtam. Hebraicis c. 13. & Theophilus Raynaudus Operum T. IX. l. de Juda C. I. n. 5. ſq. ſuccenſent iis, qui perfidum hunc in Gallia natum ſcripſere.

Ismael. Hebraice, audiet Deus. *Vocabiſque nomen ejus Iſmael*, *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam* Gen. XVI 11.

Israel. Bis Deus nomen patriarchæ Jacob mutavit in Iſrael, Gen. XXXII. 28. & XXXV. 10. Multi nomen hoc interpretantur *Vir videns* Deum. ſed id eſſet potius *Iſchrael*, quam *Iſrael*. Cum linguæ & pronun-

nunciationis hebraicæ proprietate, cum tempore & cauſſa mutati primo nominis, cum ipſis angelis verbis, *Contra* DEUM *fortis fuiſti* (Gen. XXXII. 28.) melius conſentit explicatio altera, *Prævalens* DEO; angelo nimirum, qui DEI loco in luctatione illa functus erat.

2. Duæ domus Iſrael. Cum Judæ opponitur Iſrael, illius nomine regnum poſteritatis Davidicæ Hieroſolymam tenentis, Iſraelis autem regnum decem tribuum intelligitur, cujus urbes principes erant Jezrahel & Samaria. Inſolitus loquendi modus ille eſt: *in petram ſcandali duabus domibus Iſrael.* Iſ. VIII. 14. utrique regno, tam duarum, quam decem tribuum; omnibus Iſraelis ſeu Jacobi patriarchæ poſteris.

3. Iſrael Chriſtus. *Servus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor*. Iſ. XLIX. 3. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. ibid. v. 6. quibus Meſſiam deſignari, & ipſa res docet, & liquet ex Act. XIII. 47.

ISSACHAR. Hebraice, merces. *Dedit* DEUS *mercedem mihi*, dixit Lia mater, *appellavitque nomen ejus Iſſachar*. Gen. XXX. 18.

ITER. *Contriti ſunt montes ſeculi, incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus*. Hab. III. 6. Reges & principes ſubjecerunt ipſi ſe, aut ſubacti ſunt, ad æterni DEI adventum.

2. Itineris finis. *Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis*. Eccl. XLIII. 28. Per & propter DEUM quæque res ad ſuum finem per deſtinatum ſibi iter perducitur.

JUDA. JUDAS. Si verbum verbo reddi vis, confeſſio eſt; ſi ſenſum, laudatio: confiteri enim Hebræi dicunt pro laudare. LIA *peperit filium, & ait*: *Modo confitebor Domino & ab hoc vocavit eum Judam.* Gen. XXIX. ult. Alludens ad hoc Jacob, dum ſuis ante obitum bene precatur, *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui* Gen. XLIX. 8.

JUDEX Hebraiſmum in græcos intexuit Lucas, cum ſcripſit; *judex iniquitatis*. XVIII. 6. non qui de iniquitate cognoſcat & judicet, ſed qui ipſe iniquus ſit.

JUDICIUM. *Quoadusque juſtitia convertatur in judicium, & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde*. Pſ. XCIII. 15

Do-

Donec ſententiam ferat Divina juſtitia, cui boni omnes adhærent, quam omnes recti laudant & amant. i. e. uſque ad extremi judicii diem.

2. Judicia pro voluntate & lege Dei. *A judiciis tuis non declinavi.* Pſ. CXVIII. 102. & eodem Pſalmo ſæpe. *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ. Quia præceptum in Iſrael eſt; & judicium* Deo *Jacob.* Pſ. LXXX. 4. ſq. Præcepit & conſtituit Deus, ut neomeniæ (dies lunæ novæ) & præſertim calendæ ſeptembres, ſolennis & inſignis dies, tubarum cantu & feſto ſplendore ornentur. *Judicia mea non feciſtis, & juxta judicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, non eſtis operati.* Ez. V. 7. Ne tantum quidem me coluiſtis, quantum gentes vicinæ ſuos deos; neque virtutes illarum morales adæquaſtis. Ubi vides, judicia gentium dici earum leges, conſuetudines, inſtituta.

3. Judicia pro pœnis & ſuppliciis. Educturum ſe recipit Deus populum electum ex Ægypti ergaſtulo *in brachio excelſo, & judiciis magnis.* Ex. VI. 6. ingenti vi, veluti elato brachio ad vehementem ictum, per acerbiſſima Ægyptiorum ſupplicia.

4. Ponere in judicium. *Domine, in judicium poſuiſti eum: & fortem, ut corriperes, fundaſti eum.* Hab. I. 12. Chaldæum hoſtem noſtrum ad hoc elegiſti, ut ejus manu judicium tuum in nobis perageretur: ideo tantum ei tribuiſti robur, ut nos per eum caſtigares. Veruntamen *mundi ſunt oculi tui, ne videas malum: & reſpice ad iniquitatem*, qua Chaldæus nos ultra omnem modum vexat, *non poteris. quare* igitur *reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio* Chaldæo Hebræum *juſtiorem ſe?* v. 13.

5. Loqui judicia. pro lege agere, jus dicere, ſententiam pronunciare. Nabuchodonoſor, capto Sedecia, *locutus eſt ad eum judicia.* Ez. XXXIX. 5. Sententiam tulit, qua filios Sedeciæ occidi, ipſi oculos erui juſſit v. ſq. Iiſdem verbis id repetitur. Ez. LII. 9.

6. Judicia defenſionis. Eliam alloquens Siracides ait: *Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defenſionis.* i. e. denunciationem vindictæ. Eccl. XLVIII. 7. Narravi ſupra in Voc. *Defenſio*, ex III. Reg. XIX. 17.

7. Au.

7. Auferre judicium. *Vivit DEUS, qui abſtulit judicium meum.* Job. XXVII. 2. nempe ordinarium, inter homines uſitatum, quod bonis præmia, malis pœnam tribuit: me enim innocentem torquet, nondum contra adverſarios ut judex pronuncians.

8. In judicio, pro moderate. *Corripe me Domine, veruntamen in judicio, & non in furore tuo.* Jer. X. 24. *Te autem non faciam in conſummationem*, non conſumam penitus, *ſed caſtigabo te in judicio.* Jer. XXX. 11. *Te vero non conſumam, ſed caſtigabo te in judicio.* Jer. XLVI. ult.

9. Judicium cum Domino. Nihil non egi, inquit Meſſias, ut Judæos ad Evangelii lumen adducerem: ſed apud pleroſque *in vacuum laboravi, ſine cauſſa* (i. e. ſine fructu, incaſſum) *& vane fortitudinem meam comſumpſi, Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum DEO meo.* Iſ. XLIX. 4. Itaque tibi, Pater, judicium cauſſæ hujus committo (ita B. Hieronymus) & opus meum tibi offero. Reſpondet Pater, ſolatur, & vocationem omnium gentium pollicetur. v. 5. ſqq.

10. Judicium ſedit. Dan. VII. 10. Judicium ſedebit. ibid. v. 26: Ad judicandum ſedet (more humano loquitur, & ad ſenſum) vel ſolus Deus, vel geniorum etiam cæleſtium tanquam aſſeſſorum ſenatus.

11. Judicium diaboli. *Ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* I. Tim. III. 6. in judicium ſimile illi, in quod infelix ille genius ſuperbia victus incidit.

Judico. Pro punio, vel pœnæ metu terreo. *Per hæc enim* (per ſiccitates, tempeſtates, eluviones) *judicat populos.* Job. XXXVI. 31. Per hæc Deus punit, vel terret, ne punire cogatur.

2. Pro objurgare, arguere. *Unuſquiſque non judicet*; hebraice, non reprehendat: *& non arguatur vir: populus enim tuus, ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti.* Oſ. IV 4. Nemo reprehendat aut corrigat quemquam ex obſtinato populo, qui Deum per ſacerdotes admonentem repellit. q. d. nolite increpare, nolite operam inanem ſumere: nihil enim facient. *Judicate matrem veſtram* (ſynagogam)

judi-

judicate. Oſ. II. 2. Hebraice hic quoque: reprehendite matrem veſtram, reprehendite. Totius loci nexum oſtendam in Voc. *Soror. Si judicas eos, ſi judicas, fili hominis, abominationes patrum eorum oſtende eis.* Ez. XX. 4. Audeſne illos arguere ac damnare? id ſi audes & vis, non eſt opus, ipſorum crimina enumerare; paterna tantum & avita enarra: in his & ſua recognoſcent.

3. Judicare judicium. Ad Deum dicitur: *non injuſte judicas judicium.* Sap. XII. 13. Judicare judicium, hebraiſmus eſt, pro exercere judicium, judicare. Quidam, phraſin haud intelligentes, ſuſpicati ſunt, intentari hoc loco Divinum judicium humanis judicibus. de quo hic non eſt ſermo. *Donec judicet judicium plebis ſuæ.* Eccli. XXXV. 25. Non utique plebs judicaverat, ſed iniqui judices: ſenſus igitur eſt, Deum jus dicturum plebi ſuæ. Huc refer illud: *Non eſt qui judicet judicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non eſt tibi.* Jer. XXX. 13. Nemo de vulnere tuo apte ac vere judicat, nemo ſtatum morbi cognoſcit: quo fit, ut medicamenta non proſint.

4. Judicari, pro diſceptare. *Adducam vos in deſertum populorum*, ubi non ſunt populi; *& judicabor*, diſceptabo, *vobiſcum ibi facie ad faciem*, ſolus cum ſolis Ez. XX. 35.

5. Vincas cum judicaris. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.* Pſ. L. 6. David in hebraico active ſcripſit, cum judicabis; Paulus hæc referens, Rom. III. 4. in græco paſſive, cum de te judicatur. ſed res eodem recidit: ut appareat omnibus, qui de tuis operibus judicant, maxime cum tu genus humanum in fine ſeculorum dijudicabis, veracem te & miſericordem eſſe.

6. Judicare diem. *Alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Rom. XIV. 5. Alius certos ſibi dies imperat, quibus a definitis quibuſdam cibis abſtineat; alius nullo unquam tempore iis veſci conſtituit: agat quiſque arbitratu ſuo.

7. Judicare ſemetipſum. *Beatus, qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat.* Rom. XIV. 22. Beatus,

qui

qui ſua opinione, quam elegit & ſequitur, ſe ipſe coram Deo non condemnat; qui eam ſententiam tenet, quam tueri in Divino judicio poſſit.

Jumentum. *Onus jumentorum Auſtri.* Iſ. XXX. 6. Infelicitatem Judæis vaticinatur, quos jumenta Auſtri vocat, quia ſtolidi, vetante Deo, ad Auſtrum in Ægyptum confugiebant, nihil ibi auxilii inventuri. Feræ, per iter occurſuræ in locis illis deſertis, tum metaphorice, tum etiam in ſenſu proprio intelligi recte poſſunt.

Jungo. *Junxit*, i. e. caſtra movit, *& venit Damaſcum.* I. Mach. XII. 32.

Jupiter. Cur Jovi Hoſpitali II. Mach. VI. 2. addicti fuerint Garizæi, ex Joſepho docui Voc. *Hoſpitalis.*

Juramentum. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.* Hab. III. 9. Proferes arcum tuum, eo uſque veluti ſopitum, & ſagittis hoſtes populi tui configes, quemadmodum facturum te juraſti.

2. Dimittere nomen in juramentum. Prædicto perfidis Hebræis exitio, pergit: *Et dimittetis nomen veſtrum in juramentum electis meis.* Iſ. LXV. 15. Non alia ſupererit apud ſervos meos nominis veſtri memoria, quam ut jurantes dicant: Niſi hoc, quod facturum me juravi, ſervavero, animadvertat in me Deus, ut in Hebræos.

Juxjurandum. *Eritis in juſjurandum.* Jer. XLII. 18. Ut dicatur: Caſtiget me (vel execrando alium, Caſtiget te) Deus, ut Hebræos, qui vetante ipſo Ægyptum petierunt.

Justificatio. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis.* Pſ. CXVIII. 80. in mandatis tuis. Zacharias & Eliſabeth erant *juſti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini.* Luc. I. 6. Summa fide ſervabant, quidquid in lege præſcriptum erat. *Auferam juſtificationem tuam.* Ez. XVI. 27. leges & ritus tuos: ut ex hebraico & græco apparet. Cauſſam ibidem adjungit: quia vicinæ gentes *erubeſcunt in via tua ſcelerata.* Fons hebraicus & LXX. habent *oderunt.* propter ſcelera nimirum tua, quorum vel ipſas puderet, ut oſtenditur v. 52.

Justifico. *Omnis populus audiens, & publicani, juſtificave-*

ſicaverunt DEUM, baptizati baptiſmo Joannis. Luc. VII. 29. Approbarunt Dei conſilium, laudarunt Deum, qui Joannem miſiſſet: cum Phariſæi (v. ſq.) conſilium Dei ſpernerent, Joannem repudiantes. Eodem fere ſenſu, *juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis*. ibid. v. 35. Sapientia Divina laudata & approbata eſt ab illis, quippe agnoſcentibus, eam nihil non egiſſe, ut neceſſaria hominibus præſidia ſubminiſtraret.

2. Juſtificare impium. i. e. nocentem abſolvere. *Ne pro his omnibus confundaris.... & de judicio juſtificare impium*. Eccli. XLII. 1. ſq. Non te pudeat ſervare hæc omnia; quæ enumerat. inter ea etiam eſt ſancta judicii adminiſtratio, ne in illo impius abſolvatur.

Justitia. *Ego juſtitias judicabo*. Pſ. LXXIV. 3. Hebraiſmus eſt: juſte judicabo. Atque ita videmus eandem locutionem hebraicam ab interprete noſtro redditam. Pſ. LVII. 2. *recta judicate*. Qui autem his verbis Deum minari dicunt, ſe de bonis etiam operibus judicaturum; ſolenne ſuum obſervant, dum Dei verbum non Sanctarum Scripturarum, ſed ſuo ſenſu metiuntur.

2. Pro miſericordia. Sæpe juſtitiæ nomine miſericordia intelligitur, quam Deus convenienter promiſſis a ſe factis impertit; præſertim, ut doctiſſimus Genebrardus obſervat in Pſ. CII. n. 7., cum *juſtitia & judicium* conjunguntur, ubi illa miſericordiam, hoc vero jus & æquum indicat. Nos ipſi Pſ. CII. 6. legimus, *Faciens miſericordias Dominus*, cum hebraice ſit, *faciens juſtitias Dominus*. &: *in juſtitia tua libera me*. Pſ. XXX. 2. at Pſ. XXXII. 5.: *diligit miſericordiam*: ubi in hebraico eſt idem vocabulum. quare & D. Hieronymus poſuit: *diligit juſtitiam*. Sic etiam habemus latine: *& miſericordiam a* Deo *ſalutari ſuo*. Pſ. XXIII. 5. cum legatur hebraice, ut & Hieronymus vertit: *& juſtitiam a* Deo *ſalutis ſuæ*.

3. Pro gratia juſtum faciente. Paſſim in Paulinis epiſtolis; ut: *Juſtitia autem* Dei *per fidem* Jesu *Chriſti*. Rom. III. 22.

Justus. Iſaj. XLI. 2. ſqq. Probabilius eſt Abraham: ſub cujus tamen perſona Meſſias ipſe elucet. Abrahamo & ejus poſteris gentes & reges Deus ſubjecit.

dabit, v. 2., pro dedit, more hebraico. *Suſcepit te dextera juſti mei*. v. 10. Protegam te eadem manu, eadem potentia, qua Abrahamum; imo qua Meſſiam. vel: Meſſias meus te manu ſua tuebitur.

2. Juſtus es. Per totum Caput XLI. Iſaias regia illa ſua eloquentia contentionem inſtituit & urget, qua falſos gentium deos cum Deo vero comparat. Argumentum ultimum a prophetis ducit: *Quis annunciavit ab exordio, ut ſciamus; & a principio, ut dicamus, Juſtus es?* Quis deorum veſtrorum futura prædixit, tot præſertim ſeculis ante? quis eorum prophetas miſit eventuum remotiſſimorum nuncios? ſic enim cauſſa hæc dijudicari dicique poteſt: Tu divinitatem tibi juſte vendicas, tu Deus verus es. Sed in omni illa deorum turba *non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros*, miſeri dii, & futurorum æque, atque præſentium ignari; quippe ſimulacra ſenſu carentia. Iſai. XLI. 26. Hoc ſolus Iſraelis Deus potuit, ſolus fecit: *primus ad Sion dicet* & dixit: *Ecce adſunt* vates mei: *& Jeruſalem evangeliſtam dabo*, hunc ipſum Iſaiam, & tot alios. v. 27.

Juxta. *Quoaduſque juſtitia convertatur in judicium, & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde*. Pſ. XCIII. 15. Donec Divina juſtitia, cui omnes recti adhærent, judicium exerceat. Periphraſis eſt, pro, uſque ad ultimum mundi noſtri diem, quo Deus Homo ſententiam de omnibus pronunciabit.

L.

Labium. *Labia noſtra a nobis ſunt*. Pſ. XI. 5. Loquemur arbitratu noſtro: ſermonum noſtrorum leges a nemine accipiemus.

2. Voluntas labiorum. Pſ. XX. 3. Voluntas expreſſa verbis.

3. Labiis cædi. *Stultus cæditur labiis*. Prov. X. 8. *Stultus labiis verberabitur*. ibid. v. 10. Suis ipſe verbis doloſis irretitus, pravorum ſermonum pœnas dabit.

4. Aſcendere ſuper labium. *Aſcendiſtis ſuper labium linguæ, & opprobrium populi*. Ez. XXXVI. 3. Omnium

mnium fabula & probrum eſtis: omnium ſermonibus vapulatis.

Labor, nomen. Majeſtate altaris mei ſpreta, deterrima quæque offertis, Caini more; *& dixiſtis, Ecce de labore*, labore noſtro partum eſt; qualecunque eſt, ſufficiat: *& exſufflaſtis illud*, contempſiſtis altare, *dicit Dominus exercituum*. Malac. I. 13.

Labor, verbum. *Notus a longe potens lingua audaci: & ſenſatus ſcit labi ſe ab ipſo*. Eccli. XXI. 8. Si de viro potente conſtet, eſſe linguæ intemperantis & injurioſæ; prudens caute ſe ſubducet, gnarus, quam facile in lapſum impelli ab eo poſſit.

Laboro. *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris*, dicentes: *Omnis, qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi eſt* Deus *judicii?* Mal. II. ult. Dicitis impie, conſpecta profanarum gentium felicitate, e quibus contra legem conjuges duxiſtis: Favet Deus etiam ſuis hoſtibus, nec illi diſplicent eorum crimina: cur enim, ſi ita non eſt, non eos judicio & pœna perſequitur? Hæc dum per ſummam impudentiam Deo objicitis, laborare eum feciſtis; hebraice, fatigaſtis; græce, exacerbaſtis, ad iram provocaſtis.

Lac. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*. Pſ. CXVIII. 70. D. Hieronymus: ſicut adeps. Vocabulum hebraicum pro varietate punctorum utrumque ſignificat. Cor denſum, pingue, inſtar coeuntis lactis, inſtar adipis; expers nimirum ſenſus omnis ad res Divinas percipiendas.

2. Lacte & melle fluens terra. Adagialis loquendi modus, de ſolo paſcuorum & mellitorum fructuum fertiliſſimo. Ita ipſi explicant, dum de terra promiſſa referunt ad Moyſen: *re vera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt*. Num. XIII. 28. Accedit & apum in illis regionibus abundantia.

Lacero. *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Job. XIII. 14. Locutio figurata. Quare ita lamentor, ut vobis inſtar furioſi eſſe videar, qui carnem ſuam dentibus lacerat? quare nil niſi mortem deſidero & expecto?

Non quaſi de bonitate Divina deſperem: nam *etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo*. v. ſq.

Lachis. *Tumultus quadrigæ ſtuporis habitanti Lachis: principium peccati eſt filiæ Sion, quia in te inventa ſunt ſcelera Iſrael*. Mich. I. 13. Urbs impia, quæ prima omnium in regno Juda ad exemplum regni Iſrael ſimulacra coluit, & Jeroſolymam in idem flagitium traxit. Plectetur ab Aſſyriis, quorum ubi quadrigas adventantes audiet, ſtupore attonita hærebit.

Lacinia. In tumultu captæ Hieroſolymæ *erraverunt* pavore amentes & *cæci in plateis*: in tanta occiſorum copia identidem in cadavera incurrentes, *polluti ſunt in* eorum *ſanguine*: *cumque non poſſent* occurſum hunc evitare, levantes extremam veſtium oram, *tenuerunt lacinias ſuas*, ne occiſorum ſanguine inficerentur. Occurrentibus vero aliis, qui minus cauti ſanguine cadaverum ſe macularant, *Recedite polluti*, *clamaverunt eis*: *recedite*, *abite*, *nolite* nos *tangere*. Inclamant ſæpius, illis retro cedere recuſantibus: *jurgati quippe ſunt*, & *commoti dixerunt inter gentes*: *Non addet ultra ut habitet in eis*: Hebræorum populus (in fonte enim hebraico pluralis eſt numerus (deinceps jam non habitabit in his oris. Thr. IV. 14. ſq.

Lacrymor. Siquis convivam te invitaverit, veſcere modeſte ac temperanter: alioquin, ſi forte vir avarus eſt, & oculo nequam, is qui te vocavit, *ab omni facie ſua lacrymabitur*. Eccli. XXXI. 15. te liberaliter indulgente genio, ipſe ubertim flebit. hebraice, *a facie ſua omni*: dolebit, ut quemque aſſidentium, ut quodque ferculum aſpexerit, ſi avidius id carpi videbitur. Itaque *ne comprimaris in convivio*, (v. 17.) ne cibo nimio diſtendaris.

Lacto. *Ecce ego lactabo eam*, & *ducam eam in ſolitudinem*, & *loquar ad cor ejus*. Oſ. II. 14. Falluntur, qui hoc de lacte vel manna præbito intelligunt. Verbi *lacto* apud Latinos veteres gemina eſt notio. Prima a matrum & nutricum lacte: ſuo lacte alere. Altera a *lacio*, cujus veſtigia in Sexti Pompeji, & Nonii Marcelli fragmentis ſuperſunt. ſignificabat idem, quod hodie quoque compoſita, allicio, illicio. Inde ortum

ortum *lacto*, ſæpe aut valde illicio. unde nata ſunt oblecto, delecto, oblector, delector. Hoc ſenſu verbum eſt medium, quod in malam partem acceptum ſignificat fallere, decipere; in bonam, ut hoc loco, blande ad bonum ſuum & utilitatem inducere. Ait ergo Deus: ſuaviter eam alliciam, & ab amatoribus ſuis (diis gentium) in ſolitudinem abducam, ibi eam conſolaturus. Idem eſt ſenſus, idemque verbum hebraicum, Prov. I. 10. *Si te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*. ſi pellicere te, ſi perſuadere tibi malum conati fuerint. Memorabilis eſt locus Job. XXXI. 27. *Et lætatum eſt in abſcondito cor meum*. ubi verbum hebraicum idem eſt: ex quo vides, librariorum errore ſcriptum eſſe *lætatum* pro *lactatum*: teſtatur nimirum Jobus, ſe illectum non eſſe ſolis & lunæ ſplendore, ut Divinum eis honorem tribueret. Quod aptiſſime confirmatur ex ejuſdem Capitis v. 9., ubi ex illa ipſa voce hebraica noſter vertit: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere*.

Lacus. *Furto ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum*. (i. e. in carcerem.) ita Joſeph Gen. XL. 15. Ex græco *laccos*, fovea: quo LXX. uſi hoc loco ſunt. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. i. e. de loco carceris. Zach. IX. 11. Per ſanguinem tuum, Meſſia, qui ſanguis novum teſtamentum eſt, ſeu novum fœdus cum Patre Divino, liberaſti electos e carcere limbi, & vinculis peccati.

2. Pro ſepulcro. *Nequando taceas a me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum*, in foveam ſepulcralem. Pſ. XXVII. 1. Noli preces meas tacitus aſpernari, ne ſine te peream, ne moriar. Sic & Pſ. CXLII. 7. Sic Tyro urbi interitus denunciatur Ez. XXVI. 20. *Cum detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum*, ad mortuos; *& collocavero te in terra noviſſima*, in ſepulcro. *Cum dedero gloriam in terra viventium*, cum gloriam meam inter homines manifeſtabo, populo meo libertatem reſtituendo: *in nihilum redigam te, & non eris*. ibid. v. 21. Ezechias quoque in cantico: *neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam*. Iſ. XXXVIII. 18.

Non laudabunt te mortui (ut ſoſpitalem, & vitæ ſervatorem) quia nemo ſepultorum expectare jam poteſt beneficia viventibus promiſſa.

3. Fugere ad lacum. *Hominem, qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet.* Prov. XXVIII. 17. Qui per calumniam in capitali judicio innocentem oppreſſerit, ejus neminem miſerebit: ſi currentem ad præcipitium viderint, non retinebunt.

4. Lacus leonum. Pro fovea, in qua hæ belluæ ſervabantur. Dan. VI. 7. ſqq. & XIV. 30. ſqq. Bis Daniel leonibus in fovea objectus, bis evaſit. Cauſſa altera fuit tumultus Babyloniorum, qui invito rege *miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex.* Dan. XIV. 30. liberavit eum rex, cum incolumem reperiſſet *die ſeptimo.* ibid. v. 39. ea res geſta Babylone. ibid. v. 33. ſqq. Altera fuit cauſſa invidia Medorum atque Perſarum, qui & ipſi regem ſuum Darium coegere, ut leonibus devorandum exponeret. ibi Daniel unam tantum noctem hæſit: nam *rex primo diluculo conſurgens, feſtinus ad lacum leonum perrexit.* Dan. VI. 19. id contigit in urbe Darii regia. Qui propterea Danieles duos excogitarunt, acriter, nec immerito, hunc in modum a pereruditio ac perdiligente interprete Jacobo Tirino ad Dan. ult. 30. perſtringuntur: *Quod enim olim nonnulli apud S. Hieronymum ex corruptis LXX. interpretum exemplaribus finxerunt, alium eſſe hunc Danielem draconis interfectorem ab illo ſatraparum principe ſub Dario: paſſim ab aliis omnibus rejicitur, neque eccleſia agnoſcit niſi unum Danielem.*

Laguncula. Dominus *confringet lagunculam.* Eſ. X. 33. Terribilem illum Sennacheribum, tanto impetu irruentem, una nocte conteret, facilius, quam nos vilem & fragilem teſtam.

Lamia. Græci lamiam inter piſces numerant. *Verum lamia*, inquit ſolers regni animalium inveſtigator Ulyſſes Aldrovandus Ornitholog. L. VIII. c. 8., *ad quadrupedes potius referenda eſt.* Thren. IV. 3., ubi nos lamias habemus, in hebraico, græco, chaldaico ſunt dracones; in ſyriaco, & arabico canes ſylveſtres. Deplorat igitur

igitur Jeremias, quod, cum beſtiæ ſuos fœtus alant, Jeruſalem ſuos perire fame patiatur, ſtruthiocamelo ſimilis, quem ova ſua negligere narrant veteres.

2. Pro ſpectro. Everſis urbibus late omnia deſerta erunt: & nequis hominum ibi perſiſteré, aut reædificare diruta audeat, *occurrent dæmonia onocentauris*, *&* *piloſus clamabit alter ad alterum : ibi cubavit lamia*. Iſ. XXXIV. 14. Tumultuabuntur obſeſſores loci dæmones, varias formas induti.

Lampas. Nabuchodonoſoris duces & milites, ad Niniven deſtruendam approperantes, *in itineribus conturbati ſunt*, præ multitudine diſcerni nequeunt: *quadrigæ colliſæ ſunt in plateis*, tantæ copiæ non ſufficientibus: *aſpectus eorum quaſi lampades*, dum ira incenſi ardent, & veluti ſcintillant: *quaſi fulgura diſcurrentia*, celerrima, & fulmen præſens minitantia. Nah. II. 4.

Lapillus. Amos IX. 9. Dixi de loco hoc in Voc. *Cribrum*.

Lapis. Joſeph dicitur *paſtor & lapis Iſrael*. Geneſ. XLIX. 24. Nutriit enim patrem, totamque ejus domum; Ægyptum univerſam; imo & finitimos populos. Iſraelis autem felicitati firmiſſimus lapis fuit, in quo illa fundata inniteretur.

2. Lapis Chriſtus. *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt*. Zach. III. 9. Lapis unus, ſingularis, fundamentum totius eccleſiæ. Neque lapis hic ſenſu caret: oculatus eſt. habet *oculos ſeptem*, *qui ſunt ſeptem ſpiritus* Dei, *miſſi in omnem terram*. Apoc. V. 6. Per hos genios dirigit ædificium eccleſiæ in ſe uno innixum, & in omnes ejus partes dona ſeptem Spiritus Sancti copioſe diffundit. De hoc lapide dicit Dominus: *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum : & educet lapidem primarium*, *& exæquabit gratiam gratiæ ejus*. Zach. IV. 7. Mons magnus eſt ſuperbus Lucifer, opponens ſe electo populo, ejuſque duci: quem Deus in planum deducet. Eo dejecto, in lapide primario Chriſto ædificabitur eccleſia, cui obtinget abundans gratia pro menſura gratiæ Chriſti. De eodem Meſſia pollicetur Dominus: *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fun-*

damento fundatum; non tamen ſtatim, ſed ſuo tempore: ideo, *qui crediderit, non feſtinet*, non præpropere hæc impleri cupiat. Iſ. XXVIII. 16.

3. Lapis oneris. *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui levabunt eam, conciſione lacerabuntur.* Zach. XII. 3. Allegoria ex antiquiſſima Palæſtinæ conſuetudine, quæ ad Hieronymi uſque tempora perſeveravit. Exercebantur juvenes, & virium magnitudinem oſtendebant tollendo prægrandem lapidem. Jeruſalem, inquit, nova Chriſti eccleſia, erit hujuſmodi lapis, quem adverſarii multi conabuntur tollere: ſed ejus pondere ſuperati, lacerabuntur vulneribus, & re infecta deſiſtere cogentur.

4. Lapides ſacculi. *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt: & opera ejus omnes lapides ſacculi*. Prov. XVI. 11. inepte quædam editiones habent *ſæculi*. Rerum pondera veteres calculis & lapidibus menſi ſunt: qui in ſacculis aſſervabantur, nequo dolo aut caſu juſtum pondus immutaretur. Æquiſſima Dei judicia & mandata ſunt.

5. Lapides cineris. *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus, cum poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci & delubra*. Iſ. XXVII. 9. Peccatum toto orbe per Chriſtum delebitur, poſtquam templum Hieroſolymis combuſtum erit, poſtquam lapides altaris dejecti, alliſi, & flammarum vi diſſoluti fuerint. tum omnis falſorum numinum religio deſinet. Solyma vero ita erit deſerta, (v. 10.) ut innaſcentes nudo ſolo herbæ paſtionem animantibus præbituræ ſint. *vitulus - - - conſumet ſummitates ejus*, depaſcet gramina, quibus everſarum turrium rudera veſtientur. Peribit (v. 11.) jam matura meſſis, quod viri deſint, qui metant. ſolæ aderunt *mulieres venientes, & docentes eam*. quæ luctum præcipiant, inquit Sancius, & verba præeant. quemadmodum eſt apud Jeremiam: *Vocate lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ ſapientes ſunt, mittite*. IX. 17. & paulo poſt: *Mulieres - - - docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum*. IX. 20.

6. Pa-

6. Pactum cum lapidibus. *Cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi*. Job. V. 23. Nec te lædent beſtiæ, nec ſaxa, ſive per viam occurrentia, ſive e rupibus decidentia: tanquam ſi pactione facta nocere tibi non auderent. Erudite Pineda de *ſcopeliſmo* exponit, Arabiæ proprio, recitatque totam ex Ulpiano legem. Scopeliſmum vocabant, cum inimici in prædio ejus, quem oderant, lapides ponerent, eoque indicio mortem intentarent, ſiquis agrum hunc auſus eſſet colere. quo fiebat, ut mortis timore incultum ſolum relinqueretur. Scopeliſmum hunc intelligi, *optimum atque leniſſimum* Pinedæ judicio *videri jure debet*. in Job. V. 23. num. 7. nimirum, hos etiam terrificos lapides viro bono tam parum timoris incuſſuros, ac ſi non ab hoſtibus poſiti, ſed a fœderatis eſſent.

7. Amplexari lapides. Omnium rerum egeni, tecto & veſtimento carentes, *quos imbres montium rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides*, i. e. in ſpeluncas ſe abdunt. Job. XXIV. 8.

8. Lapis caliginis. *Univerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & umbra mortis*. Job. XXVIII. 3. Omnium finem Deus novit, & ſpeciatim lapidem ſepulcralem hominis, & ejus ſtatum poſt mortem.

9. Lapides in hyeme. *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme*. Eccli. XXI. 9. Ædificium inique exſtructum non durabit, inſtar parietis tempore hyberno ducti, cujus lapides non diu cohæreſcunt, frigore calcis firmitudinem impediente.

10. Lapides igniti. *In medio lapidum ignitorum ambulaſti*. Ez. XXVIII. 14. circumdatus gemmis fulgurantibus.

11. Virtus lapidis. *Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam*. Eccli. VI. 22. Sapientia inſtar gemmæ aut lapidis Lydii eſt, quæ nemo projicit, ubi verum eorum pretium intellexit. Ita aliqui. Sed multo melius, & præcedentibus congruentius ſic: Inſipientes & vecordes (de his enim modo

modo ſcripſerat) pondus ſapientiæ ferre non poſſunt, ſed ſuccumbentes oneri eam projiciunt, tanquam lapidem viribus ſuis graviorem.

Laqueus. Ipſe quidem Deus populum ſuum ſanctum, & legem glorioſam eſſe voluit: ſed populus ſua ipſius culpa eſt *direptus & vaſtatus*: *laqueus juvenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt*. Eſai. XLII. 22. omnes valide illaqueati, & filios ſuos iiſdem in laqueis retenturi.

Later. *Subigens tene laterem*. Nah. ult. 14. Niniven jubet inter alia ſuſtinendæ obſidioni neceſſaria præparare lateres, quibus labefactatas murorum & mœnium partes redintegret; tametſi fruſtra, ut ſtatim indicat.

Latitudo. *Ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſivi*. Pſ. CXVIII. 45. magna cum facilitate, & lætitia, quæ cor dilatat.

2. Pro ampla regione. *Sicut vacca laſciviens declinavit Iſrael: nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine*. Oſ. IV. 16. Agi eos jubebit in ſpatioſiſſima regna Aſſyriorum & Medorum captivos, ubi non jam vagentur libere inſtar vaccæ laſcivientis, ſed ut imbecilles ac timidi agni ſub domino ſint.

Latro. Baana & Rechab, qui ſub Isboſetho militantes, eum occiderunt, dicuntur *principes latronum*. II Reg. IV. 2. hebr. græc. & chald. duces copiarum. Razon quoque, contra Salomonem inſurgens, nobis eſt *princeps latronum*. III. Reg. XI. 24. hebr. dux copiarum. Militaris eſt allegoria Jobi: *Simul venerunt latrones ejus*, (hebr. turmæ ejus, cohortes ejus,) *& fecerunt ſibi viam per me, & obſederunt in gyro tabernaculum meum*. Job. XIX. 12. Dolores & cruciatus ſuos appellat Dei exercitum. Secutus eſt interpres noſter antiquiſſimam Latinorum conſuetudinem: nam, ut ex Varrone, Plauto, Feſto, & Servio diſcimus, latrones olim vocabant eos, qui latus tegebant, ſtipatores corporis, & milites.

Latus, ſubſtantivum. *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit*. Pſ. XC. 7. *A latere*; intellige, ſiniſtro. nam quoties Hebræi nomen generis ſpeciei conjungunt, genus eſt conditionis deterioris. *Mille & decem millia*, numerus

certus

certus pro incerto. Undique circa te cadent innumeri. te incolumi.

Latus, adjectivum. *Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Pſ. CXVIII. 96. Res alias omnes, quantumvis perfectas, videmus interire: ſola Dei voluntas & lex firma eſt & perpetua.

Laudatio. *In perditione impiorum erit laudatio.* Prov. XI. 10. Pereuntibus impiis, exiſtet gratulatio publica, laudabitur ab omnibus Divina juſtitia.

Laudo. *Laudaverunt* (i. e. cecinerunt) *laudem ejus.* Pſ. CV. 12.

2. Laudari, pro gloriari. *Laudamini in nomine ſancto ejus.* Pſ. CIV. 3.

3. Laudare ſermonem. *In DEO laudabo ſermones meos.* hebr. verbum ejus. Pſ. LV. 5. Deum propter verbum ejus laudabo; propter facta mihi promiſſa, *ſermones meos*; & propter eadem impleta, verbum ſeu opus ejus: nam *verbum* Hebræis tam res, quam oratio eſt. Paul. poſt v. 11. ubi idem repetitur, ſola eſt iteratio ejusdem vocabuli *davar* in hebraico, ubi nos legimus *verbum* & *ſermonem*. Figura proinde eſt Repetitionis, ne alia myſteria incaſſum quæras.

Lavo. *Lavi inter innocentes manus meas.* Pſ. LXXII. 13. Mentem puram ſignificat, & operum innocentiam. Lavare manus, aut pedes, indicat etiam illius rei abundantiam, de qua ſermo eſt. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Pſ. LVII. 11. Lætabitur) inquit D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 6. ad 3.) ſicut ipſe Deus, non *in perditione impiorum*, ſed *in ſua juſtitia; quia juſtus Dominus, & juſtitias dilexit.* Quod additur; *manus ſuas lavabit*, vel; ut eſt hebraice, pedes ſuos lavabit; non eſt ita craſſe accipiendum, ſed figurato ſenſu: tanta erit copia profuſi ſanguinis, ut eo lavari pedes manuſve poſſint. *Lavabam pedes meos butyro.* Job. XXIX. 6. Non, quid fecerit, narrat; ſed quid potuerit, ſi fuiſſet collibitum, ſola indicatur olei affluentia & ubertas.

Lebes. *Moab lebes ſpei meæ.* Pſ. CVII. 10. *Moab olla ſpei meæ.* Pſ. LIX. 10. Utrobique hebr. Moab olla ſeu lebes lavationis meæ. videlicet pollubrum, in quo manus

manus aut pedes lavet. Oſtendit, Moabitas a ſe armis ita fractum iri, ut imperata facere quælibet cogantur, etiam viliſſima & maxime probroſa.

2. Lebes Jeruſalem Jeremiam Dei nomine ſuadentem, ut Hieroſolymam Chaldæo victori dederent, exploſerunt incolæ, dicentes: *Nonne dudum ædificatæ ſunt domus? hæc eſt lebes, nos autem carnes.* Ez. XI. 3. Quaſi neſcias, haud ita pridem ædificata eſſe urbis munimenta & propugnacula. cur igitur eam hoſti tradamus? Quia vero Jeremias I. 13. per ollæ ſuccenſæ imaginem eos terruerat, illudentes reponunt; Hæc ipſa urbs eſto lebes; nos carnes, hac in olla ſeu lebete coquendæ potius, quam in poteſtatem hoſtium veniamus. Ludibrio huic per prophetam alterum reſpondet Deus: *Interfecti veſtri --- hi ſunt carnes, & hæc eſt lebes: & educam vos de medio ejus.* Ez. XI. 7. Occiſi veſtri cives erunt ſane carnes in olla hac relinquendæ ac decoquendæ. Vos vero non hic coquemini, ſed extra lebetem hunc: extraham vos: *hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio ejus in carnes: in finibus Iſrael judicabo vos.* ibid. v. 11. Nam Reblatham educti, ibique interfecti ſunt. IV. Reg. XXV. 21. Jer. LII. 10. & 27.

3. Lebetes quaſi phialæ. *Erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Jeruſalem & in Juda ſanctificatus Domino ---- & non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.* Zach. ult. 20. ſq. Tot erunt lebetes, in quibus victimarum carnes ſolebant coquere; quot phialæ, in quibus odores incendebantur: & quidem non ementur hæc pretio a mercatoribus, ſed gratis omnia ſuppeditabuntur. Hæc in lege Moſaica nunquam impleta ſunt; ſed in ſenſu primario ſcripta de Chriſti eccleſia, in hac omnibus & ubique præſto eſt ſacrificium, & quidem gratis; ſemper & ubique facultas adorandi ſuppetit *in ſpiritu & veritate.* Joann, IV. 23.

Legatus. *Auditum audivimus a Domino, & legatum ad gentes miſit.* Abd. v. 1. Arcanum Domini ſermonem audivi: miſit ille ad gentes inſtar legati ſui, non quidem e cæleſtibus geniis aut prophetis aliquem, ſed motum vehementem immiſit animis, quo populos con-

contra Idumæos hoſtes Hebræorum acerbiſſimos incitaret. Unde illæ voces ſubitæ ad bellum ſe mutuo animantium: *Surgite*, *& conſurgamus adverſus eum*. Edom ſeu Idumæum, *in prælium*. ibid. Similia leguntur Jer. XLIX. 14. quo quidem Capite pæne omnia continentur, quæ Abdias Idumæis prænunciat.

Legitima. Pro legibus, inſtituto, conſuetudinibus. Deus ad Salomonem: *Si ambulaveris coram me --- & legitima mea & judicia mea ſervaveris*, cet. III. Reg. IX. 4. *Nec in legitimis eorum*, Ægyptiorum & Chananæorum, *ambulabitis*. Lev. XVIII. 3. *Nolite ambulare in legitimis nationum*. Lev. XX. 23.

Leo. *Conculcabis leonem & draconem*. Pſ. XC. 13. Leonem hunc eſſe genus ſerpentis, *vaſtæ incredibiliſque molis*, perſuadere conatur Joannes Camærenſis in Promptuario Tropologico. P. I. l. III. c. 19. Nicandri potiſſimum loco in Theriaca nixus.

2. Iſaias leo. Diu noctuque excubans *ſuper ſpeculam Domini* leo (Iſ. XXI. 8.) eſt ipſe Eſaias.

3. Leo pro Nerone Cæſare. II. Tim. IV. 17.

Levi. q. d. conjunctio. Gen. XXIX. 34.

Leviathan. Indicari hoc nomine draconem marinum, quem cetum aut balænam dicimus, non belluam terreſtrem, oſtenditur ex Pſ. LXXIII. 14. & CIII. 26. ubi hebraice eſt Leviathan: qua de re monui Voc. *Draco*. Tota Leviathanis deſcriptio extat apud Jobum a XL. 20. ad XLI. ult. In ea quidquid obſcurum videri poteſt, hic delibabo. Tune, inquit ad Jobum Deus, balænam capies? *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* XL. 22. poetice dictum. Num tu belluam hanc vel terrebis, vel domabis? an eam (v. 25.) inter epulas amicis appones, aut vendentibus divides? Age (v. 27.) adorire illam, ſi audes: ſed memento periculi, in quod te certamen hoc adducturum eſſet. Deſine igitur loqui magnifice: nam (v. 28.) quisquis balænam aggreſſus fuerit, ſpe ſua fruſtratus, infortunium non evitabit. *Quis revelabit faciem* (i. e. ſuperficiem, more hebraico) *indumenti ejus?* XLI. 4. quis pellem ceto detrahet? Quis (v. 5.) os ejus vi aperiet? *Sternutatio ejus ſplendor ignis*. v. 9. Vehementi anhelitu

aquam

aquam ante ſe impellit, quæ magno impetu ſparſa, ſimilis videtur ſternutamento, per ipſam humoris colliſionem lucenti. quo ſenſu metaphorico (v. 10.) procedere lampades ex ejus ore dicuntur, & (v. 23.) poſt eum lucere ſemita, & mare ſeneſcere: quia caudæ percuſſione fluctus excitati ceu iris micant, & ſpumantes incaneſcunt. *Oculi ejus, ut palpebræ diluculi*, ut aurora, v. 9. quia, ut ſcriptores perhibent, noctu efful gent, & tenebras diſpellunt. E naribus (v. 11.) halitum & aquam violenter proflat. eſt autem anhelitus ejus (v. 12.) tam validus, ut e carbonibus elicere flammam poſſet. *Faciem ejus præcedit egeſtas*. v. 13. certa pernicies iis imminet, quos invadit. *Mittet contra eum flumina*, (alii *fulmina* legunt: ſed hebraica & græca priori favent) *& ad locum alium non ferentur*. v. 14. nimirum *membra carnium ejus*. Tam firma illi ſunt membsa, ut, ſi vel ad oſtium fluminis delatus fuerit, aquarum incurſu a via ſua non dimoveatur. Vel: ne quidem fulminante cælo terretur, ut retro vertatur. *Cum ſublatus fuerit*, cum verticem erexerit, ad pugnam irruens, *timebunt angeli*, hebraice fortes, *& territi purgabuntur*. v. 16. etiam robuſtiſſimi quique viri timebunt, ſeque excuſabunt, certamen detrectantes. Solis radios (v. 21.) excuſſa impulſaque in altum aqua obtegit, ut ex obliquo videri nequeant: & aurum, aliaſque merces pretioſiſſimas, everſis navibus quaſi lutum in mari diſpergit. Sublimia quæque deſpicit, (v. ult.) quippe princeps animalium omnium, etiam ſuperbiſſimorum, quæ in mari ſunt; *rex omnium aquatilium*, ut vertunt LXX. Senſu myſtico tota hæc Leviathani deſcriptio ſatanam ſignificat.

2. Suſcitare Leviathan. *Maledicant ei*, nocti meæ primæ, qua oriri cœpi, *qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan*. Job. III. 8. Qui Leviathan etiam hic eſſe balænam cenſent, nautas intelligunt, jam paratos ad inſectandum cetum: qui ſi repentina tempeſtate a propoſito cogantur deſiſtere, ſpe prædæ dejecti, maledictis onerant diem ſibi infauſtum. *Quid vero*, inquit in hunc locum ſubtilis Mariana, *ſi impliciſſime dicamus, Leviathan canticum ſignificare, ſic vulgo*

inter

inter Hebræos dictum; *in quo multæ execrationes continebantur?* Addit ejus gentis proverbium, Non debere mulierem die feſto ſuſcitare Leviathan. Sane Hebræi doctores paſſim *Leviathan ſuſcitare* interpretantur de lamentatione & querimonia.

3. Leviathan ſerpens. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum, qui in mari eſt*. Iſ. XXVII. 1. Judicium indicatur de ſatana, cœptum in Domini cruce, & magno illo die perficiendum, quo coram hominibus omnibus Chriſtus Judex gladio oris ſui eum proſternet. Dicitur ſerpens hic marinus immanis, ſeu cetus, ſerpens vectis; quia robuſtiſſimus draco, & valide includens eos, quos aliquando ad inferos detraxit. tortuoſum appellat, quia verſutiſſimum.

Levis. *Levis eſt ſuper faciem aquæ*. Job. XXIV. 18. Contexe cum ſuperioribus: qui crimina ſua nocturna perſequitur, tam levi ac ſuſpenſo pede illabitur, tam ſine ſenſu, ut ſupra aquæ ſuperficiem incedere videatur.

Levo. *Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſuper ſe*. Thr. III. 28. Non, ut multi aſcetæ magno duce, levavit ſe ſuper ſe; ſed, quia jugum levavit ſuper ſe, quia pœnam ſervitutis a Deo ſibi impoſitam patienter tulit.

2. Levare planctum. Amos V. 1. lamentari.

3. Levare manum. Jurantis eſt. Sic Abrahamus jurat, nihil ſe accepturum ex præda: *Levo manum meam ad Dominum*. Gen. XIV. 22. Ipſe Deus, de terra promiſſa loquens, ait: *terram, ſuper quam levavi manum meam ut darem eam Abraham, Iſaac & Jacob*. Ex. VI. 8. Idemque modus loquendi de Deo legitur Num. XIV. 30. II. Eſdr. IX. 15. & in Ezechiele ſæpius.

Lex. *De lege tua miſerere mei*. Pſ. CXVIII. 29. Dignare me lege tua: per gratiam tuam fac me legis tuæ participem.

2. Longe fiet lex. Populum conſolans propheta, Aderunt, inquit, poſt captivitatem dies, quibus ædificia tua collapſa inſtaurabuntur: *in die illa longe fiet lex*, videlicet Babyloniorum. Mich. VII. 11. Soluti hac lege & ſervitute Hebræi (v. 12.) redibunt in patriam

ex

ex imperio Babylonio ſeu Chaldaico, imo inde ab Aſſyriis finibus: & primo quidem ſecuritatis gratia ſe munitis urbibus continebunt: deinde in totam regionem circa Jordanem diffundentur: occupabunt denuo Palæſtinam univerſam a mari Galilææ ad mediterraneum, & a montibus aquilonaribus ad auſtrales uſque. Tum (v. 13.) terra Babyloniorum, a Perſis & Medis vaſtata; propter incolarum ſcelera ſquallebit. Paſce, o Deus, (v. 14.) populum tuum.

Libanus. Et montis nomen eſt, & apud Græcos tus ſignificat. *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Eccli. XXIV. 20. ſq. In longa hac odorum ſerie, non montem, ſed ipſum thus collocaſſe Siracides credendus eſt. Thus atomum ſeu non inciſum entomo ſive inciſo præferunt. *Quaſi Libanus* (vel *libanus*) *odorem ſuavitatis habete*. Eccli. XXXIX. 18. Suavem bonæ famæ ac virtutum odorem & thus exprimere poteſt, & mons Libanus, cedris, ſtirpibus turiferis, & aliis arboribus fragrans.

2. Pro templo. Ez. XVII. 3. Vaticinium celeberrimum de templi, & urbis, totiuſque regni excidio, *Aperi Libane portas tuas*, cet. Zach. XI. 1. ſqq. diſtincte a me exponitur Voc. *Abies*. *Iniquitas Libani operiet te: & vaſtitas animalium deterrebit eos de ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea.* Hab. II. 17. Quia iniquus in templum fuiſti, punieris: & *eos*, ſocios tuos, qui ceu feræ ſævierunt, occidendo, ac inique terram & incolas vaſtando, ingentia mala & ſupplicia terrebunt.

3. Pro rege Sennacherib. *Subvertentur condenſa ſaltus ferro: & Libanus cum excelſis cadet.* Iſ. X. ult. rex & exercitus cecidit; hic in caſtris a vaſtatore genio, ille domi a filiis interemptus.

4. Libanus in Charmel. *In brevi convertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur.* Iſ. XXIX. 17. Libanus magna arborum pompa ſpectabilis, pleraſque tamen ſteriles habet. at Carmelus fertilitate

litate

litate notiſſimus eſt. Inquit ergo: Suo tempore, quod omne breviſſimum Deo eſt, ſterilitas gentium per Chriſtum in ubertatem mutabitur, & Synagoga olim feraciſſima ſylveſcet.

Liber, ſubſtantivum. Cum vacillarent multi, præſentem impiorum felicitatem videntes: viri probi, Deumque timentes, providentiam ejus & juſtitiam immobiles tuebantur. *Et attendit Dominus, & audivit: & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum*. Mal. III. 16. Condidit Deus æternum decretum, quo ſervis his ſuis fidelibus merces æqua ſancitur.

2. Pro epiſtola. Iſ. XXXVII. 14. & XXXIX. 1. Jer. XXIX. 1.

3. Pro codicillo ſeu literis emptionis. Jer. XXXII. 10. ſqq.

4. Liber repudii. Meſſiæ indignantis vox, contra Synagogam ſibi Sponſo ſuo perfidam: *Quis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram*. Iſ. L. 1. Flagitiis veſtris irritatus, matrem cum liberiis repudiavi ac deſerui, poſtquam ipſi tartareis hoſtibus futilium commodorum ac voluptatum pretio vos ultro vendidiſtis.

5. Liber pro actis judicialibus, quæ vulgo *protocollum* dicunt. Job. XXXI. 35.

6. Liber Dei, pro ejus ſcientia. Pſ. CXXXVIII. 16. quem locum habes Voc. *Imperfectus*.

7. Liber vitæ. Rogat Moyſes, ut vel Deus ignoſcat populo, vel ipſum de libro ſuo deleat. Ex. XXXII. 31. ſq. de libro nimirum vitæ præſentis æternæ enim jacturam quis peteret? & ſiquis alius faceret, certe amantiſſimum Dei Moyſen ſeparari ab eo in perpetuum velle, pro monſtro eſt. Reſpondet v. ſq. Deus, nolle ſe innocentem morti addicere, ſed peccati reos.

Liber, adjectivum. *Inter mortuos liber*. Pſ. LXXXVII. 6. Multi Chriſto ſoli id proprium eſſe dicunt, quippe qui unus omnium mortuorum teneri vinculis mortis non potuit, ſed e ſepulcro libere prodiit. Hoc tamen iſtius loci non eſt: illa enim Chriſti libertas eſt

glorioſiſſima: in pſalmo autem, quæ præcedunt & ſequuntur, ærumnoſa ſunt omnia. Eadem vox hebraica, qua hic utitur Pſaltes, Job. III. 19. de ſervo quolibet mortuo legitur. Ita ergo *liber* Hebræis eſt mortuus, ut Latinis *defunctus*, omnibus nempe curis, & vitæ negotiis.

Libero. Spiritus Divinæ Sapientiæ *non liberabit maledicum a labiis ſuis*. Sap. I. 6. Non ſinet impunitum ob labiorum ſuorum delicta.

Libertas. Simoni Pontifici propter immortalia merita decreverunt Hebræi *libertatem*. I. Mach. XIV. 26 i. e. poteſtatem ampliſſimam, principatum liberrimum & perpetuum, ut deinceps v. 35. & 42. ſqq. declarant.

Libys. *Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo*. Nah. III. 9. Avertit Propheta ſermonem ab urbe Ninive, quam Capite hoc alloquitur, ad Alexandriam. Tota quidem, inquit, Africa tibi favet, & illa maxime ejus pars, quæ Libya dicitur. hujus incolæ ſunt Libyes.

Lignum. Paſſim pro arbore. Ita in Pentateuchi & Pſalterii limine, Gen. I. 11. ſq. Pſ. I. 3. *Lignum*, i. e. arbor, *vitæ*. Gen. II. 9. & Apoc. XXII. 2.

2. Corruere in ligno. Inter alias captæ Hieroſolymæ calamitates, *pueri in ligno corruerunt*. Thren. V. 13. Opinantur quidam, in crucem actos. ſed his aſſentiri me vetat poſtremum vocabulum *corruerunt*. Alii ſub lignorum faſcibus, alii labore molæ ſeu piſtrini periiſſe volunt. Planiſſime, qui verberibus enectos dicunt.

3. Lignum offenſionis. Ut alibi lapis offenſionis legitur, ſic apud Siracidem: *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium*. græce, ſacrificantibus. Eccl. XXXI. 7. Aurum iis, qui ipſi ſacrificant, fit offenſionis occaſio & ruina.

4. Lignum in pane. Impii contra juſtum coeuntes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*. Jer. XI. 19. Quod aliqui de taxo hic dicunt, ejus letali ſucco infectum ab impiis juſti panem eſſe, Rabbinicis fabulis affine eſt, nec ullum in moribus aut hiſtoria Judæorum veſtigium habet. Adagialis eſt loquendi modus crucem minantium, reſpondens illi germanico: *Wir vvollen ihm vom Brod an den Galgen helfen*. Eſt autem is, cui mortem intentant, Chriſtus *agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*

ut

ut ibidem dicitur: hic Panis vivus, qui de cœlo deſcendit; lignum autem Crux eſt.

Ligo. Iſaiæ Deus præcipit. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*. Iſ. VIII. 16. Scribe hæc, & volumen convolve, ac obſignatum repone, futurum aliquando uſui fidelibus meis ſervis. Dictum de his & præcedentibus in Voc. *Conjuratio*.

2. Ligare in alis. *Ligavit eum*, Iſraelem, *ſpiritus in alis ſuis & confundentur a ſacrificiis ſuis*. Oſ. IV. ult. Si alas Iſraelis intelligas cum B. Hieronymo, ſenſus ex eodem erit: Spiritus idololatriæ ligavit alas Iſraelis, ut extollere ſe in altum non poſſit. Si alas ejuſdem Spiritus aut venti malis, dicendum erit cum aliis, Iſraellem his alis conſtrictum ad Aſſyrios in captivitatem auferri, & in varias oras disjici. hæc ignominia Iſraelitis e ſacrilegis deorum aris & libamentis enata eſt.

Limpidus. Pro lævi. *ſuper limpidiſſimam* (hebr. nitidam) *petram effudit illum: non effudit illum ſuper terram, ut poſſit operiri pulvere*. Ez. XXIV. 7. Gens hebraica effudit ſanguinem innocentum, & ſpeciatim prophetarum (allegorice, Chriſti in Golgotha ſeu Calvariæ monte) non diſſimulanter & clançulum, ſed aperte, in ore atque oculis omnium. Ego quoque (v. ſq.) pœnas repetam non clam & in occulto, ſed aperte & luce palam, coram orbe terrarum. *Dabo eam* (Tyrum) *in limpidiſſimam petram*. Ez. XXVI. 4. Inculcatur & v. 14. Deſtruam urbem hanc uſque ad purum ſolum.

Lingua. Sapientis feminæ lingua a Siracide appellatur *lingua curationis*, lingua medica; utpote lingua *mitigationis, & miſericordiæ*, mitigans viri ſui labores & ærumnas, & miſericors in omnes, in ipſum maxime, quem hac ratione mortalium omnium beatiſſimum efficit, Eccl. XXXVI. 25. Contextum totum proferam in Voc. *Superduco*.

2. Linguis loqui. videlicet peregrinis, I. Cor. XIV. 2. & 4. ſeqq.

3. Lingua maris. Joſ. XV. 2. i. e. ſinus maris, Iſ. XI. 15. vel idem eſt, vel littus in mare procurrens.

4. Lingua ignis. Iſ. V. 24. flamma.

Linio. *Prophetæ autem ejus liniebant eos abſque temperamento*.

mento. Ez. XXII. 28. Similitudinem hanc pluribus exequitur Ezechiel XIII. 10. ſqq. Prophetas mendaces ait linere parietem luto abſque paleis, collapſurum protinus, ubi ingruere procella cœperit. Sic illi ſolabantur populum falſis miſericordiæ Divinæ promiſſionibus, cum tamen præſens jam ſupplicium immineret.

Linum. Meſſias *linum fumigans non extinguet*. Matth. XII. 20., ex Iſ. XLII. 3. Eſt ellychnium lucernæ. Chriſtus non erit auſterus: miſerebitur imbecillium, nec eos pondere ſeveritatis opprimet.

Literatura. *Quoniam non cognovi literaturam*, profanam, & artes falſas politicas, quas Achitopheli ejuſque ſimilibus relinquo, *introibo in potentias Domini*, totum me ad contemplandam & amplectendam ejus potentiam conferam: *Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius*, quæ bonis ſalutem, pravis pœnam decernit. Pſ. LXX. 15. ſq.

Lithostrotos. Joann. XIX. 13. Locus lapidibus ſtratus, ut dixi in *Gabbatha*.

Livor. *Livor vulneris abſterget mala*: *& plagæ in ſecretioribus ventris*. Prov. XX. ult. Ad corrigendos malos per quam utile eſt infligi eis a Deo plagas, intimas præſertim, quæ valde penetrent.

Locus. Erubeſce impudicitiæ te dedere, ob reverentiam tuorum parentum; mentiri, ob venerationem præſidibus & optimatibus debitam; . . . *& de loco in quo habitas*, *de furto*, *de veritate* Dei, *& teſtamento*. Eccli. XLI. 23. ſq. Erubeſce etiam furari coram incolis loci, in quo habitas: id enim legi Dei fideliſſimi & juſtiſſimi adverſatur.

2. Non inveniri locum. *Reducam eos de terra Ægypti*, *& de Aſſyriis congregabo eos* . . . . *& non invenietur eis locus*. Zach. X. 10. LXX. perſpicue: & non relinquetur ex eis ne unus quidem. Quotquot electi ſunt, ad evangelium omnes accedent.

Locusta. *Impinguabitur locuſta*. Eccl. XII. 5. Intumeſcet venter. Cicada pro ventre: quia tota cicada venter eſt. Tota hæc diſertiſſima Senii deſcriptio colligetur a me Voc. *Tenebreſco*.

Longe. Deus Deus *meus reſpice in me*: *quare me dere-*

dereliquiſti? longe a ſalute mea, verba delictorum meorum. Pſ. XXI. 2. Manifeſte hæc de Chriſto ſcripta ſunt, ex Matth. XXVII. 46. & Marc. XV. 34. Hebraice: verba rugitus mei. Similis eſt Chriſtus in cruce capto leoni inter irruentia venatorum tela, & ſupremum clamorem edenti. Longe tamen a ſalute abeſt clamor hic Domini, nec eum diſcrimini eripit: quia, cum pro delictis noſtris ſpoponderit, eaque in ſe tranſtulerit, evadere non poteſt mortem, Patris & ſua ipſius voluntate ſibi decretam.

Loquela, *In loquela enim labii* (hebr. nam per irriſiones linguæ) *& lingua altera loquetur ad populum iſtum* Deus. Iſ. XXVIII. 11. Immittet Chaldæos, a quibus irridebimini, quia peregrinæ illorum linguæ ignari. Hos audietis, qui Deum audire nunc recuſati. Locum hunc Paulus I. Cor. XIV. 21. explicat de dono linguarum, quibus Apoſtoli gentes omnes alloquebantur: & quia tum quoque Hebræi pertinaces non audiebant, id etiam tunc cum eorum pernicie conjunctum fuit.

Loquor. Expoſitis a Michæa horrificis Dei minis, derepente optimates domus Jacob ſeu proceres Hebræorum reſpondent: *Ne loquamini loquentes: Non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio*. Mich. II. 6. Nolite, o Michæa ceterique Prophetæ, tam ſollicite & horrifice loqui: immittet e cælo Deus iram & pœnam ſuam non: non ſuperveniet huic populo ignominia. Nonne (v. ſq.) infinita eſt ejus bonitas? quis credat eum tam aſpera cogitare? Sed reponit ſubito Dominus v. 7.: *Nonne verba mea bona ſunt cum eo, qui recte graditur? Et e contrario populus meus* cet. Nonne ſcitis, me bonum quidem eſſe bonis, ſed vos mihi inimicos & injurios fuiſſe?

2. Loqui ad cor. i. e. conſolari. Ruth ait ad Booz: *conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ*. Ruth II. 13. *Loquimini ad cor Jeruſalem*. Iſ. XL. 2. conſolamini. *Loquar ad cor ejus*. Oſ. II. 14. conſolabor. Ubi nos legimus, Gen. XXXIV. 3. *triſtemque delinivit blanditiis*, hebraice eſt, & locutus eſt ad cor puellæ.

3. *Angelus, qui loquebatur in me*. i. e. mihi. Zach. I. 9. & ſæpius poſtea.

Loramentum. Cor ſapienti conſilio firmatum di-

citur Eccl. XXII. 19. ceu *loramentum ligneum* in ædificii fundamento ſtabilitum. Paries eſt, qui coſtis ligneis veluti loris tranſverſis continetur & ſtringitur. vulgo *Rigelvvand*.

Lubrico. Hoſtes *lubricaverunt veſtigia noſtra*. Thren. IV. 18. Hebr. venati ſunt greſſus noſtros. Ubique nobis labendi occaſiones & inſidias poſuerunt.

Lucerna. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis*. Soph. I. 12. Chaldæis prædantibus theſauros veſtros omnes oſtendam: omnia in lucem protraham, ab hoſtibus diripienda. Tropologice hæc Jeruſalem non eſt anima ſancta, Divinique obſequii ſtudioſa, ut quidam meditantur; ſed impia, & adeo flagitiis cooperta, ut verſu præcedente Chanaan appelletur.

2. Lucerna pro ſobole. Deus Davidi *promiſerat, ut daret ei lucernam, & filiis ejus omni tempore*. II. Par. XXI. 7. Non abſimili metaphora Thecuitis ad Davidem uſa eſt: *Quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt*. i.e. filium, qui ſolus ſupereſt. II. Reg. XIV. 7.

3. Lucerna fulgoris. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*. Luc. XI. 36. Græce hic eſt ſenſus, omnem excludens battologiam ſeu inanem ejuſdem rei iterationem, quam abſit ut in æternæ Sapientiæ ſermonibus quiſpiam ſuſpicetur: Si corpus tuum (facta tua) totum lucidum fuerit, nullam habens partem tenebroſam, ita erit ex omni parte lucidum, ut eum fulgens lucerna ſplendore ſuo te (totamque domum) illuminat.

Lucifer. De rege Balthaſare, a Perſis & Medis occiſo, eloquentiſſimus prophetarum exclamat: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra* Dei *exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. Iſ. XIV, 12. ſqq. Cecidit, qui paulo ante ut ſtella lucidiſſima, ut Phoſphorus, effulgebat; qui poteſtate & armis gentes

tes terrebat; qui ſe, ut pater Nabuchodonoſor, pro deo gerebat, & in Babyloniæ fanis adorari volebat ſic, ut Hebræorum Deus in monte Sion, ad latus Hieroſolymæ urbis, ad Aquilonem ſitæ. Solet locus hic de Lucifero, ſive Satana accipi: cui aptare ſingula, non eſt difficile.

Ludo. Pro gaudere. Sapientia dicitur *ludens coram eo* (Patre cæleſti) *omni tempore*. Prov. VIII. 30. LXX. dilucide: Lætabar in conſpectu ejus omni tempore: eodemque verbo utuntur v. ſq. ſed ad Patrem referunt, dicentes, eum eſſe lætatum, cum orbem terrarum perfeciſſet. Gaudebant nimirum ambo, Pater & Sapientia, de condito orbe terrarum, ob Divinam gloriam in eo tam multis variiſque modis manifeſtatam. *ludens in orbe terrarum*. ibid. v. 31.

2. Pro inſectari. Iſmaelem legimus *ludentem cum Iſaac*, Gen. XXI. 9. & ideo, urgente Sara, ipſoque hortante Deo, una cum matre Agar ab Abrahamo ædibus ejectum. v. 10. ſqq. Ludum hunc ad impudica traxere quidam ex eorum aſcetarum genere, quibus omnia in Scripturas Divinas licent. Atqui certiſſimum habemus interpretem Paulum, qui de Iſaaco & Iſmaele ſcribit: *Quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura: Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* Gal. IV. 29. ſq. Videbat Iſmael, Iſaaco hæreditatem prioremque locum deſtinari, idque animo iniquo ferebat puer ferocis ingenii, & annis XIV. ante Iſaacum natus: nam *octoginta & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaelem*; Gen. XVI. ult.) Iſaac autem natus eſt, *cum centum eſſet annorum*. Gen. XXI. 5. Quapropter illudens & vexans *perſequebatur eum*, & inſectatione ſua declarabat, nunquam ſe dominatum ejus toleraturum. Sic, inquit Paulus l. d. Synagogæ tanquam Agaris filii Chriſtianos exagitabant, quibus tamen divinitus principatus & hæreditas deſtinabantur.

3. Pro adorare ſimulacrum. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Ex. XXXII. 6. Tripudiarunt, numen vituli ſui celebrantes, ſacrilego hoc luſu effecti *idololatræ*. I. Cor. X. 7.

4. Concilium ludentium. *Non ſedi in concilio ludentium*, jocantium; ſalutaria deridentium: *& gloriatus ſum a facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me*. Jer. XV. 17. Gloriam meam omnem in familiaritate tua Divina ſitam eſſe duxi. Solitarius meditabar manum tuam, i. e. prophetiam: plenus enim eram terrore minarum tuarum, & manus tuæ ultricis regno intentatæ.

5. In avibus ludere. Bar. III. 17. Aucupio ſe oblectare, venationi indulgere, in deliciis vivere.

Lugeo. De patria ſua Jeremias Dei nomine: *Poſuerunt eam in diſſipationem, luxitque ſuper me*. Jer. XII. 11. Cum diripietur populus meus, lugebit propter me, antea violatum, tunc ultorem.

Lumen. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, & miſerator, & juſtus*. Pſ. CXI. 4. Deus miſericors, opifer, & juſtus, ſervis ſuis inter anguſtias ceu lumen in tenebris exortus eſt.

2. Educere quaſi lumen. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam: & judicium tuum tanquam meridiem*. Pſ. XXXVI. 6. In Pſalterio meo ſic interpretor: Deus juſtam tuam cauſſam in lucem protrahet, tuamque innocentiam in pleno meridie coram omnibus collocabit.

3. Stellæ & lumen. *Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen*. Pſ. CXLVIII. 3. hebr. omnes ſtellæ luminis. i. e. ſtellæ lucidæ. Hendiadys figura, quæ voces ſenſu conjunctas per particulam & ſecerint.

Luna. *A luna ſignum diei feſti*, neomeniæ, & paſchatis: *luminare, quod minuitur in conſummatione*, quod decreſcit; quoties plenum fuerit. *Menſis ſecundum nomen ejus eſt*; in lingua nimirum hebraica & græca, in quibus nomina menſis & lunæ cognata ſunt. *creſcens mirabiliter in conſummatione*, i. e. donec orbe pleno fulgeat. *Vas caſt[illegible]n in excelſis*, inſtrumentum præclarum, pars [illegible] caſtrorum cæleſtium, ſeu militiæ cæli: quo[illegible] ſtellas Hebræi appellant: *in firmamento cæli* [illegible]*s glorioſe*. Eccl. XLIII. 7. ſqq.

[illegible]am. *Permanebit cum ſole, & ante lunam*. P[illegible] *Ante ſolem permanet nomen ejus*. ibid. v. 17. [illegible]oram. *Donec auferatur luna*. ibid. v. 7.

Omnia

Omnia eodem recidunt: quandiu ſol & luna ſplendebunt, uſque ad finem temporum, ſemper nomen & regnum Meſſiæ florebunt, Salomonis regno jam pridem abolito,

3. In die plenæ lunæ. Vir meus, inquit mœcha juvenem ad flagitium ſollicitans, diu aberit peregre: *in die plenæ lunæ* (non ante diem ſtati conventus, ut indicant hebraica, & chaldaica; poſt multos dies, ut habent LXX.) *reverſurus eſt in domum ſuam.* Prov. VII. 20.

Luter. Græcum. Vas deſtinatum ad lavandum, pelvis. Forma, magnitudo, materia lutérum diſtincte exhibetur III. Reg. VII. 26. ſqq.

Lutum. *Quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio.* chaldaice, hoſtes ceu lutum. Zach. X. 5.

2. Intrare in lutum. Hauri aquam, o Ninive, quæ tot incolis tuis ſufficere in obſidione poſſit: ædifica munimenta: *intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem.* Nah. III. 14. Duc & coque lateres, quibus extruas nova, vel dirupta ab hoſtibus reficias. Qui hinc virtutem modeſtiæ intimæ & ſui contemnendi ſtudium exſculpſerunt, in ſenſum commaticum delapſi ſunt, minime cohærentem cum eo, quod ſequitur; videlicet, inane fore hoc ſtudium, nihilque profuturum contra intentatam perniciem. *Ibi comedet te ignis: peribis gladio*, cet. ibid. v. ſq.

Lux. De ſupremi judicii die, ac tempore judicium illud præcedente, ſcribens Capite ultimo per aliquot verſiculos Zacharias, inter alia inquit: *Non erit lux* impiis, *ſed frigus & gelu* peccatorum ac terroris, ſole gratiæ illorum oculis ſe ſubducente. Zach. XIV. 6.

Luxurior. Monet Paulus, ne facile juniores feminæ ad vovendam Deo caſtimoniam admittantur, & in Viduarum ſacrarum numerum recipiantur: *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* I. Tim. V. 11. ſq. cum enim earum anni nondum deferbuerint, grave periculum ſubeſt, ne in cohorte Chriſto ſacra, contra datam Chriſto fidem, libidini pareant, demumque ad nuptias ſibi pernicioſas reſpiciant, rupta voti religione.

Ma-

Digitized by Google

glorioſiſſima: in pſalmo autem, quæ præcedunt & ſequuntur, ærumnoſa ſunt omnia. Eadem vox hebraica, qua hic utitur Pſaltes, Job. III. 19. de ſervo quolibet mortuo legitur. Ita ergo *liber* Hebræis eſt mortuus, ut Latinis *defunctus*, omnibus nempe curis, & vitæ negotiis.

Libero. Spiritus Divinæ Sapientiæ *non liberabit maledicum a labiis ſuis*. Sap. I. 6. Non ſinet impunitum ob labiorum ſuorum delicta.

Libertas. Simoni Pontifici propter immortalia merita decreverunt Hebræi *libertatem*. I. Mach. XIV. 26 i. e. poteſtatem ampliſſimam, principatum liberrimum & perpetuum, ut deinceps v. 35. & 42. ſqq. declarant.

Libys. *Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo*. Nah. III. 9. Avertit Propheta ſermonem ab urbe Ninive, quam Capite hoc alloquitur, ad Alexandriam. Tota quidem, inquit, Africa tibi favet, & illa maxime ejus pars, quæ Libya dicitur. hujus incolæ ſunt Libyes.

Lignum. Paſſim pro arbore. Ita in Pentateuchi & Pſalterii limine, Gen. I. 11. ſq. Pſ. I. 3. *Lignum*, i. e. arbor, *vitæ*. Gen. II. 9. & Apoc. XXII. 2.

2. Corruere in ligno. Inter alias captæ Hieroſolymæ calamitates, *pueri in ligno corruerunt*. Thren. V. 13. Opinantur quidam, in crucem actos. ſed his aſſentiri me vetat poſtremum vocabulum *corruerunt*. Alii ſub lignorum faſcibus, alii labore molæ ſeu piſtrini periiſſe volunt. Planiſſime, qui verberibus enectos dicunt.

3. Lignum offenſionis. Ut alibi lapis offenſionis legitur, ſic apud Siracidem: *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium*. græce, ſacrificantibus. Eccl. XXXI. 7. Aurum iis, qui ipſi ſacrificant, fit offenſionis occaſio & ruina.

4. Lignum in pane. Impii contra juſtum coeuntes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*. Jer. XI. 19. Quod aliqui de taxo hic dicunt, ejus letali ſucco infectum ab impiis juſti panem eſſe, Rabbinicis fabulis affine eſt, nec ullum in moribus aut hiſtoria Judæorum veſtigium habet. Adagialis eſt loquendi modus crucem minantium, reſpondens illi germanico: *Wir wollen ihm vom Brod an den Galgen helfen*. Eſt autem is, cui mortem intentant, Chriſtus *agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*

ut

ut ibidem dicitur: hic Panis vivus, qui de cœlo deſcendit; lignum autem Crux eſt.

Ligo. Iſaiæ Deus præcipit. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*, Iſ. VIII. 16. Scribe hæc, & volumen convolve, ac obſignatum repone, futurum aliquando uſui fidelibus meis ſervis. Dictum de his & præcedentibus in Voc. *Conjuratio*.

2. Ligare in alis. *Ligavit eum*, Iſraelem, *ſpiritus in alis ſuis & confundentur a ſacrificiis ſuis*. Oſ. IV. ult. Si alas Iſraelis intelligas cum B. Hieronymo, ſenſus ex eodem erit: Spiritus idololatriæ ligavit alas Iſraelis, ut extollere ſe in altum non poſſit. Si alas ejuſdem Spiritus aut venti malis, dicendum erit cum aliis, Iſraellem his alis conſtrictum ad Aſſyrios in captivitatem auferri, & in varias oras disjici. hæc ignominia Iſraelitis e ſacrilegis deorum aris & libamentis enata eſt.

Limpidus. Pro lævi. *ſuper limpidiſſimam* (hebr. nitidam) *petram effudit illum*: *non effudit illum ſuper terram, ut poſſit operiri pulvere*. Ez. XXIV. 7. Gens hebraica effudit ſanguinem innocentum, & ſpeciatim prophetarum (allegorice, Chriſti in Golgotha ſeu Calvariæ monte) non diſſimulanter & clanculum, ſed aperte, in ore atque oculis omnium. Ego quoque (v. ſq.) pœnas repetam non clam & in occulto, ſed aperte & luce palam, coram orbe terrarum. *Dabo eam* (Tyrum) *in limpidiſſimam petram*. Ez. XXVI. 4. Inculcatur & v. 14. Deſtruam urbem hanc uſque ad purum ſolum.

Lingua. Sapientis feminæ lingua a Siracide appellatur *lingua curationis*, lingua medica; utpote lingua *mitigationis*, & *miſericordiæ*, mitigans viri ſui labores & ærumnas, & miſericors in omnes, in ipſum maxime, quem hac ratione mortalium omnium beatiſſimum efficit, Eccl. XXXVI. 25. Contextum totum proferam in Voc. *Superduco*.

2. Linguis loqui. videlicet peregrinis, I. Cor. XIV. 2. & 4. ſeqq.

3. Lingua maris. Joſ. XV. 2. i. e. ſinus maris. Iſ. XI. 15. vel idem eſt, vel littus in mare procurrens.

4. Lingua ignis. Iſ. V. 24. flamma.

Linio. *Prophetæ autem ejus liniebant eos abſque temperamento*,

mento. Ez. XXII. 28. Similitudinem hanc pluribus exequitur Ezechiel XIII. 10. ſqq. Prophetas mendaces ait linere parietem luto abſque paleis, collapſurum protinus, ubi ingruere procella cœperit. Sic illi ſolabantur populum falſis miſericordiæ Divinæ promiſſionibus, cum tamen præſens jam ſupplicium immineret.

Linum. Meſſias *linum fumigans non extinguet*. Matth. XII. 20., ex Iſ. XLII. 3. Eſt ellychnium lucernæ. Chriſtus non erit auſterus: miſerebitur imbecillium, nec eos pondere ſeveritatis opprimet.

Literatura. *Quoniam non cognovi literaturam*, profanam, & artes falſas politicas, quas Achitopheli ejuſque ſimilibus relinquo, *introibo in potentias Domini*, totum me ad contemplandam & amplectendam ejus potentiam conferam: *Domine, memorabor juſtitiæ tuæ ſolius*, quæ bonis ſalutem, pravis pœnam decernit. Pſ. LXX. 15. ſq.

Lithostrotos. Joann. XIX. 13. Locus lapidibus ſtratus, ut dixi in *Gabbatha*.

Livor. *Livor vulneris abſterget mala: & plagæ in ſecretioribus ventris*. Prov. XX. ult. Ad corrigendos malos per quam utile eſt infligi eis a Deo plagas, intimas præſertim, quæ valde penetrent.

Locus. Erubeſce impudicitiæ te dedere, ob reverentiam tuorum parentum; mentiri, ob venerationem præſidibus & optimatibus debitam; . . . *& de loco in quo habitas, de furto, de veritate* Dei, *& teſtamento*. Eccli. XLI. 23. ſq. Erubeſce etiam furari coram incolis loci, in quo habitas: id enim legi Dei fideliſſimi & juſtiſſimi adverſatur.

2. Non inveniri locum. *Reducam eos de terra Ægypti, & de Aſſyriis congregabo eos . . . . & non invenietur eis locus*. Zach. X. 10. LXX. perſpicue: & non relinquetur ex eis ne unus quidem. Quotquot electi ſunt, ad evangelium omnes accedent.

Locusta. *Impinguabitur locuſta*. Eccl. XII. 5. Intumeſcet venter. Cicada pro ventre: quia tota cicada venter eſt. Tota hæc diſertiſſima Senii deſcriptio colligetur a me Voc. *Tenebreſco*.

Longe. Deus Deus *meus reſpice in me: quare me dere-*

dereliquiſti? longe a ſalute mea, verba delictorum meorum. Pſ. XXI. 2. Manifeſte hæc de Chriſto ſcripta ſunt, ex Matth. XXVII. 46. & Marc. XV. 34. Hebraice: verba rugitus mei. Similis eſt Chriſtus in cruce capto leoni inter irruentia venatorum tela, & ſupremum clamorem edenti. Longe tamen a ſalute abeſt clamor hic Domini, nec eum diſcrimini eripit: quia, cum pro delictis noſtris ſpoponderit, eaque in ſe tranſtulerit, evadere non poteſt mortem, Patris & ſua ipſius voluntate ſibi decretam.

Loquela, *In loquela enim labii* (hebr. nam per irriſiones linguæ) *& lingua altera loquetur ad populum iſtum* Deus. Iſ. XXVIII. 11. Immittet Chaldæos, a quibus irridebimini, quia peregrinæ illorum linguæ ignari. Hos audietis, qui Deum audire nunc recuſati. Locum hunc Paulus I. Cor. XIV. 21. explicat de dono linguarum, quibus Apoſtoli gentes omnes alloquebantur: & quia tum quoque Hebræi pertinaces non audiebant, id etiam tunc cum eorum pernicie conjunctum fuit.

Loquor. Expoſitis a Michæa horrificis Dei minis, derepente optimates domus Jacob ſeu proceres Hebræorum reſpondent: *Ne loquamini loquentes: Non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio*. Mich. II. 6. Nolite, o Michæa ceterique Prophetæ, tam ſollicite & horrifice loqui: immittet e cælo Deus iram & pœnam ſuam non: non ſuperveniet huic populo ignominia. Nonne (v. ſq.) infinita eſt ejus bonitas? quis credat eum tam aſpera cogitare? Sed reponit ſubito Dominus v. 7.: *Nonne verba mea bona ſunt cum eo, qui recte graditur? Et e contrario populus meus* cet. Nonne ſcitis, me bonum quidem eſſe bonis, ſed vos mihi inimicos & injurios fuiſſe?

2. Loqui ad cor. i. e. conſolari. Ruth ait ad Booz: *conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ*. Ruth II. 13. *Loquimini ad cor Jeruſalem*. Iſ. XL. 2. conſolamini. *Loquar ad cor ejus*. Oſ. II. 14. conſolabor. Ubi nos legimus, Gen. XXXIV. 3. *triſtemque delinivit blanditiis*, hebraice eſt, & locutus eſt ad cor puellæ.

3. *Angelus, qui loquebatur in me*. i. e. mihi. Zach. I. 9. & ſæpius poſtea.

Loramentum. Cor ſapienti conſilio firmatum di-

citur Eccl. XXII. 19. ceu *loramentum ligneum* in ædificii fundamento ſtabilitum. Paries eſt, qui coſtis ligneis veluti loris tranſverſis continetur & ſtringitur. vulgo *Rigelwand*.

Lubrico. Hoſtes *lubricaverunt veſtigia noſtra*. Thren. IV. 18. Hebr. venati ſunt greſſus noſtros. Ubique nobis labendi occaſiones & inſidias poſuerunt.

Lucerna. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis*. Soph. I. 12. Chaldæis prædantibus theſauros veſtros omnes oſtendam: omnia in lucem protraham, ab hoſtibus diripienda. Tropologice hæc Jeruſalem non eſt anima ſancta, Divinique obſequii ſtudioſa, ut quidam meditantur; ſed impia, & adeo flagitiis cooperta, ut verſu præcedente Chanaan appelletur.

2. Lucerna pro ſobole. Deus Davidi *promiſerat, ut daret ei lucernam, & filiis ejus omni tempore*. II. Par. XXI. 7. Non abſimili metaphora Thecuitis ad Davidem uſa eſt: *Quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt*. i.e. filium, qui ſolus ſupereſt. II. Reg. XIV. 7.

3. Lucerna fulgoris. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*. Luc. XI. 36. Græce hic eſt ſenſus, omnem excludens battologiam ſeu inanem ejuſdem rei iterationem, quam abſit ut in æternæ Sapientiæ ſermonibus quiſpiam ſuſpicetur: Si corpus tuum (facta tua) totum lucidum fuerit, nullam habens partem tenebroſam, ita erit ex omni parte lucidum, ut eum fulgens lucerna ſplendore ſuo te (totamque domum) illuminat.

Lucifer. De rege Balthaſare, a Perſis & Medis occiſo, eloquentiſſimus prophetarum exclamat: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra* Dei *exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*. Iſ. XIV, 12. ſqq. Cecidit, qui paulo ante ut ſtella lucidiſſima, ut Phoſphorus, effulgebat; qui poteſtate & armis gentes

tes terrebat; qui ſe, ut pater Nabuchodonoſor, pro deo gerebat, & in Babyloniæ fanis adorari volebat ſic, ut Hebræorum Deus in monte Sion, ad latus Hieroſolymæ urbis, ad Aquilonem ſitæ. Solet locus hic de Lucifero, ſive Satana accipi: cui aptare ſingula, non eſt difficile.

Ludo. Pro gaudere. Sapientia dicitur *ludens coram eo* (Patre cæleſti) *omni tempore*. Prov. VIII. 30. LXX. dilucide: Lætabar in conſpectu ejus omni tempore. eodemque verbo utuntur v. ſq. ſed ad Patrem referunt, dicentes, eum eſſe lætatum, cum orbem terrarum perfeciſſet. Gaudebant nimirum ambo, Pater & Sapientia, de condito orbe terrarum, ob Divinam gloriam in eo tam multis variiſque modis manifeſtatam. *ludens in orbe terrarum*. ibid. v. 31.

2. Pro inſectari. Iſmaelem legimus *ludentem cum Iſaac*, Gen. XXI. 9. & ideo, urgente Sara, ipſoque hortante Deo, una cum matre Agar ab Abrahamo ædibus ejectum. v. 10. ſqq. Ludum hunc ad impudica traxere quidam ex eorum aſcetarum genere, quibus omnia in Scripturas Divinas licent. Atqui certiſſimum habemus interpretem Paulum, qui de Iſaaco & Iſmaele ſcribit: *Quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura: Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ* Gal. IV. 29. ſq. Videbat Iſmael, Iſaaco hæreditatem prioremque locum deſtinari, idque animo iniquo ferebat puer ferocis ingenii, & annis XIV. ante Iſaacum natus: nam *octoginta & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaelem*; Gen. XVI. ult.) Iſaac autem natus eſt, *cum centum eſſet annorum*. Gen. XXI. 5. Quapropter illudens & vexans *perſequebatur eum*, & inſectatione ſua declarabat, nunquam ſe dominatum ejus toleraturum. Sic, inquit Paulus l. d. Synagogæ tanquam Agaris filii Chriſtianos exagitabant, quibus tamen divinitus principatus & hæreditas deſtinabantur.

3. Pro adorare ſimulacrum. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*. Ex. XXXII. 6. Tripudiarunt, numen vituli ſui celebrantes, ſacrilego hoc luſu effecti *idololatræ*. I. Cor. X. 7.

4. Concilium ludentium. *Non ſedi in concilio ludentium*, jocantium, ſalutaria deridentium: *& gloriatus ſum a facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me*. Jer. XV. 17. Gloriam meam omnem in familiaritate tua Divina ſitam eſſe duxi. Solitarius meditabar manum tuam, i. e. prophetiam: plenus enim eram terrore minarum tuarum, & manus tuæ ultricis regno intentatæ.

5. In avibus ludere. Bar. III. 17. Aucupio ſe oblectare, venationi indulgere, in deliciis vivere.

LUGEO. De patria ſua Jeremias DEI nomine: *Poſuerunt eam in diſſipationem, luxitque ſuper me*. Jer. XII. 11. Cum diripietur populus meus, lugebit propter me, antea violatum, tunc ultorem.

LUMEN. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, & miſerator, & juſtus*. Pſ. CXI. 4. DEUS miſericors, opifer, & juſtus, ſervis ſuis inter anguſtias ceu lumen in tenebris exortus eſt.

2. Educere quaſi lumen. *Educet quaſi lumen juſtitiam tuam: & judicium tuum tanquam meridiem*. Pſ. XXXVI. 6. In Pſalterio meo ſic interpretor: DEUS juſtam tuam cauſſam in lucem protrahet, tuamque innocentiam in pleno meridie coram omnibus collocabit.

3. Stellæ & lumen. *Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen*. Pſ. CXLVIII. 3. hebr. omnes ſtellæ luminis. i. e. ſtellæ lucidæ. Hendiadys figura, quæ voces ſenſu conjunctas per particulam & ſecerint.

LUNA. *A luna ſignum diei feſti*, neomeniæ, & paſchatis: *luminare, quod minuitur in conſummatione*, quod decreſcit, quoties plenum fuerit. *Menſis ſecundum nomen ejus eſt*, in lingua nimirum hebraica & græca, in quibus nomina menſis & lunæ cognata ſunt. *creſcens mirabiliter in conſummatione*, i. e. donec orbe pleno fulgeat. *Vas caſtrorum in excelſis*, inſtrumentum præclarum, pars nobilis caſtrorum cæleſtium, ſeu militiæ cæli: quo nomine ſtellas Hebræi appellant: *in firmamento cæli reſplendens glorioſe*. Eccl. XLIII. 7. ſqq.

2. Ante lunam. *Permanebit cum ſole, & ante lunam*. Pſ. LXXI. 5. *Ante ſolem permanet nomen ejus*. ibid. v. 17. *ante*, i. e. coram. *Donec auferatur luna*. ibid. v. 7.

Omnia

Omnia eodem recidunt: quandiu ſol & luna ſplendebunt, uſque ad finem temporum, ſemper nomen & regnum Meſſiæ florebunt, Salomonis regno jam pridem abolito,

3. In die plenæ lunæ. Vir meus, inquit mœcha juvenem ad flagitium ſollicitans, diu aberit peregre: *in die plenæ lunæ* (non ante diem ſtati conventus, ut indicant hebraica, & chaldaica; poſt multos dies, ut habent LXX.) *reverſurus eſt in domum ſuam*. Prov. VII. 20.

Luter. Græcum. Vas deſtinatum ad lavandum, pelvis. Forma, magnitudo, materia lutérum diſtincte exhibetur III. Reg. VII. 26. ſqq.

Lutum. *Quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio*. chaldaice, hoſtes ceu lutum. Zach. X. 5.

2. Intrare in lutum. Hauri aquam, o Ninive, quæ tot incolis tuis ſufficere in obſidione poſſit: ædifica munimenta: *intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem*. Nah. III. 14. Duc & coque lateres, quibus extruas nova, vel dirupta ab hoſtibus reficias. Qui hinc virtutem modeſtiæ intimæ & ſui contemnendi ſtudium exſculpſerunt, in ſenſum commaticum delapſi ſunt, minime cohærentem cum eo, quod ſequitur; videlicet, inane fore hoc ſtudium, nihilque profuturum contra intentatam perniciem. *Ibi comedet te ignis: peribis gladio*, cet. ibid. v. ſq.

Lux. De ſupremi judicii die, ac tempore judicium illud præcedente, ſcribens Capite ultimo per aliquot verſiculos Zacharias, inter alia inquit: *Non erit lux* impiis, *ſed frigus & gelu* peccatorum ac terroris, ſole gratiæ illorum oculis ſe ſubducente. Zach. XIV. 6.

Luxurior. Monet Paulus, ne facile juniores feminæ ad vovendam Deo caſtimoniam admittantur, & in Viduarum ſacrarum numerum recipiantur: *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. I. Tim. V. 11. ſq. cum enim earum anni nondum deferbuerint, grave periculum ſubeſt, ne in cohorte Chriſto ſacra, contra datam Chriſto fidem, libidini pareant, demumque ad nuptias ſibi pernicioſas reſpiciant, rupta voti religione.

Ma-

M.

MAGNIFICO. *Exulta & lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret*. Joel. II. 21. Hebraiſmus, quo verbum pro adverbio ponitur. Dominus magnifice egit. *Magnificavit Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiſcum*. Pſ. CXXV. 2. ſq. Populum ſuum magnifice exaltavit, magnis eum beneficiis cumulavit.

2. Magnificare os ſuum. Abd. v. 12. Jactare ſe, glorioſe de ſe prædicare.

3. *Cum magnificaſſet faciem poteſtatis ejus*. i. e. regis. II. Mach. IV. 24. Cum per adulationem ei perſuaſiſſet, poteſtatem illi ſummam & abſolutam eſſe, etiam in ſacra.

MAGNILOQUUS. *Auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adjicies exaltari amplius in monte ſancto meo*. Soph. III. 11. Auferam legis doctores, ſcribas, & phariſæos ſuperbos, quibus tu quoque ſuperbiebas. Illorum loco Apoſtoli te docebunt modeſtiam, ne in eccleſia mea faſtu inani efferaris.

MAGNUS. *Magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ: & conturbaverunt eam*, terram. Mich. VII. 3. Magnus doctrina, legis peritus, non reſpondet, quod veritas exigit, ſed quod cupiditas jubet: atque ita principes, judices, doctores, quorum erat bonum publicum tueri, illud conturbant.

2. Magnus dies Jezrahel. Oſ. I. ult. Poſt prædictam Iſraeli captivitatem, & quidem perpetuam, denique ad finem Capitis animorum liberationem per Chriſtum pollicetur, cum videlicet multi ex Juda & Iſrael, ſed innumerabiles ex gentibus aliis ſub unum caput Chriſtum ſe conferent. Adventus ergo Chriſti erit magnus ille dies Jezrahel ſeu Iſrael.

MAGOG. Vide *Gog*.

MAHELETH. *In finem pro Maheleth*. hebraice, victori ſuper machalath, in titulo Pſalmi LXXXVII. hebr. LXXXVIII. Inſtrumenti muſici genus eſt: cujus principi ſeu præfecto pſalmus hic deſtinatur, *ad reſpondendum*, uti additur: ut vox inſtrumento, vel canentes ſibi per choros alternis reſpondeant.

Major. De præceptis geminis diligendi Deum & fratres: *Majus horum*, i. e. his, *aliud mandatum non eſt*. Marc. XII. 31. *Majorem horum non habeo gratiam*, nullum mihi majus gaudium, nihil mihi magis gratum eſt, *quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*, agnitæ veritatis tenaces eſſe. III. Joann. v. 4.

Maledictio. *Pones benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionem ſuper montem Hebal.* Deut. XI. 29. Ritum hunc inſignem, a Deo imperatum, hoc modo celebrarunt Hebræi, Deut. XXVII. 11. ſqq. Sex tribus ſtabant in jugo Garizim, totidem aliæ in jugo Hebal. Mediam vallem occupabant Levitæ, qui Arcæ aſtabant, & *benedictiones* primum, deinde *maledictiones* promulgabant. Ad earum ſingulas reſpondebatur a populo *amen*; ad *benedictiones* quidem a ſtantibus in monte Garizim, ad *maledictiones* autem a ſtantibus in Hebale.

Malignus. In epiſtolis B. Joannis aliquoties pro malo dæmone ponitur. *Viciſtis malignum*. I. Joann. II. 13. ſq. *Malignus non tangit eum*. I. Joann. V, 18. *Cain, qui ex maligno erat*. I. Joann. III. 12.

Malitia. *Immitis animus --- non parcet de malitia, & de vinculis*. Eccli. XIII. 15. ubi poterit, in calamitatem te trahet, imo & in vincula.

Malus. Eritis *quaſi malus navis in vertice montis*. Iſ. XXX. 17. Poſt naufragium, inquit Hieronymus: ut alii eaſdem arenas aut ſcopulos vitent. Veſtrum ſupplicium alios abſterrebit.

Mammona. Hieronymus epiſt. 151. quæ eſt ad Algaſiam, q. 6. monet, non eſſe hoc nomen hebraicum, ſed ſyriacum, & divitias ſignificare. Auguſtinus l. 2. de ſerm. Domini in monte, c. 14. ait, congruere & punicum nomen: lucrum enim punice mammon dici.

Man. Iſraelitæ, videntes manna cælo lapſum, *dixerunt ad invicem: Man hu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim, quid eſſet*. Ex. XVI. 15. *Appellavitque domus Iſrael nomen ejus Man*; ex priore illius interrogatiunculæ parte. ibid. v. 31. Ingenioſe Gilbertus Genebrardus in Pſ. LXXVII. n. 29. *Quod mire congruit cum myſterio. nam lex quærit, Quid eſt hoc? Evangelium autem*

autem reſpondet, Hoc eſt Corpus Meum. Manna abſconditum & umbraticum in lege, revelatum & vivum in Evangelio.

MANASSES. q. d. oblivio. *Vocavitque* Joſeph *nomen primogeniti, Manaſſes, dicens:* Obliviſci me fecit DEUS *omnium laborum meorum, & domus patris mei.*Gen. XLI. 51.

MANDO. *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Iſ. XXVIII. 10. Mimeſis, ſeu imitatio eſt ebriorum, inquit B. Hieronymus: qui cum toties audiſſent prophetas obnunciantes, Hæc mandat Dominus, Expectate pœnam Domini: petulanter imitantur, & irridentes exclamant ipſi quoque: *Manda remanda, expecta reexpecta*, modo hic, modo illic, cum tamen nihil unquam evenerit. Sed hæc illorum ludibria ſerio Propheta regerit v. 13. *Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta,* cet. Minarum veritatem malo veſtro experiemini.

2. Mandare miſericordiam. *In die mandavit*, hebr. & græce, mandabit, *Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus.* Pſ. XLI. 9. Etſi tot ærumnarum fluctibus impetor, DEI tamen miſericordia diu noctuque opitulabitur, & læto ac perpetuo carmine grati animi ergo a me celebrabitur.

MANE. Pro celeriter. *Adjuvabit eam DEUS mane diluculo*. Pſ. XLV. 6. quamprimum, maxime tempeſtive. *Mane mane judicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur.* Soph. III. 5. Celerrime DEUS omnium oculis judicium ſuum exponet, nec ſupplicium celari poterit. *Mane conſurgens*. Jer. XI. 7. & XXXV. 14. inſtar hominis matutini opportuniſſime, in tempore, inde ab initio: ut dixi in *Conſurgo*.

2. Mane expanſum. Irruptio Chaldæorum velociſſime operiet univerſum regnum, *quaſi mane expanſum ſuper montes*. Joel. II. 2. quam celeriter aurora diffunditur, præſertim in montium juga. Tropologice, de morte, & Divini judicii die.

3. Mane & nox. Iſ. XXI. 12. Pete ex Voc. *Cuſtos*.

MANEO. Romæ *permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite*. Act. XXVIII. 16. Non eſt in cuſtodia incluſus, ſed conceſſum, ut habitaret *biennio*

nio toto in ſuo conductio. ibid. v. 30. videlicet in libero hoſpitio. ibid. v. 23.

Manico. *Omnis populus manicabat ad eum*. Luc. XXI. ult. mane conveniebant, diluculo ad Chriſtum concurrebant.

Manifesto. *Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, & ſic deprecatus exaudietur, & conſervabit diſciplinam, & tunc reſpondebit*. Eccli. XXXIII. 4. Qui propoſitam interrogationem apte cupit evolvere, meditabitur apud ſe, Deumque invocabit, qui imploranti non deerit; atque ſic, Divinæ humanæque legis memor, reſponſum edet.

Manna. *Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini*. Bar. I. 10. Non utique intelligitur prodigioſus ille de cælo panis, neque manna medicum; ſed munus generatim, quod hebraice & chaldaice eſt *minchа*. id LXX. verterunt *manna* vel *manaa*; & interpres noſter hoc loco, quale invenerat, reliquit. Dicuntur *mincha* in fonte hebraico munera de frugibus terræ, quæ Cain Deo obtulit, Gen. IV. 3. dona, quæ Jacob fratri Eſau affert, Gen. XXXII. 13. & 18. hebraice v. 14. & 19. ſacrificium e panibus, laganis, & oleo, Lev. II. 4. & munera alia alibi. Chaldaicum *mincha* Dan. II. 46. quod LXX. repoſuerunt *manaa*, Syrus & Arabs interpretantur *dona oblata*, & noſter *hoſtias*.

Manus. Pro miniſterio. *Teſtificatus eſt Dominus in Iſrael, & in Juda per manum omnium Prophetarum & Videntium*. IV. Reg. XVII. 13. Monuit per miniſtros ſuos, per omnes prophetas & futurorum præſcios. *Juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu ſervi ſui Abiæ prophetæ*. III. Reg. XIV. 18. quem indicavit per miniſtrum ſuum Ahiam. Quamobrem ipſa etiam vaticinatio ſeu prophetia dicitur alicubi manus. *Incenderunt electam ſanctitatis civitatem*, urbem ſanctam Jeruſalem, *& deſertas fecerunt vias ipſius, in manu Jeremiæ*. Eccli. XLIX. 8. non quaſi Jeremias urbem incenderit, vel depopulatus ſit; ſed ſecundum ejus vaticinium. Sic & ipſe Jeremias gloriatum ſe eſſe inquit in Domino;

no: *a facie manus tuæ*. Jer. XV. 17. quod Deus tanta familiaritate ſe dignaretur, & vaticinandi munus ſibi commiſiſſet, licet arduum, ac terrore plenum.

2. Pro poteſtate. *Dimiſit eos in manu iniquitatis ſuæ*. Job. VIII. 4. Permiſit eos poteſtati, ac veluti ponderi, iniquitatis ſuæ, a quo in exitium tracti ſunt morte, propter culpas debita, opprimi eos paſſus eſt. *Eripuit me de manu leonis, & de manu urſi*. I. Reg. XVII. 37. *Erue - - - - de manu canis unicam meam*; vitam meam. Pſ. XXI. 21. Deus *redimet animam meam de manu inferi*. Pſ. XLVIII. 16. *Tradentur in manus gladii*. Pſ. LXII. 11. Poteſtatem intellige; ſeu belluarum, & invidi hoſtis; ſeu mortis ac ſepulcri, & gladii hoſtilis. Iſraelitæ ex Ægypto a Deo educuntur *in manu excelſa*. Ex. XIV. 8. inter luculenta Divinæ poteſtatis indicia; percutiente Domino Ægyptios valide, inſtar hominis elata dextera ferientis. *Sciant, quia manus tua hæc: & tu Domine feciſti eam*. Pſ. CVIII. 27. Intelligant, tua poteſtate hæc peragi, & te hoc feciſſe. *eam*, per hebraiſmum, loco *id*: neutro enim genere lingua ſancta caret.

3. Comprimere manus, i. e. plaudere. *Omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te: quia ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper?* Nah. ult. ult. Chaldaice aperte: comploſerunt manus ſuas ſuper te gaudentes. Quicunque ruinæ tuæ nuncium acceperunt, lætitiam ſignificarunt: nam & tu omnes rapinis factiſque tyrannicis exagitaſti.

4. Implere manum. i. e. ſacerdotio initiare. Exempla attuli Voc. *Impleo*.

5. Levare manum, pro jurare. Oſtendi ſenſum hunc Voc. *Levo*.

6. Mittere manum. *Nec ſuper eos .... miſit manum ſuam*. Ex. XXIV. 11. Non invaſit eos, non fecit in eos impetum. Ideo ſubjungitur: *videruntque* Deum, *& comederunt, ac biberunt*. adeo nihil terroris iis injectum eſt, etiam viſo Deo, ut ſecuri & incolumes cibum ac potum ſumerent.

7. Manum ponere. *Poſuiſti ſuper me manum tuam*. Pſ. CXXXVIII. 5. cuſtodiſti, conſervaſti me.

8. Da-

8. Dare manus. *Ubique dedit manum*. Jer. L. 15. Ubique ſuccubuit, victas manus dare coacta eſt Babylon. Alibi vero manus dare eſt fœdus icere & ſocietatem inire: ut Ez. XVII. 18. *Spreverat enim* Sedecias *juramentum, ut ſolveret fœdus*, quo fidem ſuam Nabuchodonoſori juratus obſtrinxerat: *& ecce dedit manum ſuam* Pharaoni, perfidus & perjurus, pactione conflata adverſus Nabuchodonoſorem: qua de cauſſa ultor Chaldæus in vinculis eum abſtraxit.

9. Manu capere conjecturam. Ez. XXI. 19. Manu commiſcebit Nabuchodonoſor ſagittas, nominibus urbium Rabbath & Jeruſalem inſcriptas: in bivio enim, ad utramque illarum ducente, deliberabit, & ſortietur: ſortitione autem Jeroſolyma offeretur prius vaſtanda. De toxomantia ſeu belomantia hac dixi Voc. *Commiſceo*.

10. Anima in manibus. i. e. vita in manifeſto periculo. *Poſui animam meam in manibus meis*. Judic XII. 3. Diſcrimini luculento vitam expoſui. David *poſuit animam ſuam in manu ſua*, I. Reg. XIX. 5. dum ſingulari certamine cum Goliatho congreſſus eſt. *Anima mea in manibus meis ſemper*. Pſ. CXVIII. 109. Vita mea ſemper periclitatur.

11. Manus, pro læva. *Ponam in mari manum ejus*. ſiniſtram, *& in fluminibus dexteram ejus*. Pſ. LXXXVIII, 26. Dominatum ejus a mari ad flumina uſque extendam. *Cadent a latere tuo* lævo *mille, & decem millia a dextris tuis*. Pſ. XC. 7. Te illæſo, circa te innumeri peribunt. Cum Hebræi nomen generis & ſpeciei inter ſe copulant, inferius ſeu vilius eſt nomen generis.

12. Manus ſuper caput. *Manus tuæ erunt ſuper caput tuum*. Jer. II. ult. Præ dolore manus ſupra verticem elatas complodes. Thamar quoque, in ſummo amiſſi honoris luctu, *aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens & clamans*. II. Reg. XIII. 19.

13. Manus in manu. Qui latinitati ſoli aſſuevere, videbuntur ſibi in hac phraſi deprehendere ceſſationem ab opere: *Manus in manu non erit innocens malus*. Prov. XI. 21. Sed Hebræi, LXX., Chaldæus,

uno

uno ore ſic exponunt, hominem iniquum, manus conſerentem cum ſocio, impunitum non fore. Idem eſt. Prov. XVI. 5. arrogans, *etiam ſi manus ad manum fuerit, non eſt innocens.*

14. Manus pro ora, littore, extremitate qualibet. *Mare magnum & ſpatioſum manibus.* i. e. littoribus inter ſe disjunctiſſimis, Pſ. CIII. 25. Fluviorum etiam ac torrentium ripæ Hebræis dicuntur manus, ut ripa fluvii. Jer. XLVI. 6., ripa Nili Ex. II. 5., ripa torrentis Jaboc (in Vulgata Jeboc) Deut. II. 37., ripæ Arnon (ubi nos legimus Jordanem) Judic. XI. 26. ubique in fonte hebraico *manus* Sic de mari rubro, Iſraelitis utrinque aſſurgente: *altitudo manus ſuas levavit.* Hab. III. 10. Erythræum mare veluti vallum aut littus quoddam ex utraque parte erexit.

15. Plaudere manu. *Flumina plaudent manu ſimul montes exultabunt a conſpectu Domini*. Pſ. XCVII. 8. ſq. Venuſtiſſimus color poeticus, quo rebus etiam inanimis tribuitur gaudium de Dei ſui præſentia. Exultant lætitia montes, & flumina colliſis inter ſe & ad ripam fluctibus plaudunt.

Maozim. Dan. XI. 38. Simulacrum falſi numinis, ſub nomine dei *fortitudinum*, ſeu dei potentiſſimi. Sed v. ſq. *maozim* jam non eſt nomen proprium, ſed appellativum, ſignificans firma templa ejuſdem ſimulacri. *Faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno.* aggredietur munire templa valida, in quibus dei hujus novi ſedes eſt.

Maran Atha. *Si quis non amat Dominum noſtrum* Jesum *Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha*, I. Cor. XVI. 22. Errant, qui in unum vocabulum conflant, cum ſint duo prorſus diſtincta. D. Auguſtinus epiſt. 178., ſeu in diſputatione contra Paſcentium Arianum, de hoc Pauli loco ſcribit: *Simul græco & ſyro utitur verbo .... anathema græco ſermone dixit*, condemnatus: *Maran Atha definivit*, donec Dominus redeat. Magis preſſe ac proprie magnus Bibliorum interpres Hieronymus epiſt. 137., quæ eſt ad Marcellam: *Maran Atha magis ſyrum eſt, quam hebraicum, tametſi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & hebræum ſonet, & interpretetur.* Dominus noster venit. Ut *anathema* in Chriſtiano-

ſtianorum Conciliis, ſic *Maran atha* apud Hebræos formula erat condemnantium, & hominem judicio Divino tradentium.

Mare. Pro meridie ſeu plaga auſtrali. *Aquilonem & mare tu creaſti. Thabor & Hermon* (quorum montium ille ad occaſum, hic ad ortum ſitus erat) *in nomine tuo exultabunt*. Pſ. LXXXVIII. 13. Quatuor plagas poetice ſimul nominat. Mare ſive mortuum intelligas licet, ſive rubrum.

Maresa. *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Mareſa*. Mich. I. 15. Reſpicit Propheta ſignificationem vocabuli Mareſa, quod hebraice hæreditatem indicat; ideo minatur, adductum a ſe iri hæredem, hoſtem ſcilicet; qui omnia rapiat, ac tanquam hæreditatem ſibi debitam uſurpet.

Maria. *Nomen virginis* Maria. Luc. I. 27. Hebraice legitur quidem hodie *Mirjam*: ſed olim pronunciatum eſſe *Marjam*, argumento eſt, quod LXX. græce *Mariàm* per primam vocalem, non per tertiam reddiderunt. In fonte diſſyllabum eſt, quia per *j* conſonantem copulatum: qua quia Græci carent, in tres ſyllabas diducere nomen coacti ſunt, idem ſponte ſecuti Latini ſunt. Senſus pro varietate punctorum vocalium varius elicitur. Aliis cum DD. Iſidoro & Ildephonſo eſt *ſtella maris*, aut *illuminatrix* (cum pronomine ſcilicet, *illuminans eos*;) aliis cum Hieronymo *ſmyrna* (i.e. myrrha ſive amarities) *maris*; aliis cum Pagnino *pluvia maris*; aut cum Georgio Wicelio *guttula maris*; quibuſdam cum Angelo Caninio & Guidone Fabricio, ſed minus probabiliter, *exaltata*. Cornelius a Lapide collectas ceterorum opiniones volentibus exhibet ad Ex. XV. 20., & Luc. 1. 27., ac obiter I. Cor. XVI. 22. quorum poſtremis duobus locis amplectitur eorum ſententiam, qui magno numero *dominam* interpretantur. Verum ii nunquam rationem idoneam reddent, quid ſibi velit ſyllaba *jam*: nam *Mora* hebraice, & *Mara* ſyriace *domina* eſt quidem; ſed dimidium vocabulum in linguis tantæ brevitatis otioſum eſſe quis credat? Optime omnium *domina maris* exponitur, ſiquidem ad Mariam, ſororem Moyſis,

V ut

ut par eſt, attendamus, quæ prima eo nomine appellata legitur, ac tum demum ſic appellata, cum poſt admirabilem rubri maris tranſitum, ut Moyſes legislator ac populi dux laudes Divinas viris præiit, ita ipſa feminis. Figura hæc illius fuit, quæ legislatori noſtro ac duci Chriſto proxima, domina maris hujus ſeculi eſt.

Matthias. Non per *t* ſimplex tantum *Mathias*. Demonſtrat id fons græcus Act. I. 23. & 26., ubi D. Lucas ipſe non per *th* ſolum, ſed *tth Matthian* ſemel & iterum ſcribit, ſuffragantibus evidenter codicibus omnibus. Niſi forte movere nos debet auctoritas Eliæ Hutteri, Lutherani ſcriptoris, qui in Novo Teſtamento XII. linguis vulgato Apoſtoli hujus nomen in Actorum utroque l. d. hebraice per *t* ſimplex ſeu ſine dageſch exprimit. At ille ipſe ibidem ſyriace, græce, latine, italice, hiſpanice, gallice, germanice, anglice, danice, conſtanter Matthiæ *t* geminum tribuit. Georgius Wicelius in Onomaſtico Chriſtiano, Claſſe I., Voc. *Matthias* obſervat, tam Matthiæ, quam Matthæi nomen, oriri ex hebraica radice *nathan*, *dare*; ex quo heemantice mutato, & nomine Dei addito, utrumque vocabulum naſci. Ex quo ipſo fit manifeſtum, etiam in hebraico eſſe *t* iterandum: nam *matthat*, *donum*, cum radicis ſuæ *nathan* ultimam literam amittat, illius loco dageſch in media neceſſario poſcit. Non ergo Matthiæ nomen initio, ſed exitu ſolum a Matthæi nomine diſtinguendum eſt.

Maturitas. *Præveni in maturitate*. Pſ. CXVIII. 147. Ex hebraico ſenſus eſt: primo crepuſculo diem ipſum prævenio.

Matutinus. *Fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*. Pſ. LXXII. 14. Cum prima luce me adverſa excipiunt, ac toto die exercent. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Pſ. C. 8. Prima mihi quotidie cura fuit, quo modo impios e civitate Dei exſcinderem. *Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia*. Pſ. XXIX. 6. Tam cito ſuis opem fert Deus, ut, cum eos veſperi mœror invaſerit, mane lætitia redeat.

Medi-

Medicamen. Pro veneficio. Sap. XII. 4.

Medicamentum. *Creavit enim, ut eſſent omnia: & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.* Sap. I. 14. Quæcunque ſunt, Deus condidit, non ut perirent & morerentur, ſed ut eſſent: ſua in orbe terrarum opera fecit ſalubria: nec ullum medicamentum procreatum eſt in noſtrum exitium, nec mortis aut orci regnum in terra a Deo ſtabilitum. Infelix hoc regnum ipſe homo per peccatum invexit, ſine quo nihil ei unquam nocere poterat.

Medicina. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ: & ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.* Eccli. XLIII. 24. Malis omnibus, a frigore & gelu provenientibus remedium affert celeris nebula, & ros: quæ duo, a vento calido adducta, glaciem liquefaciunt, ut magis magiſque decreſcat, ac ſenſim deficiat. *eum* intellige cryſtallum: nam in latinitate medii ævi, ut ex D. Iſidoro patet, cryſtallus maſculino etiam genere uſurpabatur.

Medicus. Rebus Hieroſolymæ perturbatis, obvium quemque arripient, eique principatum deferent. Ille vero, ſi ſapiet, recuſabit, *dicens: Non ſum medicus.* Iſ. III. 7. hebraice, ligans ſeu alligans, i. e. chirurgus, qui obligare vulnera reipublicæ tam immania poſſit. LXX. & Chaldæus metaphoram ſolvunt: Non ſum princeps.

Medio. *Jam autem die feſto mediante, aſcendit* Jesus *in templum.* Joann. VII. 14. die quarto ex octo illius feſti diebus; die quarto Scenopegiæ: hanc enim intelligendam eſſe conſtat ex v. 2.

Mediocris. Eccli. XVIII. 33. Totum illum locum propoſui in Voc. *Commiſſio.*

Meditor. Pro meditate loquor. *Os juſti meditabitur ſapientiam.* Pſ. XXXVI. 30. *Veritatem meditabitur guttur meum.* Prov. VIII. 7. Addamus his poeticum illud: *Sicut pullus hirundinis*, frigore & fame vexatus, *ſic clamabo*, i. e. clamavi: *meditabor ut columba*, gemui inſtar columbæ. Ezechias in gravi morbo, Iſ. XXXVIII. 14

Medium. Sunamitis Eliſæo reſponderi jubet: *In*

 medio

medio populi mei habito. IV. Reg. IV. 13. q. d. Nihil mihi deeſt: habeo, qui me adjuvent.

Medus. Medi. I. Mach. VIII. 8. non Medorum imperium, ſed colonia ſunt: ut dixi Voc. *Indus*.

Mel. *Inimici Domini mentiti ſunt ei: & erit tempus eorum in ſæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturavit eos*. Pſ. LXXX. 16. ſq. Sceleſti Hebræi, propterea in ſecula puniendi, datam Deo fidem non ſervaverunt: cum tamen Deus eis cibum & potum tam admirandum præbuerit, & regnum tam fœcundum ſubjecerit. Hæc explanatio tam iis ſatisfacit, qui per adipem frumenti & mel de petra indicari volunt manna & aquam e ſaxo bis ictu virgæ elicitam; quam illis, qui frumentum Palæſtinæ optimum, fructus inſtar mellis dulciſſimos, vel etiam mel verum intelligunt, ex arborum & rupium cavo redundans. Allegorice, Chriſtus in Divina Euchariſtia.

Melchom. Idem qui Moloch, deus Ammonitarum, cui liberos vel cremabant, vel per ignem initiabant. Uno in loco Jeremiæ aliqui de Ammonitarum rege interpretantur. *Hæc dicit Dominus: Nunquid non filii ſunt Iſrael? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſedit Melchom, Gad?* Jer. XLIX. 1. Tribu Gad cum novem ceteris Iſraeliticis in captivitatem Aſſyriam abſtracta, Ammonitæ id perfecerunt, quod jam olim ſub Jephte tentaverant: nemine nunc reſiſtente, invadunt Galaaditidem, & provinciam tribui Gad a Deo aſſignatam occupant. Quamobrem dicit Dominus: An Iſraeli non ſunt liberi, quibus jure hæreditario terra hæc debetur? Cur igitur Ammonitæ eam ſive regi, ſive deo ſuo vendicare audent?

Melota. Græcum. ovilla pellis. Hebr. XI. 37.

Memoror. *Memorentur captivitatem filiorum, & filiarum mearum, quam ſuperduxit illis Æternus*. Bar. IV. 14. Mecum eam recenſeant, memorent pœnas a Deo liberis meis irrogatas.

Mendacium. *Væ civitas ſanguinum, univerſa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina*. Nah. III. 1. Væ tibi, Ninive ſanguinaria, tota mendax, plena inique

inique raptis: ſemper in te ſunt ſpolia aliena: ſed tu quoque ſpoliaberis. Tum ſequitur hypotypoſis illa admirabilis, qua prophetarum minorum eloquentiſſimus hoſtem irruentem deſcribit.

2. Domus mendacii. Mich. I. 14. Geth, urbs damnoſa & infida Iſraeli. Locum ipſum habes in Voc. *Emiſſarius*.

3. Viri mendacii. I. Par. IV. 22. Non vitii, ſed hominum nomen eſt: appellabantur enim viri illi *Chozéba*, quod LXX. hebraicum retinuere, noſter interpretatus eſt.

4. Mendacium aquarum. Fruſtra ſperavi auxilium: ſpes hæc mihi fuit *quaſi mendacium aquarum infidelium*. Jer. XV. 18. ceu fons, a quo large ſcaturientes aquas expectamus; at ille exaruit. Sperare tamen prophetam v. ſq. DEUS jubet; porrecturum ſe ille dexteram, ſi ad ſe ſolum reſpexerit, & verbo ſuo fidelem ſe miniſtrum præbuerit.

5. Mendacium pro ſimulacro falſi dei. Sic Iſaja. XXVIII. 15., ut dictum eſt in Vocabb. *Fœdus* & *Flagellum*.

MENSA. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes: ſurgite principes, arripite clypeum*. Iſ. XXI. 4. ſq. Babylon, prius opulentiæ, nunc ſubitæ infelicitatis miraculum. Epulare, improvide Balthaſar, & ſpeculatorem pro te alium conſtitue. Heus principes! nonne videtis ſubeuntes per Euphratis alveum hoſtes? & vos comeſſamini? ſurgite, arma arripite!

MENSIS. *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt*. Gen. VII. 11. De epocha eventus tam memorandi & ſingularis quæri ſolet, an menſis hic Aprilis, an October fuerit. Equidem fuit Hebræis duplex anni initium: annum enim ſacrum inchoabat menſis Niſan, civilem Tiſchri: quorum illum a luna nova noſtri Martii, hunc noſtri Septembris ordiebantur. Sed generatim in Hebræorum libris menſis Niſan ſolum regit annum ſacrum & ejus feſtos dies; reliqua omnia memorantur ex ordine anni civilis.

lis. Cum ergo diluvium non ad rem ſacram ; nec ejus initium ad dies feſtos pertineat : more Divini Codicis intelligi annum civilem neceſſe eſt, & menſem a Tiſchri proximum. Anno altero, eodem menſe ſecundo, die 27. menſis, aruit terra, & Noe cum ſuis ex arca egreſſus eſt. Gen. VIII. 14. ſqq.

2. Menſis novorum, Exod. XXIII. 15. id eſt, menſis *novarum frugum*. Ex. XIII. 4. Hebraice menſis Abib, ſeu Aviv, qui deinde Niſan dictus eſt, menſis paſchalis, anni ſacri primus, ut modo dicebam.

3. Menſis pro Neomenia. Avari dicunt ; *Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces : & ſabbatum, & aperiemus frumentum?* Amos VIII. 5. Diebus feſtis, ut Neomeniæ ſeu novæ lunæ, & ſabbati, vendere fas non erat. Optant igitur, ut tranſactis his diebus liceat ſibi merces exponere, & horrea aperire.

4. Menſis devorans. *Nunc devorabit eos menſis cum partibus ſuis*. Oſ. V. 7. Singulis menſibus (i. e. ſæpe) venient hoſtes, & eorum bona exhaurient.

Mensura. *In menſura contra menſuram* punietur, i. e. menſura criminibus omnino æquali. Iſ. XXVII. 8. qui locus explanatus eſt Voc. *Ingredior*.

2. Menſura & menſura. Prov. XX. 10. Menſura diverſa ; iniqua ; alia pro te, alia pro ceteris.

Mensurabilis. *Ecce menſurabiles* (hebr. palmos) *poſuiſti dies meos*. Pſ. XXXVIII. 6. breves, exiguæ menſuræ.

Mentior. Pro ſervire. *Filii alieni mentiti ſunt mibi*. Pſ. XVII. 46. alienigenæ ſeu Philiſthæi mihi ſubjecti ſunt. *Hæc phraſis*, inquit celeberrimus Joannes Euſebius Nierembergius, *ſumpta a conditione ſervorum, qui dominis ſuis aut mentiri, aut adulari ſolent*. l. VI. de Origine S. Script. c. 37. Sed Pſ. LXXX. 16. accipio verbum hoc proprie, ut paulo ante in Voc. *Mel* declaravi.

2. *Vinum mentietur eis*. Oſ. IX. 2. Vineæ ſpem fallent: vinum deficiet. *Mentietur opus olivæ*. Hab. III. 17. Hoſtilis incurſio tollet omnia, & inter cetera operam olivis impenſam fruſtrabitur.

Mercator. *Non erit mercator ultra in domo Domini*. Zach. ult. ult. In Chriſti eccleſia non erit opus eme-

re

re hoſtias, ut in Moſaica: gratis habebitur ſacrificium, & adoratio Dei: quorum illud per victimarum lebetes, hæc per phialas ſignificatur odoribus incendendis deſtinatas.

Mercenarius. *In tribus annis, quaſi anni mercenarii, auferetur gloria Moab.* Iſ. XVI. ult. Poſt triennium Moab tradetur Nabuchodonoſori a Deo, veluti merces, inquit Hieronymus, ob vaſtatam ſe imperante Judæam, ſicut ob Tyrum punitam Ægyptus ei loco præmii obtigit. Sic eidem promittitur merces intra unius anni ſpatium regio Cedar, ſeu Arabum ditio, Iſ. XXI. 16.

Merces. Pro lucro, ſeu quæſtu. *Erunt negotiationes ejus*, Tyri, *& mercedes ejus ſanctificatæ Domino.* Iſ. XXIII. 18. Tyrus, a ſimulacris ad Deum converſa, mercimonii ſui lucra Domino conſecrabit: *his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus.* ibid. miniſtris templi ſerviet Tyriorum quæſtus: mittetur enim Hieroſolymam, *ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur uſque ad vetuſtatem.* ibid. ut ſacerdotibus & levitis copioſum alimentum, & amictus diuturnus ſuppetat. *Fornicatus es a DEO tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.* Oſ. IX. 1. O Iſrael, Deo relicto, falſa numina adamaſti: &, ut hoc faceres, cujuſvis lucelli ſpes te pellexit: quivis tritici proventus tibi ſufficiens merces viſa eſt, ut Deum deſereres. *De mercedibus meretricis congregata ſunt, & uſque ad mercedem meretricis revertentur.* Mich. I. 7. Opes tuæ, ut tu quidem prædicas, fructus ſunt tuæ in deos religionis, quos me contempto amplexus es; & hujus ipſius religionis ſocii, a me tibi immiſſi, opes has rapient, teque in captivitatem ad deorum tuorum domicilia traducent. *Merces hominum non erat, neq merces jumentorum erat*, Zach. VIII. 10. Nulla erat merces laboris, nullum operæ pretium.

Mercurius. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Prov. XXVI. 8. Profanarum gentium ritus erat, ut ad ſtatuas Mercurii viam indicantis, &, ut ipſi rebantur, etiam proſperantis, lapidem deponerent; mercatores præſertim,

qui ſub Mercurii præſidio vivere credebantur. Huic honori ſimilis eſt honor, qui ſtulto tribuitur; quippe ligno aut ſaxo, nec digno, nec omnino ſentienti.

Meridies. *Timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de mente Eſau*. Abd. v. 9. Irrumpentes Chaldæos non ſolum timebit plebs tua promiſcua, ſed etiam viri fortes, & quidem habitantes ad meridiem, qui ab impetu hoſtium, utpote aquilonarium, ſunt omnium remotiſſimi. peribit unuſquiſque in montibus veſtris, o poſteri Eſau, o Idumæi. contra hos enim eſt tota Abdiæ prophetia.

2. *Azotum in meridie ejicient*. Soph. II. 4. i. e. vaſtabunt luce palam, clara die. Idem eſt Jer. XV. 8. cujus loci contextum invenies in Voc. *Arena*.

3. *Occidet ſol in meridie*. Amos VIII. 9. In media felicitate ſua deprehenſi, repente miſeriarum caligine involventur.

Messias. *quod eſt interpretatum Chriſtus*. Joann. I. 41. ut enim Græcis *Chriſtos*, ita Hæbræis *Maſchiach* unctum ſignificat.

Messis. *Sed & Juda pone meſſem tibi, cum convertero captivitatem populi mei*. Oſ. VI. ult. *Sed & Juda* nectendum cum extrema prioris verſiculi parte: *contaminatus eſt Iſrael*. Quia etiam tu, o Juda, inquinatus es ſicut Iſrael, captivitate tu quoque caſtigaberis; non tamen perpetua, ut Iſrael: ſub Cyro enim liberatus, reponere denuo meſſem poteris, terræque tuæ frugibus quiete perfrui.

Metallum. Judæ Machabæo de Romanis narratur, *quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic ſunt*. I. Mach. VIII. 3. Ubi ſunt, inquiunt aliqui, fodinæ hæ in Hiſpania? neque enim apparent. Sive exhauſtæ ſunt, ſive collapſæ & obrutæ, nec deinceps tentatæ: ad Plinii certe ac Strabonis tempora uſque metallis abundaſſe Hiſpaniam, ex ipſis compertum eſt. Plinius l. III. Hiſt. Natur. c. 3. inquit: *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota ferme Hiſpania ſcatet*. repetitque de auro l. XXXIII. c. 4. & de argento libri ejuſdem c. 6. ubi argentum ait *in Hiſpania pulcherrimum*

naſci.

naſci. A Strabone autem laudantur Hiſpaniæ montes *metallis referti*. Geogr. l. III.

Metior. *Stetit, & menſus eſt terram*. Hab. III. 6. Humano more dictum. Deus, qui populum ſuum ex Ægypto præceſſerat, ad Jordanem veluti conſtitit, promiſſamque terram inter ſuorum tribus diviſit. Militaris hæc metaphora legitur etiam Pſ. LIX. 8. & CVII. 8. de quibus dictum ſatis eſt in *Dimetior*.

Meto. *Seminate vobis in juſtitia, & metite in ore miſericordiæ*, i. e. & metetis copioſe. Oſ. X. 12. Si juſte vixeritis, mercedem cumulate feretis.

Metreta. De nuptiis Canæ in Galilæa: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ---- capientes ſingulæ metretas binas vel ternas*. Joann. II. 6. Metreta Græcis idem eſt, quod Hebræis batus, & Romanis amphora. Prætereo auctores externos, qui nobis obſcurum per obſcurum explicant, dum menſuras domi uſitatas afferunt, nobis incognitas. Germani duo, ambo antiquitatis omnis peritiſſimi, Matthæus Raderus, & Marcus Welſerus II. vir Auguſtanus, collatis inter ſe ſtudiis, recte ſtatui poſſe judicarunt, Romanam amphoram efficere proxime, *ſi cum Auguſtanis menſuris conferantur, vicenas quaternas*, ut ipſe Raderus, qui Auguſtæ Vindelicorum ſcripſit, in Martial. l. I. epigr. 25. alias 28. prodidit. Fuere igitur, ſi metretas hydriis ſingulis binas tribuimus, menſuræ tales 288; ſi ternas, 432. Abunde ſane pro hoſpitibus illis nuptialibus, qui permulti eſſe non potuerunt: cum tenuioris fortunæ ſponſum fuiſſe id ipſum oſtendat, quod in regione vitifera, & die quidem tam ſolemni, vinum defecit. Cujus id vinum coloris fuerit, oſtendi Voc. *Flaveſco*.

Metuo. *Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet, ſic & qui in præceptis* Dei *permanet ſemper*. Eccl. XXII. 23. Alii aliter interpretantur. Spectato nexu cum ſuperiore verſiculo, qui ſtultum timore ſubito ait concuti & proſterni ſolere; præfero Rabani ſententiam, qui conſideratis vocibus *non omni tempore* & *ſemper*, ita exponit: fatuus, qui ingruente adverſo caſu trepidat, extra periculum non metuit, neque Dei legem & pœnas veretur: juſtus vero, ad

ca-

caduca & mortalia intrepidus, ſolum Deum conſtanter timet. Impius metuit mala præſentia, Deum nunquam; juſtus illa nunquam, Deum ſemper.

Migma. Iſ. XXX. 24. Græcum. pinguiſſimum pabulum, ex varii generis fruge commixtum.

Militia. Stellæ per hebraiſmum dicuntur militia cæli. Deut. XVII. 3. ſqq. decernitur lapidatio ei, qui adoraverit *ſolem, & lunam, & omnem militiam cæli*. Joſias rex delevit eos, *qui adolebant incenſum Baal, & ſoli, & lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cæli*: IV. Reg. XXIII. 5. Idem ſcelus exprobratur Hebræis Jer. VIII. 2. Soph. I. 5. Act. VII. 42. *Tabeſcet omnis militia cælorum ---- & omnis militia eorum defluet*. Iſ. XXXIV. 4. tempore extremi judicii, quod iiſdem coloribus a Propheta evangelico exprimitur; quibus a Chriſto ipſo Matth. XXIV. 29.

Minimus. Quomodo Bethlehem parvula Mich. V. 2. eademque non minima Matth. II. 6. habes in Voc *Bethelem*.

Mino. *Miles captivus abductus eſt; & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ*. Nah. II. 7. Noli minas ſuſpicari, ancillarum præſertim, & columbino gemitu timorem fatentium. Sed captivæ ab hoſtibus inſtar pecundum agebantur. *Minare* ſiquidem, obſoletum in latinitate vocabulum, cujus tamen propago in gallico *mener*, italico *menare*, hiſpanico *menar* ſupereſt, ſignificabat olim *pre ſe agere*. Sic Moyſes ſoceri greges minat, Ex. III. 1. David receptos ab Amalecitis prædonibus greges & armenta, I. Reg. XXX. 20. puer Sunamitidis aſinam, IV. Reg. IV. 24. Oza & frater plauſtrum, i. e. jumenta plauſtrum vehentia, I. Par. XIII. 7. Sic homines captivi per contemptum ceu pecora minantur ſeu aguntur a victoribus, Iſ. XX. 4. & Thren. III. 2. Sic tumultuantes Judæi minantur, i. e. abiguntur, a tribunali, Act. XVIII. 16. & naves minantur, i. e. impelluntur, a vento, Jac. III. 4. Ne congeſſiſſe tot exempla pigeat, efficit memorabilis lapſus interpretis Galli, alioquin clariſſimi, ad Thren. V. 5. *Cervicibus noſtris minabamur, laſſis non dabatur requies*. Hoſtes, inquit, cervicibus noſtris extremum periculum

Digitized by Google

lum minabantur. Apage novum barbariſmi genus! Hebraice eſt, impellebamur; græce, collo agebamur. Funibus ac vinculis ferreis cervici injectis propellebamur. Legitur hoc verbum etiam in ingenioſiſſima illa allegoria de Chriſto, omnem ferociam & avaritiam exarmaturo, & naturas hominum, quantumvis inter ſe diſcrepantes, amoris ſui vinculis colligaturo. Feras & pecudes conjunctim *puer parvulus minabit* Virginis filius, Iſ. XI. 6. Hoc duce (v. 8.) etiam pueruli tyrannos contemnent, & læti ſupplicio occurrent. Hoc magiſtro (v. 9.) nemo Chriſtianorum lædere quemquam hominum ſciet.

Minoro. *Patrem & virum confundit audax, & ab impiis non minorabitur: ab utriſque autem inhonorabitur.* Eccl. XXII. 5. Mulier audax patrem & maritum ignominia afficit, & impietate non eſt inferior viris ſceleratis: ſed & ab ambobus, patre ac viro, viciſſim dedecus conſequetur.

2. *Qui minoratur corde.* Eccl. XVI. 23. vecors, imprudens.

3. Minorari actu. *Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet: qua* (non *quia*: ut depravati codd. cum totius ſententiæ everſione habent) *ſapientia replebitur qui tenet aratrum*, cet. Eccl. XXXVIII. 25. ſq. Hominis docti ſapientia naſcitur ex tempore vacuo, quo a negotiis liber ad illam incumbit. qua vero ſapientia pectus ſibi implebit is, qui totos dies agriculturæ, artibus, opificiis (quæ deinceps enumerat Siracides) animum ſtudiumque addicit?

Miraculum. Eliu ad Jobum ait: *Miraculum meum* (hebr. timor meus, ſeu timor mei) *non te terreat, & eloquentia mea non ſit tibi gravis.* Job. XXXIII. 7. Non te terreant mira & inexpectata, quæ ex me auditurus es: pace tua dicta ſint, quæ locuturus ſum.

Mirifico. *Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Pſ. XV. 3. Pleonaſmus hebraicus pronominis. Deus mire implevit omne meum deſiderium, quo bona precabar ſanctis in ejus terra viventibus.

Misceo. *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gau-*

gaudio ejus non miſcebitur extraneus. Prov. XIV. 10. Solus ille, qui dolorem expertus eſt, ſequentis gaudii magnitudinem ſatis agnoſcit. Exemplo ſit is, qui præſentiſſimum capitis diſcrimen ſubito evaſit. ut priores ſuas anguſtias ac terrorem, ita præſentem lætitiam, ſolus ipſe novit.

Miser. Sceleſtis præcipitur: *Miſeri eſtote*, græce, affligimini, *& lugete*, *& plorate*. Jac. IV. 9. Miſeriam veſtram agnoſcite, & dolete: ex eaque vos per ſeriam pœnitentiam eripite.

Misericordia. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra, miſericordiam ſuam derelinquunt*. Jon. II. 9. Qui falſos deos aut peccata ſectantur, id nullo ſuo emolumento faciunt, dum verum unicumque auxilium ſuum, Deum miſerentem, deſerunt.

Mitto. Moyſes ad Deum: *Mitte quem miſſurus es*. Ex, IV. 13. Mitte idoneum, mitte deſtinatum a te populi tui liberatorem.

Mna, ſeu mina. Alia erat Attica aut Romana, ſiclorum 25. proin 100. drachmarum, & noſtratium florenorum 13, cum 20. crucigeris; alia Hebraica, major longe, ut univerſe Hebræorum moneta Græcam & Romanam ejuſdem nominis valore ſuperabat. *Viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli, mnam faciunt*. Ez. XLV. 12. Habemus itaque mnam Hebraicam, 60. ſiclorum: qui florenos noſtrates 32. rotunde conficiunt. Cur eam autem Ezechiel in tres partes tam diſpares frangit? Reſpondet Rabbi David, quem auctores etiam Chriſtiani ſequuntur, tria fuiſſe diſtincta nummorum genera, 20 ſiclorum, 15. ſiclorum &25, quæ in unam ſummam collecta minam regiam ſeu totam componerent. Scriptorum aliqui minam ſacram a vulgari diſtinguunt, negantibus aliis. III. Reg. X. 17. minarum nomine tantum ſiclos intelligi, perquam ſit veriſimile.

Modicum Modicus. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*. Joann. XII. 35. Non reprehendit Chriſtus diſcipulos ceu parum intelligentes, ſed, ut ex græco fonte liquidiſſimum eſt, brevi ſe diſceſſurum prædicit. Luce mea, inſtitutione ac præſentia, jam non diu fruemini

mini. Eadem ergo eſt ſententia, quæ Joann. XIII. 33. *Adhuc modicum vobiſcum ſum.* & Joann. XIV. 19. *Adhuc modicum: & mundus me jam non videt.*

2. Homines modici. i. e. plebeji. Eccl. XVIII. 32. Qui legunt *immodicis*, de ſumptibus interpretantur. Obſcuritatem illius loci diſcuſſi in Voc. *Commiſſio*.

Molens. In luculentiſſima Senii hypotypoſi, quam totam ſimul dabo in Voc. *Tenebreſco*, leguntur *molentes* pro dentibus. Eccle. XII. 3. ſq.

Molestus. Jubente Domino regem Achaz petere ſibi ſignum, qualecunque mallet, *dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo Domus David: Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & DEO meo?* LXX. luctamini cum Deo. Iſ. VII. 12. ſq. Crederes, verba regis a modeſtia proficiſci, niſi prophetæ vituperatio demonſtraret, pravitatem animi latuiſſe; quæ non hominibus tantum, prophetis, ſacerdotibus, bonis omnibus; ſed ipſi Deo pridem reluctans, cælo terræque moleſta & exoſa eſſet. Erat enim Achaz cum ſuis deorum mancipium, & hac verborum honeſtate averſam a Deo mentem tegebat, nihil ſpei reponens in Divina ſive potentia, ſive promiſſione. Deus tamen, bonitate infinita, malitiam vincens, ſignum illud annunciat omnibus ſeculis obſtupeſcendum, Virginem parituram, & Virginis filium Emmanuelem, i. e, nobiſcum Deum.

Moloch. Ammonitarum deus, Melchom quoque dictus, cui liberos ſuos per ignem conſecrabant. *Portaſtis tabernaculum Moloch veſtro*. Amos V. 26. Honoris gratia conopeum ſupra ſimulacrum geſtabant,

Mons. *Nolite loqui adverſus DEUM iniquitatem. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a deſertis montibus*. Pſ. LXXIV. 6. ſq. Ellipſis eſt: quia nulla ex parte vobis patet effugium; non ab Oriente aut Occidente, non ab auſtrali plaga, ubi Judæam deſerti montes terminabant.

2. Mons ſanctus. Dominus *exaudivit me de monte ſancto ſuo*. Pſ. III. 5. de monte Sion, ubi Dei tabernaculum, ac deinde templum, præcipua religionis ſedes. Vel profani homines condecorare hoc nomine illum

lum ſolebant: quod in ipſis literis regiis Demetrii factum videmus I. Mach. XI. 37.

3. Mons domus. I. Mach. IV. 46. Intelligitur mons templi, oppoſitus monti Sion proprie dicto, qui duo montes eam vallem inter ſe efficiebant, de qua Deus Zach. XIV. 5. dicit: *vallem montium eorum*, ut eſt in hebraico. Vulgo tamen totum illud jugum communi nomine mons Sion appellabatur.

4. Mons diviſionum. *Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur: ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo.* Iſ. XXVIII. 21. Diſperſit & fudit Deus nominis ſui hoſtes per manum Davidis eo loco, qui ob hoc ipſum dictus eſt Baal-Pharaſim (II. Reg. V. 20. & I. Par. XIV. 11.) i. e. Dominus diviſionum: iſque appellatur hoc loco Mons diviſionum. Simili ſtrage in Gabaon Deus per Joſuen inimicos contrivit, Joſ. X. 10. Qualis ergo tum fuit, talem ſe pervicacibus fore nunc quoque minatur, ut ultionis opus peragat, opus a ſe alienum & peregrinum, quippe cujus eſt miſereri ſemper & parcere; ſed nunc denique opus ſuum, quod aggredi veſtra eum ſcelera coegerunt.

5. Mons in vertice montium. Iſ. II. 2. Mich. IV. 1. Chriſtus, & ſancta ejus Eccleſia.

6. Mons magnus. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.* Zach. IV. 7. Zorobabeli, & fidelibus ejus poſteris, obſtat per ſe & ſuos diabolus; ſed deprimendus a Deo.

7. Mons caliginoſus. Sic nuncupatur Babylon, Iſ. XIII. 2. mons, propter arrogantiam; caliginoſus, propter confuſionem, & errores. Evocantur Dei nomine Medi & Perſæ ad montem hunc exſcindendum.

8. Montes Dei. pro montibus præaltis. *Veritas tua uſque ad nubes. Juſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa.* Pſ. XXXV. 6. ſq. Veracis Dei fidelitas, juſtitia ſeu miſericordia, & judiciorum arcanum, humanum omnem captum excedunt: ut aciem hominum effugiunt altiſſimæ nubes, acriorum montium cacumina, & profundiſſimi maris arenæ.

9. Mon-

9. Montes ſeculi. Grandiloquium eſt illud de Deo: *Contriti ſunt montes ſeculi. Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.* Hab. III. 6. Ad adventum æterni Dei ſumma gentium capita, & iis proximi optimates, pondere majeſtatis oppreſſi ſunt & contriti.

10. Comedere in montibus. Ez. XVIII. 6. & 15. Cibis veſci immolatis ſimulacro: quod in montibus fiebat. unde toties in Divinis Libris damnantur *excelſa*.

Mors. Deſcribitur poetice Deus, ab auſtrali regione in Chananitidem ſuos ducens, ut eam debellatam electo a ſe populo tradat. *Ante faciem ejus ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Hab. III. 5. Venuſte Georgius Heſerus, in Cantica Officii Canon. ad hunc locum, cornua ex v. præcedente repetens, ait: *DEUS pro Judæis pugnans immiſit Diabolum ac Mortem, quaſi duo cornua, quibus eos* (Chananæos) *proſtravit & occidit.* Emiſit ante ſe duos hos juſtitiæ ſuæ miniſtros, qui nefarios incolas digno ſupplicio excruciatos necarent. Hebraice pro *mors* eſt *peſtis*; & pro *diabolus pruna*: quorum illud ſpeciatim indicat genus mortis, iſtud eleganter inimicum exprimit omnia devorantem. Allegorice, ante Chriſti currum triumphalem victa mors & ſatan fractus incedunt.

Morsus. Vox Meſſiæ: *Ero mors tua, o mors: morſus tuus ero, inferne.* Oſ. XIII. 14. Quod Paulus ita reddit: *Abſorpta eſt mors in victoria? Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt, mors, ſtimulus tuus?* I. Cor. XV. 54. ſq. & addit: *ſtimulus autem mortis peccatum eſt.* v. 56. Ego, inquit Oſeas Meſſiæ nomine, delebo mortem, & ſepulcra omnia effringam ac auferam, dum primum ipſe me, denique homines omnes e tumulo excitabo. Paulinus dicendi modus hic eſt: Per Chriſti victoriam abſorpta eſt mors. Vincebas, o mors, hactenus: ſed ubi nunc tua victoria, cum perempta ſis ipſa? incitabaris ad nocendum peccato veluti ſtimulo: ſed ubi nunc ille ſtimulus, cum Chriſtus peccatum deleverit, teque ſimul in perpetuum abſtulerit? Pergit Oſeas, jam non Domini, ſed ſuo ipſius nomine: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis: quia ipſe*, infernus ſeu tumulus, *inter fra-*

fratres dividet. Non invenio ſolatium, cum intueor, graſſari uſquequaque mortem, & conjunctiſſimos quoſque dividere. Sed finiet aliquando Meſſias hoc mortis imperium, cum *adducet urentem ventum Dominus*, Pater cæleſtis, *de deſerto aſcendentem*. Significatur Meſſias ex Bethlehem oriturus, quæ, ſicut Judæa tota, reſpectu reliquæ Terræ Sanctæ ad Auſtrum ſita eſt, ubi deſertis montibus Palæſtina clauditur. Allegoriam inſignem pertexens Oſeas, *& ſiccabit*, inquit, *venas ejus*, *& deſolabit fontem ejus*. Ut ventus auſtralis, calidus, & urens, ſimul venas ſub terra exſiccat, & fontem ipſum arefacit: ita Chriſtus & peccata tollet, quæ venæ ſunt mortis; & fontem ipſum auferet, mortem. *& ipſe diripet theſaurum omnis vaſis deſiderabiles*, dum patrum animas, ut ſpolia pretioſiſſima, ſecum abducet.

Mortifico. *Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*. Rom. VIII. 36. ex Pſ. XLIII. 22. *Mortificamur*, non aſcetico illo ſenſu, ſed occidimur, in perpetuum vitæ diſcrimen adducimur: nam & græcum Pauli, & hebraicum Pſalmi vocabulum proprie ſignificat occidi; & ſimilitudo ab ovibus macello deſtinatis id ipſum oſtendit. Sic & de Juda Iſcariote prædicitur: *Perſecutus eſt hominem inopem*, *& mendicum*, *& compunctum corde mortificare*. hebr. uſque ad interficiendum, uſque ad necem. Pſ. CVIII. 17. Inſectatus eſt Chriſtum pauperem; aliena tantum liberalitate viventem, quem eo adegit, ut poſt animi dolores acerbiſſimos vita privaretur.

Mortuus. *Initiati ſunt Beelphegor*, Moabitarum deo, turpi Priapo: *& comederunt ſacrificia mortuorum*, deorum vita carentium, quos pro Deo vivo adorarunt. Pſ. CV. 28.

Mos. Deus *qui inhabitare facit unius moris in domo*. Pſ. LXVII. 7. concordes, unis ſeu iiſdem moribus utentes. D. Hieronymus ex hebraico: inhabitare facit ſolitarios in domo. Tempore captivitatis diſperſos collegit, & iiſdem legibus ac unanimi amicitia tanquam in una domo conſociavit.

Moses. Vide paulo poſt *Moyſes*.

Moveo. Impius apud ſe dicit: *Non movebor a gene-*

ratione

ratione in generationem, ſine malo. Pſ. IX. 27. Nullo unquam tempore de gradu dejiciar, ero ſemper ſine malo.

2. Movere pedes. Hebraicus populus *dilexit movere pedes ſuos*, diſcurrere amat, ad quærenda exterorum auxilia, & ſimulacra eorundem, *& non quievit, & Domino non placuit*. Jer. XIV. 10.

3. Movere ſceptrum. Ez. XXI. 10. Gladius, *ut cædat victimas, exacutus eſt: ut ſplendeat, limatus eſt: qui moves ſceptrum filii mei, ſuccidiſti omne lignum*. Tu, o gladie Nabuchodonoſoris, acute ad feriendum, ſplendide ad terrendum, moves loco ſceptrum populi mei, & omnem arborem ſuccidis, totam regionem vaſtas. gladius hic (v. 12.) ſuperveniet populo meo, & principibus fugam incaſſum tentantibus.

Moyses. Græce *Moſes* & *Moyſes*: hebraice *Moſché*, q. d. extractus: ideo enim Pharaonis filia nomen hoc indidiſſe puero narratur, Ex. II. 10., quod eum ex aquis extraxiſſet. Plerique nomen Moyſis hebraicum eſſe credunt, ſecuti eximium Cornelium a Lapide in l. d. ubi præterea monet, *genuine dicendum eſſe Moſes, corrupte vero dici Moyſes*. Sed aliter profecto ſenſiſſet vir candidiſſimus, & veritatis ſtudioſiſſimus, ſi legere potuiſſet, quæ hac de re Athanaſius Kircherus linguarum notitia clariſſimus in Prodromo Copto ſcripſit. Libri hujus c. 5. non tantum ex Joſepho & Philone, quorum hic eſt permagna auctoritas, ſed etiam ex antiquiſſimis Coptorum voluminibus oſtendit auctor, vocabulum *Moyſes* Copticum ſeu Ægyptiacum eſſe; & indicare ſervatum ex aquis, cum vetuſtiſſimus ille ſermo Ægyptius ſive Coptus aquam ſignificarit per ſyllabam *Mo*, *Mor*, & *Moy*; *yſes* autem in eadem lingua ſit idem, quod nobis *ſervatus*.

Mulier. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui*. Nah. III. 13. Onkelos in Chaldaico clare: imbecillis eſt inſtar mulierum.

2. Natio mulierum. *Non eſt creata hominibus ſuperbia; neque iracundia nationi mulierum*. Eccl. X. 22. Natio mulierum ſunt homines mulieribus nati. Non decet hominem neque ſuperbia, neque iracundia.

X Ita

Ita aperte docent fons ipſe græcus, & ſyriaca. Qui ſuperbiam viris, mulieribus iracundiam hic propriam faciunt, & linguis dictis, & experientiæ quotidianæ repugnant.

3. Mulieres docentes. Iſ. XXVII. 11. Romanorum præficis non multum abſimiles. Illuſtravi contextum Voc. *Lapis*, §. 5. *Lapides cineris*.

Multiplico. *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam*. Iſ. IX. 3. Chriſtus ejuſque diſcipuli multos quidem Judæorum congregarunt, prodigiis juverunt, doctrina illuminarunt: illorum tamen permulti vel non crediderunt, vel a fide reſilierunt. Perſeverantium lætitiam eloquenter amplificat ibidem, & v. ſq. victoriam celebrat hoſtibus extortam *ſicut in die Madian*. Ut Madianitas Gedeon Judic. VII. 21. ſqq. ita Chriſtus ſuos noſtræque ſalutis hoſtes proſtravit.

2. Multiplicari ſuper numerum. *Multa feciſti tu, Domine* Deus *meus, mirabilia tua, ... multiplicati ſunt ſuper numerum*. Pſ. XXXIX. 6. *Multiplicati* pro *multiplicata*: ut apparet ex chaldaico, & B. Hieronymo ſic interpretante hebraicum: Si narrare voluero, & numerare, plura ſunt, quam ut narrari queant. Qui non ad mirabilia, ſed ad homines admirantes referunt, eoſque dicunt fuiſſe innumeros; verum dicunt, ſed ad latina duntaxat attendere videntur.

Multum. *Noli eſſe juſtus multum*. i. e. nimis. Eccl. VII. 17. Vetat eſſe immoderatum, ſive in juſtitia caſtigante, ſive in virtute quacunque alia, quæ omnis in medio eſt, & utrinque reducta ab extremis.

Multus. *Fili, ne in multis ſint actus tui: & ſi dives fueris, non eris immunis a delicto: ſi enim ſecutus fueris, non apprehendes: & non effugies, ſi præcucurreris*. Eccl. XI. 10. Noli multis negotiis te implicare, præſertim lucri cupiditate, quæ peccatorum origo eſſe ſolet: nam ſi opes aucupaberis, ſæpe non potieris, unde varia delicta exiſtent; & ſi feſtinaveris ita, ut ad optata pertingas, tamen peccatum non effugies.

2. Multi pro omnibus. Sic populi multi, & gentes multæ, Iſ. II. 3. ſq. & Mich. IV. 2. ſq. ſunt omnes populi: quemadmodum dictum eſt: *fluent ad eum omnes gentes*.

gentes. Iſ. II. 2. ad Meſſiam videlicet, & ejus Eccleſiam, *Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum*, i.e. omnium, *tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit*, ita prophetarum evangeliſta de Chriſto in cruce. Iſ. LIII. ult. *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. i. e. pro omnibus, Matth. XXVI. 28. Idem intellige Marc. XIV. 24.

Mundo. Deus hominem ſontem *mundans non faciet innocentem*. Nah. I. 3. Hebraiſmus eſt: non ſinet impunitum. Diligens Bibliorum lector eadem verba hebraica reperiet. Num. XIV. 18., ubi noſter vertit: *nullumque innoxium derelinquens*. i. e. ſine debita pœna. Rurſus Prov. XIX. 5. & 9. de teſte falſo idem verbum legitur, & v. utroque a noſtro exponitur: *non erit impunitus*.

Munitio. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem: & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me*. Hab. II. 1. Inſtar militis, cui munimentum commiſſum eſt, cuſtodiam locum aſſidue, & attendam, quid vel Deus mihi dicat, vel ego illi reſpondeam, ſi me reprehenderit.

2. *Convertimini ad munitionem, vincti ſpei*. Zach. IX. 12. Quicunque in vinculis ſpem conſervatis, aſpirate ad turrim firmiſſimam, nomen Domini.

Musach. Hebraice ſignificat tegmen ſeu tectum. De impio rege Achaz narratur: *Muſach quoque ſabbati, quod ædificaverat in templo: & ingreſſum regis exterius, convertit in templum Domini, propter regem Aſſyriorum*. IV. Reg. XVI. 18. De tecto hoc ſabbatino ceteris verius exiſtimaſſe videtur Gaſpar Sancius, quid illud non levitis aut populo, ſed regi ipſi ædificatum fuiſſe cenſet, ut ſub eo tanquam ſub conopeo rei divinæ ſabbatis intereſſet. Suadent hunc ſenſum verba proxima, *ingreſſum regis*, viam nimirum per ambulacra aut porticus, per quas e regia in templum ad ſuam illam accedere rex ſolebat. Erat hoc Muſach regium atrio ſacerdotum proximum, non tamen intra illud receptum: ut ſpectare quidem immolantes, canenteſque audire commodiſſime omnium rex poſſet, pars tamen po-

puli, non ſacerdotalis chori. Achaz, ambitionis cauſſæ, ſive ſuæ coram Aſſyrio, ſive ipſius Aſſyrii, in ipſum templum inferri hoc Muſacn juſſit, & proinde ipſum quoque aditum eo produci: ut in illo ſuggeſtu conſiſtens, non jam ſacerdotibus proximus, ſed inter illos eminens conſpiceretur.

Musca. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti*. Eccl. X. 1. Anne&te ad finem Capitis ſuperioris: *qui in uno peccaverit, multa bona perdet*. Sit unguentum ſuave: muſcæ immortuæ creabunt faſtidium. Sint cetera bona, unus error multa evertet, in re publica præſertim, ſive civili, ſive militari, ſive etiam ſacra.

Musica. *Muſica in luctu importuna narratio: flagella & doctrina in omni tempore ſapientia*. in fonte græco eſt: in omni opportunitate ſapientiæ. Eccl. XXII. 6. Quam moleſta in luctu eſt læta & exultans muſica, tam gravis eſt auditori narratio intempeſtiva: præſertim vero cavendum, ubi res flagella & diſciplinam poſtulat, ut aptiſſimus temporis articulus duce ſapientia eligatur.

Mutus. *Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus* (græce, quaſi frenum, quaſi capiſtrum) *in ore avertit correptiones eorum*. Eccl. XX. 31. Munera judicem nec videre ſinunt crimina, nec viſa reprehendere; oculorum & linguæ uſum eripiunt.

N.

Nabo. If. XLVI. 1. Simulacrum a Babyloniis adoratum, ut Bel ſive Baal, qui ibidem nominatur.

Nanea. In græco, & optimis codd. latinis *Nanæa*. Vox eſt Perſica, Dianam ſignificans, quam Antiochus rex, ambitione & avaritia ductus, matrimonio ſecum jungere aggreſſus eſt, ac dotis nomine opulentum fani theſaurum petiit. II. Mach. I. 13. ſq. Ne ad rem velut inauditam hæreas, Lector, Heliogabalus quoque Uraniæ, Caligula Veneris, Antiochus Gryphus Lunæ conjugio gloriati ſunt. M. Antonio Athenienſes Minervam ſuam deſponderunt, a quibus ille pro divinis ſponſalibus mille talenta exegit. Cave

credas

credas Antiochum hunc Magnum eſſe, vel Epiphanem: nam uterque pridem ante hunc Nanææ procum fato conceſſerat. & Magnus quidem, is qui a Scipione Aſiatico victus eſt, nullas unquam inimicitias cum Judæis exercuit: Epiphanes autem longe alio mortis genere & loco ſublatus eſt, dum a vermibus corroſus in montibus periit, quod I. Mach. VI. brevius, & II. Mach. IX. explicate narratur. At noſter hic *cecidit in templo Naneæ, conſilio deceptus ſacerdotum Naneæ*, & lapidibus clanculum obrutus. II. Mach. I. 13. & 16. Eſt autem hic Antiochus Sedetes ſeu Soter: in cujus morte narranda diſcrepare hiſtoricos nihil mirum, in re quippe arcana, & rumoribus diverſis jactata.

Naphtha. Numeratur inter alimenta ignis. Dan. III. 46. Græca vox, Latinis non incognita. Bituminis genus eſt, flammæ concipiendæ aptiſſimum.

Narro. Conſiderata improborum felicitate, & proborum vita ærumnoſa, occurrit animo (inquit Pſaltes) dubitatio, an juſtitiæ & innocentiæ ſtudium non ſit omnino ſupervacuum & inutile. Sed *ſi dicebam, Narrabo ſic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. Exiſtimabam*, (hebraice, diligenter cogitavi,) *ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me: donec intrem in ſanctuarium* Dei*: & intelligam in noviſſimis eorum*. Pſ. LXXII. 15. ſqq. Si apud me ſtatuerem, hæc aliis ut vera proponerem, nationem filiorum Dei arguerem ſtultitiæ, damnarem fideles ejus famulos, qui ſine meliorum ſpe imprudenter deteriora eligerent. Scrutatus hæc impenſe, magno labore nihil tamen idoneum deprehendi, donec ad providentiæ Divinæ adyta me contuli, & piorum impiorumque exitum contemplatus ſum. Tum vero acquievi facile, cum poſt annos vitæ pauculos æterna illis præmia, his ſupplicia parata reſpexi.

2. Narrare in ſcripturis. *Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum; horum, qui fuerunt in ea*. Pſ. LXXXVI. 6. Solus Deus enumerare poterit in libro infinitæ ſuæ ſcientiæ populos omnes & principes, qui veræ eccleſiæ ſe obſequentes præbebunt.

3. Narrare pro numerare. *Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus. Ponite corda veſtra*

In virtute ejus: & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera. Pſ. XLVII. 13. ſq. Perambulate Sionem, eamque circuite: turres numerate, contemplamini munimenta, ædificia recenſete: ut urbis ſanctæ gloria ad poſteros uſque celebretur.

Naſcor. Egregie Salomon ſtultum cum ebrio confert: *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtultorum*. Prov. XXVI. 9. Ut ebrius, dum florem aut fructum decerpit, facile manum ſpina lædit: ita ſtultus, cum ſententiam gravem aut acutam inepte profert, contemptui ſe exponit.

Natio. *Sanabiles* (in fonte græco eſt, ſalutares, ſalutiferas) *fecit nationes orbis terrarum*. Sap. I. 14. Deus mortem hominum non quæſivit, ſed res a ſe conditas utilitate ac ſalubritate donavit.

2. Natio mulierum. i. e. homines. *Non eſt creata hominibus ſuperbia; neque iracundia nationi mulierum*. Eccli. X. 22. Filiis mulierum, ut habent græca & ſyriaca. Superbia & iracundia homines non decet.

Nativitas. *Seminaverunt agros, & plantaverunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis*. Pſ. CVI. 37. Agri eorum & vineæ fuere fertiles. *Non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos, qui in te crediderint, conſervat*. Sap. XVI. 26. Non copioſus frugum proventus, ſed verbum & favor Dei ſuos alit ac ſuſtentat.

Nave. Ita pro Nun ſcribunt LXX., & paſſim Veteres, qui eos ſequuntur; imo ipſe Siracides: *Fortis in bello Jeſus Nave*. Eccli. XLVI. 1. Sed cum ex hebraicis, chaldaicis, latiniſque codd. manifeſtum ſit, Joſuæ patrem fuiſſe Nun, merito ſuſpicatur magnus Cornelius, in Num. XIII. 17., id non eſſe LXX. interpretum, ſed librariorum, qui græcum *Nun* facile in *Nave* mutaverint. Periti ſſimus & elegantiſſimus Hiſtoriæ Hebraicæ ſcriptor Berruyerus vocabulum *Nave* ab Eccleſiaſtico l. d. non parenti Joſuæ, ſed ipſi heroi tributum eſſe exiſtimat, eo quod ibidem appelletur *ſucceſſor Moyſi in prophetis*, utpote qui non tantum ut princeps & belli dux, ſed ut Propheta Divino lumine colluſtratus Hebræos rexit. Ita ille, in Hiſto-

ria Populi Divini, Vol. III. L. XI. Nititur hæc opinio ſermone hebraico, quo propheta *navi* dicitur. Eſt autem in Divinis Libris non infrequens, ut hebraica nomina in primæva lingua ab interpretibus relinquantur.

Nazaraeus. *Benedictiones* hæ, inquit ad Joſephum moriens Jacob, *fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos*. Gen. XLIX. 26. confluant in ejus caput, in eum conveniant. Dicitur Nazaræus, quod Hebræis eſt *ſeparatus:* vel quia poſt venditionem tamdiu a fratribus ſeparatus, vel quia Deo religione ſingulari addictus; & ab eo præ fratribus ad ſummam dignitatem electus fuit. Vulgata noſtra alibi clariſſime, ubi Samſon ad Dalilam de ſe ait: *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus DEO ſum*. Jud. XVI. 17. Idem enim eſt hebraice, ſeparari Deo, & ei conſecrari. De Chriſto quoque Domino hoc vocabulum legitur: *Habitavit* (Joſeph Chriſti nutricius) *in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur*. Matth. II. ult. Quem locum interpretes operoſa diſputatione excutiunt, ut decidatur, dicenduſne ſit Chriſtus *Nazaræus* per z, an per *tsáde* (rectius *dſáde*): ſunt enim hæ cognatæ literæ, ſed in hoc vocabulo ſenſum diverſum parientes: *Nazaræus* enim, ut dixi, ſeparatum, Domino conſecratum, & ſanctum indicat: at ſi per *ds* legas, ſurculum ſeu germen florens habebis. Per prophetas utrumque prædictum eſt: nam & ſanctimonia Meſſiæ ab omnibus commendatur; & *flos* de radice Jeſſe Iſ. XI. 1. ac *vir oriens* (hebraice germen) Zach. VI. 12. appellatur. Quoniam vero de una litera quæritur, confici rem neceſſe eſt per linguas antiquas. Urbs Nazareth in Lege Vetere nuſquam nominatur. Sed a Matthæo in ipſo fonte ſyriaco per *ds*, in arabicis item codd. per *ds* ſcribitur. Rabbini etiam Hebræorum, cum Chriſtianos dicunt ſcribuntque Nazarenos, per *ds* id faciunt. Addunt multi argumentum a titulo Crucis Dominicæ, in quo non *zájin*, ſed *dſáde* inſcriptum eſſe affirmant, teſtem oculatum ſecuti Santem Pagninum. Sed fulcro hoc carioſo non

 nitor.

mitor. Oculatior Pagnino Gornelius a Lapide in Matth. II. ult. teſtatur, in literis ejus tituli vetuſtate fugientibus nullo conatu poſſe certi quidpiam deprehendi; imo ſibi, attente ſæpiuſque viſenti, potius *zájin* viſum eſſe. Nec ullius momenti foret in re tam ſubtili imperiti illius neſcio cujus auctoritas, qui raptim hæc pinxit.

Nebula. *Numquid elevabis in nebula* (hebr. ad nubem) *vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?* Job. XXXVIII. 34. An tu nubi præcipies, ut pluat? an illa tibi obtemperans, imbre te perfundet?

2. Pro pruina. Deus *dat nivem ſicut lanam: nebulam* (hebr. & chald. pruinam) *ſicut cinerem ſpargit.* Pſ. CXLVII. 5. Terram nivibus ceu lanæ velleribus, & pruina quaſi cinere contegit.

Nebulosus. Nebuloſa turris gregis. Mich. IV. 8. Jeruſalem, vel templum; ob ignorantiæ & ærumnarum caliginem.

Necessitudo. Qui hoſpitio peregrinum excepit, poſtquam eum argento emunxerit, ſubito expellet, dicens: *Exi a facie honoris amicorum meorum: neceſſitudine domus meæ hoſpitio mihi factus eſt frater.* Eccl. XXIX. 34. Cede honoratioribus, amicis meis. indigeo ipſe meis ædibus: recipiendus eſt frater, ſeu familiaris inſtar fratris.

Negotiatio. Pro fructu ſive lucro ex negotiatione. Iſ. XXIII. 18. explanavi locum in Voc. *Merces.*

Negotium. Protegente Deo, non timebis *a negotio perambulante in tenebris.* Pſ. XC. 6. hebraice eſt peſtis, exitium. Eleganter opponuntur clandeſtina pericula *demonio meridiano*, luce & palam irruenti.

Nemrod. De Meſſia: *Erit iſte pax.* Mich. V. 5. Quo autem modo Chriſtus pax noſtra futurus ſit, explicat v. ſq. *Paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus: & liberabit ab Aſſur cum venerit in terram noſtram.* Meſſiæ diſcipuli hoſtes eccleſiæ ſuperabunt, & quidem ſuis eos armis vincent, ſua ipſorum ſcientia, ſua ipſorum de virtutibus opinione & fama, ipſorum teſtimoniis de deorum inanitate ac turpitudine. Sic Meſſias humanum genus libera-

berabit ſtygiorum hoſtium oppreſſione. Uſus eſt propheta nominibus tum maxime notis.

Neomenia. Græcum, dies lunæ novæ: primus cujuſque menſis dies apud Hebræos, ut nobis calendæ: lunaribus enim annis & menſibus utebantur Judæi. Celebrare diem hunc ſolemni tubarum clangore jubebantur Num. X. 10. Præ ceteris commendatur neomenia Tiſchri, ſive Septembris, Lev. XXIII. 24. neomenia hæc Tiſchri *venerabilis & ſancta ---- dies clangoris eſt & tubarum*. Num. XXIX. 1. Hanc intellige Pſ. LXXX. 4. ubi Onkelos in chaldaico venuſte addit, *in menſe qui coopertus eſt*. frondibus nimirum, in feſto tabernaculorum, quod in menſem Septembrem incidit.

Neophytus. I. Tim. III. 6. Græcum. q. d. nuper inſitus. De illo dicitur, qui ab aliena religione ad veram nuper ſe tranſtulit.

Nephthalis. Hebraicum, a luctando. *Ait Rachel: comparavit me DEUS* (hebr. luctationibus Dei luctata ſum, i. e. vehementiſſime luctata ſum) *cum ſorore mea, & invalui: vocavitque eum Nephthali*, quaſi luctatorem. Gen. XXX. 8.

Nequando. Pro, ſi forte. Paulus jubet, cum modeſtia corripi eos, qui veritati reſiſtunt, *nequando DEUS det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*. II. Tim. II. 25.

Nervus. *Poſuiſti in nervo pedem meum*. Job. XIII. 27. *Poſuit in nervo pedes meos*. Job. XXXIII. 11. Machina lignea, qua reorum pedes includebantur, diro cruciatu, cum crura divaricata longius inter ſe diſtrahebantur. *Nervum* neutro genere legitur Jer. XX. 2. Quanta vis tormenti fuerit, dolores & lamenta ſanctiſſimi prophetæ declarant, ibid. v. 14. ſqq. Jobus, per translationem, morbi ſupplicium hac voce ſignificat.

Nescio. Dei vox ad Jonam. *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa?* Jon. IV. ult. Modus hic loquendi infantes & pueros nondum ratione utentes comprehendit. Horum fuiſſe millia centum viginti ſicui ſit incredibile, addat incolas omnes ceteros æta-

te ca

te ac moribus ſimplices & innocentes : nam & in iſtos eadem phraſis convenit. Collectus utrorumque numerus non erit nimius cogitanti illud: *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum*. Jon. III. 3. & quidem ſpectata diametro, non ambitu, ut oſtendit ſequens verſiculus quartus. Omnem fidem excedit, in urbe tanta incolas univerſe non niſi 120000. numerari. Ad eos ergo, quos dixi, numerus hic ſi reſtringatur, jam nihil a ratione alienum objici ſacro hiſtorico poteſt.

2. Neſcio pro averſor. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Iſ. LVIII. 3. Ad virgines fatuas dicit Dominus: *Neſcio vos*. Matth. XXV. 12. Paterfamilias quoque aliis reſpondet: *Neſcio vos, unde ſitis*. Luc. XIII. 25. Quod & Germani dicunt: *Ich vill nichts darum viſſen*.

3. Neſcivit iniquus confuſionem. Soph. III. 5. Nullius dedecoris eum puduit.

Nidus. *Ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens. Quis credit ei, qui non habet nidum, & deflectens ubicunque obſcuraverit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de civitate in civitatem?* Eccl. XXXVI. 27. ſq. Ubi non eſt uxor, rei familiaris cuſtos, vir egenus eſt & mœſtus. Quis autem fidat homini domicilium fixum non habenti? eſt enim, ut erro vagus, vel etiam latro, qui pernoctat, ubicunque eum tenebræ deprehenderint.

Nihilum. *Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet: pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem*. Pſ. LXXX. 14. ſq. *Forſitan* in hebraico non eſt: ornatus gratia addiderunt LXX. particulam græcam *an*, latine *utique*. Si mihi populus meus obtemperaſſet, utique hoſtes ejus facile & brevi in nihilum redegiſſem. *Cor autem impiorum pro nihilo*. Prov. X. 20. nullius pretii. LXX. deficiet. Caldaica: cor impiorum, plaga; videlicet ipſorum. Longe alia ratio eſt illius Davidici: *Pro nihilo ſalvos facies illos*. Pſ. LV. 8. quo turpiter abutuntur aliqui, ſalutem nobis a Deo tam parvo pretio vendi, ut donari potius, & gratis omnino dari videatur. Tantum ab hoc ſenſu abeſt David, ut de pernicie inevitabili, non de facillima ſalute loquatur.

Nullo

Nullo modo, inquit, ſalvos eſſe patieris homines, qui nil niſi meum interitum expectarunt.

2. Ad nihilum. De viro probo: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat*. Pſ. XIV. 4. Si putes, iniquorum exitium intelligi in priore verſiculi parte, poſteriorem ei attexere apte vix poteris. Dicendum ex hebraico: Juſtus pro nihilo ducit impium, & præclare de iis tantum ſentit, qui Dominum timent. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*. Pſ. LXXII. 22. Hebraice: & ego ſtupidus, & neſciens. Confitetur ingenue Pſaltes, ſe aſſequi non potuiſſe, cur in hac vita bonis mala, malis bona eveniant. Eodem ſenſu pergit: *ut jumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum*. v. ſq. Etſi providentiæ tuæ conſilia non magis intelligebam, quam jumentum: nunquam tamen ab officio ac debita fide diſceſſi. Qui hic ſibi nihilum peccati vel teporis, & in jumento obedientiam voluntate ſua carentem fingunt, nimirum fingunt.

3. Lætari in nihilo. Amos VI. 14. in rebus nihili; in falſis diis, & criminibus.

Nimis. Pro valde. *Confitebor Domino nimis in ore meo*. Pſ. CVIII. 30. Valde eum laudabo, totis animi viribus: nimium enim, i. e. ultra modum, laudare Deum adeo non poſſumus, ut ne ſatis quidem poſſimus. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis*. Pſ. CXI. 1. mandatis ejus impenſe delectatur. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. i. e. ſummo ſtudio, perfecte. Pſ. CXVIII. 4. nimium enim ſeu immoderatum quod eſt, a medio & virtute in vitium excurrit: id quod a Deo poſſe præcipi, nemo ſanus dixerit. *Nimis honorificati ſunt amici tui, DEUS: nimis confortatus eſt principatus eorum*. Pſ. CXXXVIII. 17. Fere ut apud Germanos über *die maſſen gelehert*, über *die maſſen ſchœn*: quibus verbis inſignem doctrinam aut pulcritudinem prædicamus: modum enim ſi excederent, illa in ſtultitiam, in deformitatem iſta degeneraret.

Nimius. Inter alia, quæ a cæcis gentibus honore Divino affecta ſunt, numerat Sapiens *nimiam aquam*.

Sap.

Sap. XIII. 2. copioſam aquam, i. e. mare. Græce, violentam. Adorabant Neptunum, Amphitriten, Tethyn.

Nisan. Vide *Menſis*.

Nisi. Pro ſed. Naaman Syrus ad Eliſæum: *Non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino*. IV. Reg. V. 17. *Ivimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, niſi equos, & aſinos alligatos, & fixa tentoria*. IV. Reg. VII. 10. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem*, i. e. ſed per fidem, *JESU Chriſti*, Gal. II. 16. De cæleſti Hieroſolyma: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*. Apoc. XXI. ult. David *panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?* Matth. XII. 4. pro, ſed ſolis ſacerdotibus. Davidem enim ſecuti non erant ſacerdotes in ea fuga, ſed pueri tantum ſeu famuli aliquot. I. Reg. XXI. 2. ſqq.

2. Niſi, jurantis. *Abrahæ namque promittens DEUS, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te*. Hebr. VI. 13. ſq. *In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum: Niſi domus multæ deſertæ fuerint, grandes & pulchræ abſque habitatore*. Iſ. V. 9. A divi hæc veſtra ſcelera: æterna veritas non ſum, niſi domiciliis veſtris multis incolas ejiciam.

3. Niſi quia. pro niſi. Quis me adverſus inimicos tuebitur? nemo hominum; ſolus Deus. *Niſi quia Dominus adjuvit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea*. Pſ. XCIII. 17. Niſi Dominus me juviſſet, minimum aberam a ſepulcro, a ſilentio (ut eſt in hebraico), quod eſt in tumulo ſempiternum. *Niſi quia Dominus erat in nobis*. Pſ. CXXIII. 1. ſq. Niſi nobis adfuiſſet.

Nix. Impius *ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium*. Job. XXIV. 19. Aliam ex alia calamitatem patiatur. Ut ipſe ſpoliavit alios, & omnes aeris injurias ferre coegit, ut ibid. v. 7. ſq. dictum eſt: ita viciſſim calori & frigori ſine tecto & veſtibus exponatur.

Noceo. *Neque nocebo in veritate mea*, inquit Deus Pſ:

Pſ. LXXXVIII. 34. Hebraica vox mentiri ſignificat, & fallere. Non fallam fidem, quam dedi: non nocebo veritati & fidelitati meæ, promiſſa fallendo.

2. Noceo cum accuſandi caſu. *Nocentes me*. Pſ. XXXIV. 1. *Nocenti te*. Eccl. XXVIII. 2. *Nihilque illum nocuit*. Luc. IV. 35. Nam olim hoc verbum accuſativo perinde ut dativo gaudebat.

Noe. Ita ſcribunt & LXX. Hebraice eſt Noach; latine conſolator. *Vocavitque* Lamech pater *nomen ejus Noe, dicens: Iſte conſolabitur nos*. Gen. V. 29. A Noacho natum apud profanos nomen Jacchi & Bacchi vitiatoris.

Nolo. *Oblationem noluiſti*. Pſ. XXXIX. 7. & Hebr. X. 5. Utrumque locum ediſſero in Voc. *Auris*. Similis epitaſis & alibi legitur, qua negamus non animo negandi hoc, ſed huic alterum longe anteferendi. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt*. Matth. XXIII. 9. Cæleſtis ille Pater multo juſtius hoc nomine appellatur, quam qui vos genuere. *Non ego autem, ſed gratia* Dei *mecum*. I Cor. XV. 10. Longe magis Divina gratia, quam ego. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria* Dei, *ut glorificetur Filius* Dei *per eam*. Joann. XI. 4. Mortuus eſt equidem Lazarus, ſed a Deo non tam ejus mors ex hoc morbo, quam Filii gloria quærebatur.

Nomen. *Mittam angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat .... eſt nomen meum in illo*. Ex. XXIII. 20. ſq. Nomine meo tibi præeſt.

2. *Te ipſum novi ex nomine*. verba Dei ad Moyſen Ex. XXXIII. 17. Nominatim te præ omnibus aliis elegi.

3. Memor nominum. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Pſ. XV. 4. Qui mihi adhæſerint, ait Chriſtus (ad quem totus hic pſalmus refertur) eorum priora nomina non reſpiciam repetamve, ſeu Judæi fuerint; ſeu alienigenæ.

4. *Nomen melius a filiis & filiabus*. Iſ. LVI. 5. Promittit Deus ſuis gloriam majorem, quam quæ ex procreatis liberis oriri ſolet; ſempiternam videlicet.

5. No-

5. Nomen Sapientiæ. *Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta.* Eccl. VI. 23. Mirum dictu eſt, quam varias varii ingreſſi ſint vias, ut ex nomine Sapientiæ aliquid huc aptum excuderent: ad linguam hebraicam, chaldaicam, arabicam, imo turcicam, & perſicam, ad græcam etiam, demumque latinam confugerunt, ut etymon eruerent, quo doceremur, Sapientiam eſſe rem occultam. Multo expeditius cum pererudito Pineda in Job. XXVIII. 18. dicemus, Sapientiam, quemadmodum occulta eſt ipſa, ita rerum occultarum, auri, gemmarum, theſauri, nominibus ſignificari: ita ut nomen accipiatur, non proprium & grammaticum, ſed adventitium & metaphoricum. Sapientia talis eſt, qualia ea ſunt, quorum nomine inſignitur: ut enim theſaurus, argentum, aurum, lapides pretioſi, in abdito latent; ita verus Sapientiæ uſus pleroſque fugit.

6. Vaticinium ex nomine. Peculiare genus erat vaticinandi, cum certum quoddam nomen inſtinctu Dei imponebatur, rem futuram ſignificans: quam dicere prophetiam onomaſticam poſſis. Oſeas propheta filium appellare jubetur *Jezrahel*, quod ſanguinem Jezrahel vendicaturus eſſet Dominus; filiam vero *Abſque miſericordia*, filiumque alterum *Non populus meus* ad iram Dei indicandam. Oſ. I. 4. ſqq. Iſaiæ filius Jaſub (Iſ. VII. 3.) ipſo ſuo nomine, quod indi Deus juſſerat, reditum populi ad priſtinam felicitatem prænunciabat. Jeremias nomen Phaſſur iniqui mutat in *Pavor*, Jer. XX. 3. certiſſimo timoris omine, quo imminens pœna ipſum & amicos impletura erat. Rex Ægypti vocatur *Schaón*, Tumultus. *Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, Tumultum adduxit tempus*, ad regis & regni perniciem. Jer. XLVI. 17. Ipſum nomen ſanctiſſimum Jesu ideo imperatum eſt, ut generis humani Salus præmonſtraretur. Matth. I. 21.

Non. Pro nondum. Chriſtus inquit: *ego autem non* (in fonte græco aperte eſt, nondum) *aſcendo ad diem feſtum iſtum*. Joann. VII. 8. Qui *nondum* dicit, non recuſat, ſed differt. Nihil ergo inconſtantiæ aut falſitatis in Domino, cum deinde *& ipſe aſcendit ad diem*

feſtum

feſtum. Ibid. v. 10. ſatis enim oſtendit vox *nondum*, quod nunc non facit, facturum ſe poſtea.

2. Non, per epitaſin. Joann. XI. 4. I. Cor. XV. 10. ut modo demonſtratum eſt in *Nolo*.

Noſco. Vide *Novi*.

Novacula. Raſurus prædicitur Dominus populum ſuum *in novacula conducta in his, qui trans flumen ſunt, in rege Aſſyriorum*. Iſ. VII. 20. Per Aſſyrios trans flumen adductos Deus ſervilem in modum radet Judæos, repentina irruptione ob ſcelera ſua opprimendos. Et quidem conductitius hic tonſor, officio ſuo functus, domum ſe recipiet: ſed vobis (v. 21) tantam relinquet egeſtatem, ut vir etiam opulentus non niſi vaccam unam & par ovium poſſeſſurus ſit. vineæ autem (v. 23. ſq.) ita ſylveſcent, ut in iis tanquam in ferarum latibulis inſtitui venatio poſſit.

Novale. *Multi cibi in novalibus patrum: & aliis congregantur abſque judicio*. Prov. XIII. 23. Multum cibi colligitur ex agris virorum prudentum, quales eſſe ſolent patres, etſi alioqui haud locupletum: cum alii, fortaſſe ditiores, ſed ſine judicio laborantes, pauciora conſequantur.

2. *Innovate vobis novale*. Oſ. X. 12. Peccatorum lolium & ſpinas eradicate, & animi veſtri agrum colere rurſus incipite.

Novi. Pro approbare. *Novit Dominus viam juſtorum*. Pſ. I. 6. id eſt, comprobat; ejus rationem habet.

Noviſſimus. *Dixerunt: Non videbit noviſſima noſtra*. Jer. XII. 4. Nefarii homines, Dei providentiam negantes, dixerunt: Non eſt, qui exitum noſtrum proſpiciat, aut certum vitæ terminum modumque conſtituat.

2. Terra noviſſima. Ez. XXVI. 20: Sepulcrum.

3. Infernus noviſſimus. Prov. XV. 24. Hebraice dicitur infernus qui deorſum eſt.

4. Dies noviſſimi. Iſ. II. 2. Tempus Evangelii. Idem eſt Mich. IV. 1. Quemadmodum Joannes: *noviſſima hora eſt*. I. Jo: II. 18.

Novitas. *Vocum novitates* vitari Paulus jubet I. Tim. VI. 20. Græcum vocabulum ſignificat verba inania, ſine mente ſonos: Apoſtolus eandem vocem repetit II. Tim.

Tim. II. 16 ubi Vulgata ſignificanter appellat *inaniloquia*.

Novus. *In diebus novorum & in tempore meſſis* opponuntur inter ſe Eccl. XXIV. 35. ſq. id eſt ver & æſtas. Eadem ratione dicebatur menſis novorum, videlicet novarum frugum, de quo in Voc. *Menſis*.

Nox. *Nocte tacere feci matrem tuam*. Oſ. IV. 5. Cum nox captivitatis & miſeriæ appetierit, perturbata tacebit Sinagoga.

2. Protrahere noctem, Noli comeſſationes & otioſas nugas ad multam noctem producere, o princeps: *ne protrahas noctem, ut aſcendant populi pro eis*, i. e. pro ſe. Job. XXXVI. 20. Noli mane ſomnum ita protendere, ut populos reſponſa expetentes audire non poſſis: ſed cura, ut tempeſtive admittantur pro ſe locuturi, & brevi a te expediti redire ad ſua negotia domum poſſint.

Nubes. Apoſtoli ſunt nubes, & columbæ, Iſ. LX. 8. Utrumque oſtenſum in *Feneſtra*.

Nuditas, *Probibe pedem tuum a nuditate, & guttur tuum a ſiti*. Jer. II. 25. Noli ad deos alienos currere tanto impetu, perque vias tam aſperas, ut pedum tegumenta ſcindantur: noli Euphratem & Nilum vado tranſire, ut hos tibi dominos quæras, quos ſitire te profiteris, dum dicis: *adamavi quippe alienos, & poſt eos ambulabo*. ibid.

Nudo. Ornatiſſime dictum: *Parietem nudavit clypeus*, Iſ. XXII. 6. Clypei omnes ex armamentariis rapti ſunt, & huc ad Hieroſolymæ obſidionem allati.

2. Nudatum caput. Satiabitur ira mea, inquit Dominus, *de cruore occiſorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis*. Deut. XXXII. 42. Captivorum enim hoſtium capita radebantur.

Nugæ. *Nugas, qui a lege receſſerant, congregabo*. Soph. III. 18. homines nauci, leves.

Numero. In obſidione *domos Jeruſalem numeraſtis*. Iſ. XXII. 10. vel ad labores æqualiter partiendos, vel ad annonam & aquam in ſingulas diſtribuendam.

Numerus. Hoſtis, inquit captiva Hieroſolyma, *fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere*. Thren. III. 16. Cibavit me pane, cui cinis & arena calculoſa incocta

erant

erant. Hoc pane ſenſim dentes mihi ſingulatim fracti ſunt. Talis eſt Prov. XX. 17. *panis mendacii*: nam hebraice idem eſt vocabulum, quod Hieronymus ibi tranſtulit *calculo*, in Threnis hic *ad numerum*. Fuiſſe hoc panis genus antiquis notum, diſcimus ex Fabii Verrucoſi dicto, qui *beneficium ab homine duro aſpere datum, panem lapidoſum vocabat, quem eſurienti accipere neceſſum ſit; eſſe, acerbum*. Seneca L. II. de Benefic. c. 7.

2. Numerus dierum. *Vita viri in numero dierum: dies autem Iſrael innumerabiles ſunt*. Eccli. XXXVII. 28. Unicuique ſtatutum eſt vitæ ſpatium, minime quidem diuturnum: at reſpublica non moritur. Imo & ſinguli quique ob vitam præclare actam nomen immortale adipiſcuntur: *& nomen illius erit vivens in æternum*. ibid. v. ſq.

Nunquid. Particula hæc, ſicubi eſt obſcurior, cum ſequente interrogandi ſigno commode ſolvitur per noſtrum *utique* abſque interrogatione. Utrum affirmet, an neget, ex ipſa ſententiæ conditione ſpectandum eſt. *Nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Pſ. VII. 12. Imperitis videtur David miſericordiam Dei laudare, qui non iraſcatur quotidie. atqui commendat juſtitiam, quæ utique ſceleri quotidie ſeu tota die indignatur: ſenſus enim eſt, ut bene repræſentatur in Thargum Chaldaico: *iraſcitur adverſus impios tota die*. Sic & Habacuc affirmat, non negat, cum dicit: *Nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?* Hab. III. 8. Iram ſuam omnipotentem oſtendit utique Deus contra populi ſui hoſtes in dividendis flumine Jordane & torrentibus Arnon, imo in ipſo mari rubro. De Pſal. LXXXVI. 5. admonui ſuo loco.

Nycticorax. Græcum, corvus nocturnus. Pſ. CI. 7. Alii ex hebraico noctuam, alii bubonem, aliqui & falconem vertunt. Parum refert ad ſenſum primarium: a quacunque ave nocturna ſimilitudinem duxeris, eadem ſolitudo indicatur pauperis illius & anxii, cui pſalmus hic in titulo tribuitur.

O.

OBAUDIO. Sapientia *in voce dicit: Obaudite me Divini fructus*. Eccli. XXXIX. 17. Vox Sapientiæ, inquit Siracides, per me ad vos, o Judæi: Audite me, filii DEI. ſeu, ut eſt in fonte græco: Exaudite me, filii ſancti.

OBDUCTIO. *Ne feſtines in tempore obductionis*. Eccli. II. 2. Si in tempus caliginoſum ærumnæ incideris, noli impatienter celerem liberationem petere: expecta Dominum.

OBDUCTUS. *Omnis plaga, triſtitia cordis eſt: & omnis malitia nequitia mulieris: Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis; & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris: & omnem obductum, & non obductum odientium: & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum*. Eccli. XXV. 17. ſqq. Triſtitia animi eſt inſtar omnis plagæ, eſt omnium plagarum deterrima: & nequitia mulieris nequitiam omnem aliam vel continet, vel ſuperat. Omnis alia plaga tolerabilis homini poteſt videri, modo triſtitia eum non obruat; & omnis nequitia, modo non muliebris; & omnis eventus finiſter, modo non ab oſoribus dedita opera accerſitus; omne denique malum illatum, modo non ab inimicis profectum ſit.

OBEDIENS. *Teſtis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam*. Prov. XXI. 28. Hebraica vox, quæ viro additur, & audientem ſignificat, & obedientem. Quare, ut verſiculi connexio & partium oppoſitio debita conſervetur, hæc eſt ſtatuenda ſententia: Teſtis falſus denique ſuccumbet: is autem vincet, qui vel non niſi comperta & a ſe ipſo audita teſtabitur, vel innocens & legi in omnibus obediens judicii aleam ſubibit. Qui hæc extra judicium protendunt, & hunc locum ad promiſſam voto obedientiam trahunt, videriint ipſi, qua ratione partium nexui & verſus hujus integritati conſulant.

OBFUSCATIO. Erubeſcite, præter alia multa, etiam *ab obfuſcatione dati & accepti*. Eccli. XLI. 24. Pudeat

vos

vos fraudis & negligentiæ in conficiendis rationibus expenſi & accepti.

Obligatio. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus* in judicium, pœnam ſubituros, *cum operantibus iniquitatem*. Pſ. CXXIV. ult. Quia hebraicus fons habet *tortuoſa ſua*, ideo ſolertiſſimus Heſerus ad hunc locum ſuſpicatur, interpretem ſcripſiſſe *obliquationes*, librarios vocabuli hujus ignaros in *obligationes* mutaſſe. Ut aperte iniqui, ita ii quoque a Deo plectentur, qui ſe dolis clandeſtinis obligant, qui falſis doctrinis, principiis affectatis, & excuſationibus vanis obſtringunt.

Oblivio. Vocatus a potentiore, *Ne improbus ſis, ne impingaris: & ne longe ſis ab eo, ne eas in oblivionem*. Eccli. XIII. 13. Noli importunus eſſe, ne offendas; ſed nec eum fuge, ne ex ejus memoria penitus excidas.

Obliviscor. Deus *oſtendet mihi ſuper inimicos meos*, ſuam de illis ultionem mihi oſtendit, veruntamen *ne occidas eos*: noli, o Deus, ſubito eos perdere; ſed lento ſupplicio macera: *nequando obliviſcantur populi mei*. Pſ. LVIII. 12. non *gentis meæ*, ſed *gentes meæ*; ſic enim habent codd. hebraici omnes, & græci plerique. Ut diu in populorum memoria hæreant pœnæ, quas irrogari diu viderint.

Obryzum. *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obryzo*. hebr. *ophir*; nimirum auro optimo. Iſ. XIII. 12. Miles hoſtilis nullo pretio flectetur, ne occidat.

Obscuro. *Repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum*. Pſ. LXXIII. 20. Obſcuri terræ, ignobiles, obſcuro loco nati, repleti & ſatiati ſunt domibus ac bonis inique partis.

2. Obſcurare pro adveſperaſcere, noctem ingruere. Eccli. XXXVI. ult. Digeſſi locum illum Voc. *Nidus*.

3. *Tenebræ non obſcurabuntur a te*. Pſ. CXXXVIII. 12. Divinis tuis oculis ne tenebræ quidem obſcuræ ſunt, aut quidquam tibi abſcondunt. Plura dixi in *Conculco*.

Obstetricor. Deus omnia gubernat, omnia condidit. hæc uberius exequens Jobus, addit etiam: *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus* (de

quo in Voc. *Coluber*.) Job. XXVI. 13. Hebraice abſque hac metaphora ſimpliciter dicitur manus ejus formaſſe hunc ſerpentem.

Obturo. *Furor illis* .... *ſicut aſpidis ſurdæ*, *& obturantis aures ſuas*, *quæ non exaudiet vocem incantantium*: *& venefici incantantis ſapienter*: i. e. perite. Pſ. LVII. 5. ſq. *Aſpides*, inquit in hunc locum Arnobius, *ideo ab incantantibus non capiuntur*, *quia ponunt unam aurem in terram*, *& alteram aurem de caudæ ſuæ acumine obturant*. De ſerpentum incantamentis antiquiſſimam fuiſſe opinionem, & multa ſecula pervagatam eſſe, docet hic ipſe Davidis locus, & alter Jeremiæ VIII. 17. Perſuaſio hæc vera fuerit, an falſa, nil refert: quoniam, ut & Symbolorum magiſtri docent, in ſimilitudine non ſolum verum, ſed & pro vero receptum admittitur, eo quod ſimilitudo non argumenti vim habeat, ſed declarandi.

Occasus. *Aſcendit ſuper occaſum*; LXX., de occaſu; Hieronymus, per deſerta: *Dominus nomen illi*. Pſ. LXVII. 5. Populum ſuum ex Ægypto per deſerta & occidentalem Arabiæ partem præceſſit. Allegorice D. Gregorius hom. 17. in Evang. ſubtiliter, ut ſolet, de Chriſto: *Super occaſum videlicet aſcendit*: *quia mortem*, *quam pertulit*, *reſurgendo calcavit*.

Occultus. *Sicut cortex mali punici*, *ſic genæ tuæ*, *abſque occultis tuis*: Cant. VI. 6. præter eam genarum partem, quæ ſub velo latet.

Occupatio. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus*. Eccli. XL. 1. Fons græcus: inquietudo magna. nimirum magna moleſtia.

Octava. In titulo Pſalmi VI. & XI. legitur *pro octava*. Id non feſtum ad octo dies productum noſtro more ſignificat, ſed inſtrumentum muſicum octo chordarum, ut vox hebraica indicat.

Octo. *Da partem ſeptem*, *nec non & octo*. Eccli. XI. 2. Septem pro multis, hebraiſmus eſt pervulgatus. Longius progreditur Salomon: Da egentibus, non multis tantum, ſed plurimis: da petentibus, quotquot potes.

2. Octo primates. *Et erit iſte pax*: *cum venerit Aſſyrius* .... *ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores*, *& octo*

prima-

primates homines. Mich. V. 5. Poſtquam advenerit Meſſias, pax noſtra; irruenti in nos hoſti tartareo ſe opponent multi paſtores gregum, & plurimi viri ſcientia & probitate inſignes.

Oculus. *Sapientis oculi in capite ejus*. Eccle. II. 14. Sapiens circumſpectione utitur.

2. Bonus oculus. *In bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum*. Eccli. XXXV. 12. Offer Deo, quidquid invenerit manus tua, i. e. pro facultatum tuarum menſura: ſed id memento facere læto oculo, & vultu hilari, ut verſu præcedente dixerat.

3. Oculus hominis. De vocatione gentium: *Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael*. Zach. IX. 1. Deo debentur, Deum reſpiciunt oculi omnium, non Hebræorum tantum, ſed gentium quarumcunque. LXX. & Chaldæus invertunt phraſin: Deus reſpicit non ſolum Judæos, ſed omnes homines. Utrumque Paulino illo continetur: *An Judæorum* Deus *tantum? nonne & Gentium? Imo & Gentium*. Rom. III. 29.

4. Septem oculi ſuper lapidem unum. Zach. III. 9. & IV. 10. Septem angeli, Spiritus Divini dona eccleſiæ diſtribuentes: de quibus dictum. Voc. *Lapis*, §. 2. *Lapis Chriſtus*.

5. Amphora, oculus incolarum terræ. Zach. V. 6. Id unum ſpectare videntur omnes, ut peccatorum ſuorum menſuram impleant. Totum locum dedi. Voc. *Amphora*.

Odium. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Rom. IX. 13., ex Mal. I. 2. ſq. Figura eſt epitaſis, qua inſignem Jacobi amorem profitetur Deus, non quaſi Eſavum vere oderit, ſed quod Jacobum multo magis amaverit. Qui vero ad æternam alterius electionem, damnationem alterius, hæc verba trahunt, repugnantia profecto trahunt: *cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali .... non ex operibus, ſed ex vocante*, ea facta partitio eſt, ut aſſeverat Paulus l. d. v. 11. ſq. Nemo autem niſi ex operibus, & quia male egit, in verum Dei odium ac damnationem incurrit. Et in ipſo Malachia hæc additur explicatio; *& poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſer-*

deſerti. Mal. I. 3. quæ nihil habent cum æternis præmiis ſuppliciiſve commune, ſed ad præſentis vitæ rationes duntaxat pertinent. Eodem recidit locus Hebr. XII. 17., ſi totus legatur: *poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. Nihil hic de ſalutari pœnitentia, quæ peccato abolito jus gratiæ Divinæ reddit, nihil de Dei æternum reprobantis decreto. De illa pœnitentia ſermo eſt, qua commotus Eſau *irrugiit clamore magno*, ut eſt Gen XXVII. 34. & male venditum jus ſero repetiit, cupiens *hæreditare benedictionem* ei juri annexam. Sed quoniam Deus Jacobum prætulerat, excidit quidem Eſau hoc ſuo voto; non ideo tamen æterna quoque ſalute, ut intelligentiſſimus Divinæ Paginæ Cæſar Calinus oſtendit, in I. Reg. IX. 2., ſeu in Samuele Eccleſiaſte, edit. Latinæ, Vol. II. ſ. 86.

Odollam. Mich. I. 15. Declaravi in Voc. *Hæres*.

Odoror. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*, ſacrificante Noe. Gen. VIII. 21. Humano more loquitur. Tam gratum ei fuit hoc ſacrificium, quam ſuaviſſimi odores hominibus.

Offuscatio. Vide *Obfuſcatio*.

Oleum. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*. Eccli. IX. 8. Geminum lætitiæ ſignum: utrumque enim convivantium erat. Eſto, inquit, ſemper hilaris & jucundus. Idcirco cæleſtis illa lætitia, & unctio eminentis Divinæ gratiæ, qua ſpecioſus forma præ hominibus omnibus delibutus eſt, oleum lætitiæ dicitur Pſ. XLIV. 8.

2. Immutari propter oleum. *Genua mea infirmata ſunt a jejunio: & caro mea immutata eſt propter oleum*. Pſ. CVIII. 24. quia oleo carui, quia unguentis abſtinui.

3. Oleum vocare. De litigioſa muliere: *Qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleum dexteræ ſuæ vocabit*. Prov. XXVII. 16. Litigioſæ feminæ ſilentium imperare, tam eſt inutile, quam ventum tenere velle, aut oleum jubere in manu conſiſtere, aut jam elapſum revocare.

4. Oleum in Ægyptum ferre. Oſ. XII. 1. Reprehen-

ſtendantur Iſraelitæ, quod amicitiam Ægyptiorum prenſarent, ob eamque rem inter alia munera oleum mitterent. erat enim oleum præſtantiſſimum Samariæ.

5. A facie olei computreſcet jugum. Iſ. X. 27. D. Hieronymus inquit: propter Dei miſericordiam. Chaldaica: propter Chriſtum. Eſt ſane Chriſtus Dei miſericordia, & oleum effuſum nomen ejus.

6. Oleum peccatoris. Corripi a juſto David optat: *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Pſ. CXL. 5. Hebraice: oleum venenatum non frangat caput meum. Non mihi contingat, ut impii adulatores ſuis laudibus virtutem meam infringant, ſimiles ei, qui blandientis ſpecie oleum venenatum capiti affunderet. Quin etiam precabor deinceps quoque pro illis Deum, ut & ipſi malas ſuas cupiditates exuant. *quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum*. ibid. v. 6.

7. Filii olei. Zach. IV. 14. Elias & Enoch: de quibus mox in *Oliva*.

Oliva. Feminæ *ſuccendentes oſſa olivarum*. Bar. VI. 42. Magicus erat ritus, quo ad ſui amorem pellicere & inflammare juvenes conabantur: ut in Theocriti Pharmaceutria videmus.

2. Duæ olivæ, ad dexteram & ſiniſtram candelabri. Zach. IV. 11. Sunt Enoch & Elias, ut diſcimus Apoc. XI. 4. Dicuntur a Zacharia v. ſq. *duæ ſpicæ olivarum*: quia tanta in illis copia baccarum, quanta eſt granorum in fertili ſpica. inde per fiſtulas aureas aduncas, ſeu canales aureos incurvos ceu roſtra, ſuffunditur ſive infunditur oleum. *Iſti ſunt duo filii olei*, gratiæ unctione pleni, & vitæ doctrinæque ſplendorem ex omni parte diffundentes: *qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ*. Zach. l. d. v. ult. deprecatores videlicet pro Dei ſervis, & ad ejus imperia exequenda parati.

Olla. *Moab olla ſpei meæ*. Pſ. LIX. 10. *Moab lebes ſpei meæ*. Pſ. CVII. 10. Utroque loco hebraice eſt Moab olla ſeu lebes lavationis meæ. Quocirca recipere non poſſumus pinguem illam expoſitionem, Moab ollam dici a pecoris opimi abundantia. Non ad

culinam reſpicit rex & victor magnanimus, ſed Moabitas oſtendit ſic perdomitum iri, ut imperari eis infima quæque obſequia poſſint, ideo pollubrum appellat, abluendis manibus, vel etiam pedibus deſtinatum.

2. Nigredo ollæ. De Ninivitis, capta urbe a Nabuchodonoſore trementibus: *Facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ*. Nah. II. 10. Ex pallore nigror faciei, veluti omni ſanguine carentis. Eodem ſenſu Joel II. 6.: *Omnes vultus redigentur in ollam*. Eandem ob cauſſam *facies combuſtæ vultus eorum*. Iſ. XIII. 8. Præter timoris vehementiam cauſſa altera coloris nigri eſt fames. *Pellis noſtra, quaſi clibanus exuſta eſt a facie tempeſtatum famis*. Thren. V. 10. dum inedia diuturna ſuccum & ſanguinem abſumit.

3. Reliquiæ in ollis. Ad vaccas pingues in monte Samariæ (ſic Iſraelitarum proceres appellat Amos, gaudens imaginibus ex agro petitis) ita loquitur Propheta: *Levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus*. Am. IV. 2. Concident vos, & membrorum alia contis præfixa circumferent, alia coquent. i. e. hoſtes vos & veſtra conſument.

Omega. Græci alphabeti litera ultima, ut Alpha ejuſdem prima eſt. Deus ſe *Alpha & Omega* appellat, Apoc. I. 8., XXI. 6., & XXII. 13.: quia principium & finis eſt rerum omnium.

Omnis. Pro ſummo, maximo. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*. Pſ. CVI. 18. Deſpicatui habuere manna, cibum omnium nobiliſſimum & pretioſiſſimum. Deum *time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo*. i. e. hoc enim qui facit, homo eſt optimus & præſtantiſſimus. Eccli. ult. 13. *Omnis plaga, triſtitia cordis eſt: & omnis malitia, nequitia mulieris*. Eccli. XXV. 17. graviſſima plagarum: ſumma omnium malitia. *Hi ſunt Dii*, exclamant Philiſthæi de Hebræorum Deo vivo & vero, *qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, in deſerto*. I. Reg. IV. 8. internecina plaga, exitio in mari rubro: ceteras enim plagas non *in deſerto*, ſed domi ſenſerant. A quibus non abludit illud: *univerſa vanitas, omnis homo vivens*. Pſ. XXXVIII. 6. vanitas inaniſſima, mera, ſumma.

2. Non

2. Non omnis, vel etiam omnis non, pro nullus. *Non facies omne opus in eo*, ſabbato. Ex. XX. 10. nullum opus. *Cum interierit, non ſumet omnia*. Pſ. XLVIII. 18. Nihil hinc ſecum auferet moriens, nullum ſuum bonum tollet ſepulcro inferendus. *Non dominetur mei omnis injuſtitia*. i. e. nulla. Pſ. CXVIII. 133. *Non fecit taliter omni nationi*. pro, nulli alteri, nulli præter noſtram. Pſ. CXLVII. ult. *Omni homini noli intendere in ſpecie*. Eccl. XLII. 12. Nullius hominis pulchritudinem fixis oculis contemplare.

Onager. *Aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi: Ephraim munera dederunt amatoribus*. Oſ. VIII. 9. Eprahim ſeu Iſrael, i. e. regnum decem tribuum, in captivitatem Aſſyriam migravit: quia veluti onager, liberum ſe natum putans, jugum legis detrectavit, & ſine ullo Dei reſpectu *ſibi ſoli* vixit. Fruſtra fecerunt ſumptus maximos in Ægyptios, adjutores ſuos: nam (v. 10.) etſi aliquam Iſraeli quietem concedam, ne regi Aſſyrio ejuſque principibus pendere vectigal cogatur: tamen (v. 11.) propter repetitas & auctas ſimulacrorum religiones impias, tandem (v. 12.) ſcribam in eum ſententiam, & multiplicem pœnam in lege prædictam de illo expetam: ſentient mala, quæ velut ad ſe non pertinentia contempſerunt.

2. *Gaudium onagrorum paſcua gregum*. Iſ. XXXII. 14. Adeo deſerta erit urbs, & ruinis ſuis ſepulta, ut extra illam in paſcuis, ubi antea greges civium alebantur, onagri exultaturi ſint, nemine prohibente, durabitque hæc ſolitudo *uſque in æternum*. ibid. i. e. hebraico loquendi modo, diutiſſime.

3. Onager attrahens ventum. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus avertet eam*. Jer. II. 24. Qualis eſt onager, animal ſalaciſſimum, quod concepto libidinis æſtu ex montium jugis auram & odorem comparis explorat, nec ulla vi a proſequendis amoribus averti ſe patitur: talis eſt Synagoga, deorum amore furens, & in flagitiis ac ſordibus ſuis deprehendenda facile a quærentibus. *omnes, qui quærunt eam, non deficient*, hebr. non fatigabuntur. ibid.

Onocentaurus. Iſ. XXXIV. 14. Invenies Voc. *Faunus*.

Onocrotalus. Iſ. XXXIV, 11. Tetra imago loci deſerti, domiciliis excilis ad nudum uſque ſolum, tanquam ſi ad menſuram & perpendiculum æquata ſit ſuperficies. Omnia feris beſtiis plena, & (ibid. v. 14.) dæmonum ſpectris. Allegoria diei ultimi, quo Chriſtus Judex res & ſpes impiorum omnes evertet, & corpora cum animabus inter monſtra ſtygia exilio æterno multabit: quo tempore (v. 12.) infelices illi fruſtra ducem & regem optabunt.

Onus. Gens Chaldæorum *horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa judicium, & onus ejus egredietur*. Hab. I. 7. Non aliunde judicium petet: ſed judice gladio decidet omnia, & jure neglecto onus qualecunque cuicunque imponet.

2. Onus pro vaticinio. Voce hac utuntur prophetæ, cum triſtia nunciant: ut obſervat B. Hieronymus in Iſ. C. XV. Sic *Onus Babylonis*; *Onus Moab*; *Onus Damaſci*; *Onus Ægypti*. Iſ. XIII. 1. XV. 1. XVII. 1. XIX. 1. id eſt, prædictio malorum his gentibus ingruentium. *Onus Ninive*. Nah. I. 1. Sicut enim urbi huic ſupplicium deprecanti temporibus Jonæ ignoverat Deus, ita eam diutiſſime poſt addixit exitio, cum præter crimina cetera Iſraelitas captivos dirum in modum cruciaſſet. *Super ducem onus iſtud, qui eſt in Jeruſalem, & ſuper omnem domum Iſrael*. Ez. XII. 10. Sedeciæ regi ſuam & regni totius ruinam prænunciat: ubi Sedeciæ captivitas cæcitaſque indicatur per illa: *in humeris portabitur, in caligine egredietur --- ut non videat oculo terram*. v. 12. *ipſam*, Babylonem, *non videbit, ibique morietur*. v. 13. Habacuc *onus* I. 1. ſine ullius populi nomine ponit: quia enim multis gentibus pœnam prædicit, nullam præ ceteris nominat. Zacharias vocabulum hoc uſurpavit læto ſenſu, de beneficio maximo vocationis gentium: quod tamen ipſe ſub allegoria proponit expeditionis bellicæ, & cladis per Meſſiæ duces inferendæ. *Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci, requiei ejus: quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael*. Zach. IX. 1. Deorum ſimulacris exitium nuncio, exturbandis e Syria,

cujus

Digitized by Google

cujus partes ſunt Hadrach & Damaſcus. (ponit has gentes loco omnium.) Dominus deinceps imperabit & requieſcet in gentibus: nam & harum oculi, non ſolius Iſraelis, Deo debentur; ſeu, non a nobis tantum, ſed a populis omnibus, eum reſpici par eſt.

3. Onus Domini; paſſivo ſenſu, ut ſuperiora, ſimulque activo: onus, quod fert Dominus, & quod imponit. Jer. XXIII. 33. ſqq. graviter Deus reprehendit incredulos, qui irridentes prophetam interrogabant: *Quod eſt onus Domini?* quam novam prædictionem affers? quid horrifici oneris rurſum commentus es? Sed debita cum modeſtia & reverentia ſciſcitari jubet: *Quid reſpondit Dominus?* aut *quid locutus eſt Dominus?* Siqui vero in contumacia perſeverantes interrogare petulanter pergant, *Quod eſt onus Domini? dices ad eos: Vos eſtis onus* (non, ut male quidem legunt, *Ut quid onus vobis?*) *projiciam quippe vos, dicit Dominus*. l. d. Quæritis de onere, quod vobis impoſiturus eſt Dominus. ſcitote, vos ipſos eſſe onus ipſius, ſed jam propter malitiæ gravitatem intolerabile, atque ideo projiciendum.

Operimentum. *Revelabitur operimentum* (LXX. habent portas) *Judæ, & videbis in die illa armamentarium domus ſaltus*. Iſ. XXII. 8. Munimenta Jeroſolymæ perrumpentur, & in hoſtium manibus videbis ſpem tuam ultimam, armamentarium a Salomone inſtructum in domo dicta Saltus Libani.

Operio. *Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper omnem gloriam operuerunt illum*. Eccl. XL. 28. Deus & cæleſtes Spiritus, imo & hominum ſapientiſſimi quique, omni gloria eum cumularunt.

2. Operire in furore. *Operuiſti in furore, & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercisti. Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. Eradicationem, & abjectionem poſuiſti me in medio populorum*. Thr. III. 43. ſqq. Divinus furor tuus flagellis nos obruit, neque ceſſat percutere. Deprecationem noſtram penetrare ad te non ſinit obſtans peccatorum nubes. Ideo nos eradicaſti, & ludibrium populis objeciſti.

3. Operire in jejunio. *Operui in jejunio animam meam.*

Pſ.

Pſ. LXVIII. 11. Veteres in gravi luctu caput velabant: quo reſpicere David hoc loco videtur. Vel, ſi mavis, latuit, & inedia ac mœrore ſolitario Deum ſibi propitiare conatus eſt.

Ophaz. *Aurum de Ophaz*. Jer. X. 9. Chaldaice, Ophir. Sub duobus nominibus locus idem.

Ophiomachus. genus locuſtæ, ſerpenti inimicum, unde & nomen obtinuit.

Opus. Enumeratis graviſſimis pœnis, addit regius vates: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi*. Pſ. CVIII. 20. hæc illis erit merces, hoc operæ pretium.

Oratio. *Cariſſime, de omnibus orationem facio proſpere te ingredi, & valere*. III. Joann. v. 2. Precor Deum, ut in omnibus proſper ſis, & valeas.

2. Oratione orare. Jac. ult. 17. Enixe, majorem in modum rogare Deum.

3. Oratio in peccatum. *Cum judicatur, exeat* (ſeu exibit) *condemnatus*: *& oratio ejus fiat* (fiet) *in peccatum*. Pſ. CVIII. 7. *oratio*, non ad Deum, ſed deprecatio coram judice homine, a quo damnandus prædicitur. ipſa deprecatio novæ erit offenſionis materia.

4. *Melior eſt finis orationis, quam principium*. Eccle. VII. 9. Chald. finis negotii. LXX. ſermonum. Vox hebraica tam verbum ſeu ſermonem, quam rem ſignificat. Melius eſt negotium & orationem bene abſolviſſe, quam bene cœpiſſe. Finis coronat opus.

Ordinator. *Mittam ei*, regno Moab, *ordinatores, & ſtratores laguncularum, & ſternent eum, & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident*. Jer. XLVIII. 12. Ingenioſa ſimilitudo a vino diu immoto, in cujus imo multa ſenſim purgamenta coacervata ſunt. Miſſurum ergo ſe dicit Dominus, qui ex ordine ſternant humi lagunculas ac dolia, qui transfundant vinum, collectis a tanto tempore fæcibus plenum. hi lagenas veteres frangent, & vinum in vaſa nova infuſum alio avehent. Moabitarum corruptiſſimi mores, quos diuturna felicitas invexit, ipſorum captivitate & exilio caſtigabuntur: urbes autem & villæ, inter quarum delicias in vitiorum fæcibus jacebant, a Chaldæis diruentur.

Ordo.

Ordo. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Pſ. CIX. 4. id eſt, *ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech*, ut interpres certiſſimus docet, Paulus Hebr. VII. 15. Chriſtus rex juſtitiæ (hoc enim eſt hebraice Melchiſedech) ſine patre homo, ſine matre Deus, panem & vinum obtulit.

Oriens. Laudare jubemur Deum, *qui aſcendit ſuper cælum cæli, ad Orientem*. Pſ. LXVII. 34. qui ſedet in cælo altiſſimo, quod eſt *a principio*, ut vertit Hieronymus, quod immutabile perſeverat inde ab orbe condito, & unde nobis in terra degentibus omne lumen oritur. De Chriſto victore Pſalmum hunc ipſe gentium doctor exponit Eph. IV. 8. ille autem in cælum aſcendit ex monte Oliveti, qui Hieroſolymæ orientalis eſt.

2. Chriſtus Oriens. *Adducam ſervum meum, orientem.* Zach. III. 8. *Ecce vir oriens nomen ejus*. Zach. VI. 12. Nullo modo de ſole oriente ſermo eſt: ſed Meſſias dicitur germen ſeu ſurculus: de qua vocis hujus notione nemo hebraice doctus unquam dubitavit.

3. Dextera orientis. Job. XXX. 12. Inſignem hunc hebraiſmum ex Masóra declaravi Voc. *Dextera*.

Origo. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt*, quippe alter primus poſt Abelem, alter primus poſt diluvium, generis humani fontes: *& ſuper omnem animam in origine Adam*. Eccl. XLIX. ult. omnium autem hominum glorioſiſſimus Adamus, quia omnium origo.

Ortygometra. Iſraelitis dedit Deus *concupiſcentiam delectamenti ſui - - - ortygométram*. i. e. coturnicem, concupitas ab ipſis delicias. Sap. XVI. 2.

Os, oris. Amnon *in ore Abſalom erat poſitus, ex die qua oppreſſit Thamar ſororem ejus*. II. Reg. XIII. 32. Semper Abſalom imminebat occaſioni injuriam ſororis ulciſcendi. *er hatte allzeit*, ut nos loquimur, *ein Aug auf Amnon*.

2. Ponere os in cælum. *Poſuerunt in cælum os ſuum: & lingua eorum tranſivit in terra*. Pſ. LXXII. 9. Deum & homines conviciis laceſſierunt.

3. Dare os. *Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam*, i. e. te, more hebraico: *neque dicas*

cet.

cet. Eccle. V. 5. Ne laxes habenas linguæ tuæ, ut loquendo peccet.

4. Os pro fame. Prov. XVI. 26.

5. Os pro victu. *Omnis labor hominis in ore ejus, ut quærat victui neceſſaria*. Eccle. VI. 7.

6. Os Dei. *Si ſeparaveris pretioſum a vili, quaſi os meum eris: convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos*. Jer. XV. 19. Si docueris populum a falſis vera diſtinguere, eris, inquit Hieronymus, ut lex mea: nam & lex humanos animos ad ſe convertit; non ipſa ad hominis voluntatem convertitur.

7. Os gladii, pro ejus acie. *Omneſque reſiſtentes ſibi occidit in ore gladii*. Judith. II. 16. *Cadent in ore gladii*. Luc. XXI. 24. Accedit ad poeticum illud Latinorum: Hauriet hos gladius: gladius latus hauſit apertum.

8. Ab ore ad os. *Repleverunt eam*, terram, *ab ore uſque ad os in coinquinatione ſua*. I. Eſdr. IX. 11. ab extremitate altera ad alteram ſordibus cooperta eſt.

9. Os carnis. Eccl. XXIII. 23. Cupiditas libidinoſa.

10. Os, oſſis. *adhæſit os meum carni meæ*. Pſ. CI. 6. Vix oſſibus hæreo.

11. Os non occultatum. *Non eſt occultatum os meum a te quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ*. Pſ. CXXXVIII. 15. Non latebant te oſſa mea jam tum, cum a te in occulto matris ſinu fingebar, ac tota mea ſubſtantia in terra ſuæ originis abdebatur.

12. Omnia oſſa mea. i. e. totus, quantus ſum. poetice dictum. *Omnia oſſa mea*, chald. omnia membra mea, *dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* Pſ. XXXIV. 10. Totis viribus te, Deus incomparabilis, prædicabo.

13. Os & caro. *Reſpondit* Jacobo Laban avunculus: *Os meum es, & caro mea*. Gen. XXIX. 14. Conſanguinitate proxima inter nos jungimur. David rex Amaſam ſuo nomine ſic jubet ſalutari: *Nonne os meum, & caro mea es?* II. Reg. XIX. 13. Genitus enim erat Amaſa ex Abigail Davidis ſorore. II. Reg. XVII. 25. & I. Par. II. 16. ſq. Alibi rex idem David hunc loquendi modum ad totam tribum Juda, unde ortus erat, extendit: *Fratres mei vos, os meum, & ca-*

& caro mea vos. II. Reg. XIX. 12. At illa blandientium vox eſt, cum *venerunt univerſæ tribus Iſrael ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum & caro tua ſumus*. II. Reg. V. 1. Tanta voluntatum conjunctione tibi adhærebimus, tanquam ſi ex eadem omnes tribu, imo eadem tecum domo eſſemus progeniti.

14. Os perforare. *Nocte os meum perforatur doloribus*. Job. XXX. 17. De oſſibus, non de ore, queri Jobum, ex hebraico fonte & LXX. patet.

15. Confringi oſſa. *Dum confringuntur oſſa mea*. Pſ. XLI. 11. Oſſa Hebræis ſunt vires ac potentia: quas calamitatum ſuarum pondere atteri & confringi ait.

Osanna. rectius *Hoſanna:* quod vide.

Osculor. *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo*. Job. XXXI. 26. ſq. Oſculari manum, ritus eſt antiquiſſimus adorantium. Negat ergo Job, unquam a ſe Divinos honores ſoli aut lunæ tributos, *quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra DEUM altiſſimum*. ibid. v. 28.

Osculum. *Mortuuſque eſt ibi*, in Phaſga, vertice montis Nebo, *Moyſes ſervus Domini, in terra Moab, jubente Domino*. Deut. ult. 5. Pro quo inepte quidam, contra fontem hebraicum, LXX. & Vulgatam, Moyſen eſſe mortuum ajunt *in oſculo Domini*. Sed oſculum hoc, ut recte habet Cornelius in l. d. *pium magis, quam genuinum*, ſoli finxerunt, ut idem loquitur, *conceptuum novorum aſſeclæ*.

Ovis. *Oves eſcarum*, Pſ. XLIII. 12; & *oves occiſionis*, ibid. v. 22. & Rom. VIII. 36. ſunt oves macello deſtinatæ.

Ovum. *Ova aſpidum ruperunt*, foverunt, excluſerunt: *& telas araneæ texuerunt*. Iſ. LIX. 5. Toti ſunt in rebus noxiis, vel certe inutilibus.

P.

PAcificus. *Vinea fuit Pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos*. Cant. ult. 11. Vinea fuit Salomoni in Baalhamon: pro cujus loci nomine hic, ut alibi ſæpius, latina ejus explicatio poſita eſt: *Baal hamon* enim hebraice eſt *poſſidens populum*. Tradita cuſtodibus hac vinea, fuit, qui pro ea offerret mille argenteos. Tum ſponſa inquit: *Vinea mea coram me eſt. Mille tui Pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus*. v. ſq. Mea igitur eſt vinea: nam ultra mille, quos ille neſcio quis obtulit, numero ego ducentos; mille argenteos tibi Salomoni, ducentos cuſtodibus.

2. Pacifica, ſeu victimæ pacificæ. Genus ſacrificii, cujus mentio crebra eſt in Divina Pagina. Ejus offerendi ritus legitur Lev. III. 1. ſqq.

Palatha. Judith. X. 5. Græcum. maſſa ficuum.

Palma. *Dicebamque: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies*. Job. XXIX. 18. *Phœnix*, quo vocabulo LXX. hic uſi ſunt, & palmam arborem, & Phœnicem avem apud Græcos ſignificat. Quapropter ne errandi relinqueretur occaſio, proſpexere LXX. addendo vocem *truncus*, ne accipi de volucre poſſet: *ſicut truncus palmæ*. Sperabam, inquit Job, me in regia mea placide moriturum, poſtquam ad ſummam ſenectutem inſtar palmæ arboris, quæ maxime longæva eſt, perveniſſem: nunc me mors immatura & acerba occupat, domo mea ejectum.

2. Dii ut palma. Simulacra deorum *in ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt, & non loquentur*. Jer. X. 5. Sunt ſpecioſa & procera, inſtar palmæ arboris; ſed muta, & ſenſu ac ratione carentia.

3. Parvuli ad menſuram palmæ. Thren. II. 20. Infantes teneri, palmares, ſeu palmum non excedentes.

Palus, *pali*. Filia laſciva, *ſicut viator ſitiens ---- ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram*. Eccl. XXVI. 15. Ad proximum quodque etiam hominis

minis peregrini tentorium, quod viatores ex obvio palo ſuſpendebant, conſiſtet primum, mox & conſidebit. Ut cupiditatem expleat, ad obvium quemque divertet. Triplici phraſi honeſte res inhoneſta indicatur.

Palus, *paludis*. *Paludes incenſæ ſunt igni*. Jer. LI. 32. Arundineta Euphratis intellige, per quem ut facilior eſſet in urbem Babylonem aditus, ignem hoſtes injecere, ut ipſæ paludes ardere viderentur.

Panis. Per hebraiſmum ponitur pro omni cibo. *Appoſitus eſt in conſpectu ejus panis*. Gen. XXIV. 33. illati ſunt cibi. David ad Miphiboſeth: *comedes panem in menſa mea ſemper*. II. Reg. IX. 7. perpetuus eris meus conviva. Dan. V. 1., ubi nos legimus, *Balthaſar rex fecit grande convivium*; Daniel ipſe chaldaice ſcripſit, *fecit panem magnum*.

2. Panis mendacii. Prov. XX. 17. Panis lapidoſus. de quo ex Fabio Verrucoſo dixi Voc. *Numerus*.

3. Panis doloris. Pſ. CXXVI. 2. laborioſus, ærumnoſus. Subtilius ſcrutantur alii, *& panem idolorum* in hebraico deprehendunt. Vide, ſi libet, Delrii Adagialia Sacra P. II. adag. 129.

4. Panis lugentium. *Sacrificia eorum, quaſi panis lugentium: omnes, qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini*. Oſ. IX. 4. In tabernaculo mortui omnia erant immunda. Num. XIX. 14. Talia coram Deo erunt illorum ſacrificia, præſertim cum victimas non Domino, ſed ſibi & gulæ ſint oblaturi: neque enim cibos hos in templum mittent, ſed ipſi comedent: quemadmodum & vinum, ut ibidem dicitur, non Deo libabunt, ſed ipſi bibent.

Papyrion. Ex. II. 5. Frutetum papyri, ſeu ingentium Nili arundinum, in quo fiſcella adhæſit, Moyſen infantem deferens.

Parabola. Hebraico more quæcunque ſententia gravis, aut dictum ingenioſum, parabola dicitur; ut Balaami vaticinatio. Num. XXIII. & XXIV. ſæpius, & Jobi ſermones XXVII. 1. & XXIX. 1. Salomonis quoque Proverbia ab Hebræis *Miſchlé* (non *Mislé*, ut blæ-

ſo vocabulo editiones latinæ complures habent) i. e. Parabolæ inſcribuntur, tanquam dominantes ſententiæ, ac viris principibus dignæ: *maſchal* enim Hebræis eſt *dominari*.

2. Accipere in parabolam. Abrahamus Iſaacum filium immolare parabat, viva fide fretus: *unde eum & in parabolam accepit*. Hebr. XI. 19. recepit eum ut imaginem, ſeu typum & figuram, nimirum Chriſti.

3. In parabolam fieri. *Factus ſum illis in parabolam*. Pſ. LXVIII. 12. Eo devolutæ ſunt res meæ, ut proverbi loco inimici mei dicant de infelicibus: Homo hic eſt Davide miſerior. Ejuſdem ſententiæ eſt: *In die illa ſumetur ſuper vos parabola, & cantabitur canticum cum ſuavitate, dicentium: Depopulatione vaſtati ſumus*, cet. Mich. II. 4. Dicetur inſtar adagii: Samaritano calamitoſior, Iſraelitis ærumnoſior. Carmine lugubri mala veſtra deplorabitis, quæ hoſtes cum ſuavitate & voluptate ſua audient. Sic autem canetis: Depopulatus eſt & vaſtavit nos hoſtis: *pars populi mei commutata eſt*, pars inſignis populi hebraici, totum regnum decem tribuum, ſua ſorte excidit: hæreditas populi mei in alienam ditionem translata eſt: *quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones noſtras dividat?* ibid. qua ratione ſperare licet, receſſurum a me Aſſyrium, cum populatus nuper Palæſtinam, tam cito revertatur, & regionem omnem inter ſuos dividat?

Paraclitus, ſeu *Paracletus*. Proprie Græcis Advocatum ſignificat: paſſim tamen etiam pro Conſolatore accipitur, obliqua notione, ſed tam antiqua, ut jam Syriaca in Joannis Evangelio eam habeant. Hoc nomine Chriſtus non modo Divinum Spiritum, ſed ſe quoque tacite nuncupavit, cum dixit: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Joann. XIV. 16.

Paradisus. Ad regem Tyri dicitur: *In deliciis paradiſi* Dei *fuiſti*. Ez. XXVIII. 13. Regio Tyria fertiliſſima ob miram ſuam amœnitatem paradiſus vocatur eadem ratione, qua de Pentapoli ſcriptum eſt: *ſicut paradiſus Domini*. Gen. XIII. 10.

Paralipomenon. Sic inſcribuntur libri duo Divini Codicis, in quibus ea potiſſimum enarrantur, quæ in

libris

libris Regum omittuntur : *paralipomena* enim græca ſunt *prætermiſſa*. Hebraicus eorundem voluminum titulus eſt *Divré baijamim*, Verba dierum q. d. Ephemerides.

Parasceve. Græcum, præparatio. Dies erat, quo in proximum feſtum, ſabbati videlicet magni ſeu Paſchalis, neceſſaria parabantur.

Parco. *Non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*. Col. II. ult. Eos notat Paulus, qui ſtulta geniorum cæleſtium religione ducti, ſuperſtitioſa jejunia ſibi indicebant, non parcentes ſuis ipſi corporibus, & victum neceſſarium, quem honorem vocat, ultro ſibi detrahentes.

Pario. Judæi convenire jubentur, *priuſquam pariat juſſio quaſi pulverem tranſeuntem diem*. Soph. II. 2. antequam erumpat dies vindictæ, quam vox Dei pariet ſeu adducet, tanquam pulverem turbine elatum, & omnia involventem, ut excæcati ſubducere, & circumſpicere de auxilio non poſſint.

Pars. Pro hæreditate, vel ſorte. *Dominus pars hæreditatis meæ*. Pſ. XV. 5. Deus eſt tota mea hæreditas, tota mea portio hæreditaria. *Laudabunt partem ſuam*. Iſ. LXI. 7. Sorte ſua gaudebunt, eam ſibi gratulabuntur. De utroque hoc loco explicatius actum in Vocabb. *Calix*, & *Duplex*. Legitur & plurali numero: *In partes vade ſeculi ſancti, cum vivis, & dantibus confeſſionem DEO*. Eccli. XVII. 25. Tende ad beatam eternitatem, ad hæreditatem ſanctorum, ut cum illis ſemper vivas ac Deum laudes. de hac laudatione Dei, non de confeſſione ſacramentali Hebræis ignota, accipe vocabula *confeſſio*, *confitere*, *confiteberis*, ibid. v. 26. ſq. ubi Siracides Dominum laudare nos jubet, dum vivimus, ut in æterna vita *cum vivis, & dantibus confeſſionem* Deo ſemper eum laudemus.

2. Pars Dei. Partem ſeu hæreditatem ſuam appellat Deus populum a ſe electum, ſive, quod idem eſt, Eccleſiam ſuam. *Conculcaverunt partem meam*. Jer. XII. 10. populum meum Iſrael. *Pars Dei, Iſrael facta eſt manifeſta*. Eccli. XVII. 15. Manifeſte apparet, Iſraelem ex omnibus gentibus electum a Deo eſſe, quem ipſe ceu proprium poſſideat. *Vocabat judicium*

ad ignem Dominus Deus: *& devoravit abyſſum multam, populum; & comedit ſimul partem* Dei ipſius, templum. Amos VII. 4. Prædicit Hieroſolymæ a Nabuchodonoſore capiendæ & templi incendium, cui Deus ſontem hanc urbem adjudicavit. *Radicavi*, inquit Sapientia, *in populo honorificato*, in populo electo: *& in parte* Dei *mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea*. Eccli. XXIV. 16. domicilium meum eſt *in parte* Dei *mei*, quæ eſt hæreditas illius & plenus ſanctorum hominum chorus.

3. Partes tres. *Partes duæ in ea*, terra, *diſpergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in ea*. Zach. XIII. 8. Quidam, facili expoſitione contenti, impios & electos intelligunt, quod illorum numerus multo major ſit. At perſpicaciſſimus Hieronymus ſubtiliter & preſſe hunc in modum interpretatur: ante Chriſtum, de cujus ſanctiſſima morte l. d. verſu priore, duæ hominum partes erant, Judæi, & Gentes ceteræ omnes a Deo alienæ: ambæ diſperdentur a ſtygiis hoſtibus, ſi hæ in ſuis erroribus, illi in abrogata per Chriſtum lege, ambo in ſceleribus ſuis perſeverarint. Tertia autem pars durabit per ſecula deinceps omnia, nimirum Chriſti eccleſia: de qua intellige, quod ſupereſt hujus Capitis.

4. Partibus, pro ſenſim, per partes. *Eos, qui exerrant, partibus corripis*. Sap. XII. 2. *Partibus judicans dabas locum pœnitentiæ*. ibid. v. 10. non totam ſimul pœnam infligendo, ſed paulatim caſtigando, ut ſpatium ad ſeſe reſpiciendos eis relinquas.

5. Partes vulpium. *Introibunt in inferiora terræ*, ſepulcro tegentur, vel *tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt*. Pſ. LXII. 10. ſq. gladio conſumentur, vel in deſertis locis extabeſcent, a vulpibus aliiſque feris devorandi.

Parturio. *Parturiens pariet*. Mich. V. 3. Noli acerbos nixus ac dolores ſuſpicari, præſertim ſi de Chriſti Parente Virgine interpretari placeat: ſed, ut eſt in fonte hebraico, *pariens pariet*, certiſſime pariet, partum generoſum & præſtantem edet. Contextum habes in *Do*, §. 6.

Parvus. Pharaoni de ætate ſua reſpondet Jacob: *Dies*

Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali. Gen. XLVII. 9. Tam hebraica, quam græca & chaldaica vox & paucos, & parvos ſignificat. Sicuti dies magnus eſt, quo Deus res illuſtres patrat: ita dies parvi ſunt, quibus ignobiles, & moleſtiis conflictati vivimus. Sed ne hi quidem dies aſpernandi ſunt: *quis enim deſpexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel*. Zach. IV. 10. Lapis ſtanneus eſt perpendiculum, inſigne fabri ædificantis. Poſt moleſtos hos dies aliquot redibit lætitia, cum apparebit, Deum per fidelem quendam ſervum ſuum ædificare denuo Eccleſiam.

Pascha. Aliqui Veterum a græco *Paſcho* (*patior*) male utique derivarunt. Hebraice eſt *Péſach*. Chaldaice *Piſcha*. (pronuncia, non *Pi-ska*, ſed *Piſ-cha*.) Unde LXX., & Græci omnes, ac Latini, ſuum *Paſcha* formarunt. Senſus vocabuli neutiquam a patiendo petendus eſt: Chriſti enim paſſi memoria non ad lætiſſimum ac triumphalem hunc diem, ſed potius ad Paraſceven referenda erat, ſed ſignificat tranſitum Domini, eo ſenſu, quem Ex. XII. 11. & 27. legimus, in Voc. *Phaſe* a me paulo poſt declarandum.

Pasco. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat, & fœdus cum Aſſyriis iniit, & oleum in Ægyptum ferebat*. Oſ. XII. 1. Paſcere ventum dicitur, qui operam inanem ſumit, & fruſtra laborat: qualia ſunt apud nos, littus arare, ſurdo fabulam canere, Æthiopem lavare. Rex Iſraelis Oſee prius fœdere ſe illigavit Aſſyriis, deinde iis relictis ad Ægyptios ſe tranſtulit, pretioſis etiam donis, inter quæ laudatiſſimum Samariæ oleum, amicitiam eorum mercatus. Primum eſt inutile; alterum etiam pernicioſum; ideo primo tribuit *mendacium*, alteri *vaſtitatem*. primum eſt hominis fatui, qui vel paſci vento, vel eum capere & in paſcua vult educere. alterum eſt hominis ſuum damnum quærentis, dum captat ventum calidum, qui omnium maxime corporibus nocere ſolet.

2. Paſcere in gladio & lanceis. Mich. V. 6. Hunc loquendi modum expoſui in *Nemrod*.

Pastophorium. I. Mach. IV. 38. & 57. Paſtophoria erant cubicula ſeu promptuaria, in quibus neceſſaria ad templi miniſterium & ornatum ſervabantur.

Pastor. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore uno*. Eccle. XII. 11. Paſtor unus, i. e. ſummus, Deus eſt, qui nos per ſapientes ſervos ſuos docendo, ad bonum ſtimulat, & ne a bono ad malum defluamus, potenter confirmat.

2. Tres paſtores. *Succidi tres paſtores in menſe uno, & contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variavit in me*. Zach. XI. 8. Moyſen, Aaronem, & Mariam eorum ſororem prophetidem uno menſe abſtuli: moleſtus enim mihi fuit hic populus, dum fidelis mihi eſſe deſiit. Ita D. Hieronymus.

3. Paſtor ſtultus. Zach. XI. 15. ſqq. Præmonſtrare jubetur Propheta Antichriſtum, quem grex Judæorum, vero Meſſiæ perduellium, paſtorem ſequetur. Ille vero gregem non tantum non juvabit, ſed vaſtabit etiam, & ungulas ictibus diffringens proſternet. Sed ad extremum percutietur a Deo idolum hoc & falſus paſtor, dum Paſtor verus Chriſtus gladio oris ſui brachium impii feriet, eumque excæcabit.

Patientia. *Tuere me ab his, qui perſequuntur me, noli in patientia tua ſuſcipere me*; noli, dum me inter tuos ſuſcipis & agnoſcis, tam diu & patienter diſſimulare injurias, quibus me obruunt: *ſcito*, memento, *quoniam ſuſtinui propter te opprobrium*. Jer. XV. 15.

Patruelis. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ*. Iſ. V. 1. LXX. & Chaldæus pro patruele dilectum nominant. Hebraico more patruelis dici poteſt cognatus quilibet. Meſſiam itaque Iſaias non modo dilectum, ſed ſenſu etiam proprio patruelem ſeu cognatum dicere potuit, quia ex eadem cum Chriſto regia Davidis familia oriundus. Ait ergo: Præcinam dilecto & cognato lugubre carmen de ingrata ſua vinea, quod ipſe olim cantaturus eſt. Eſt enim hæc Iſaiæ parabola omnino eadem, quam Chriſtus Matth. XXI. 33. ſeqq. proponit.

Paucus. *Domine a paucis de terra divide eos*. Pſ. XVI. 14.

14. Separa eos a ſanctis & electis, qui ceteris comparati ſemper ſunt pauci.

Pavimentum. *Lapſus falſæ linguæ, quaſi qui in* (pro *a*, ut eſt in fonte græco) *pavimento cadens: ſic caſus malorum feſtinanter veniet*. Eccli. XX. 20. Quam celeriter graviterque colliditur, qui a pavimento ſeu tecto æqualiter ſtrato decidit: tam celer & gravis eſt lapſus, in quem homo fallax a lingua ſua impellitur.

Paulo minus. *Niſi quia Dominus adjuvit me: paulominus habitaſſet in inferno anima mea*. Pſ. XCIII. 17. Niſi Deus adfuiſſet, parum abfuit, quin occumberem, quin tumulum ac limbum ſubirem. *Paulominus conſummaverunt me in terra*. Pſ. CXVIII. 87. Parum aberat, quin vitam mihi eriperent.

Pax. Paſſim pro felicitate, pro omni genere proſperitatis. Inde ſalutationis illa formula: *Pax tibi* aut *tecum: Pax vobis*, illud etiam: *Vade in pace*. i. e. ſalvus eſto, felices eſtote. *Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te*, o Jeruſalem. Pſ. CXXI. 8. illorum amore omnem tibi felicitatem precabar. *Statuit illi teſtamentum pacis, principem Sanctorum, & gentis ſuæ*. Eccli. XLV. 30. Promiſit illi certam & ſtabilem proſperitatem, eique principatum ſacerdotii & gentis ſuæ decrevit. *Gloria in altiſſimis* Deo, *& in terra pax*. omnigena ſalus, & omne verum bonum, *hominibus bonæ voluntatis*. Luc. II. 14. *Benedictus, qui venit rex*, Chriſtus a Monte Oliveti Hieroſolymam tendens, *in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelſis*. Luc. XIX. 38. Triumphanti Domino, ſibique ipſis, genus omne boni, decerni in cœlo cupiunt, atque inde gloriam regnanti in excelſis Deo & Meſſiæ precantur.

2. *Erit iſte pax*. Mich. V. 5. de Meſſia. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, & inimicitias ſedavit, *medium parietem maceriæ ſolvens*, ut eloquenter de Chriſto ſcribit Paulus Epheſ. II. 14.

3. *Factus eſt in pace locus ejus*. Pſ. LXXV. 3. Hebraice, in Salem, i. e. in urbe Jeruſalem: cui pro more Bibliorum ſtatim adjungitur in hebraico & latino: *& habitatio ejus in Sion*: Deus Hieroſolymæ in templo

montis Sion domicilium ceu in loco ſibi proprio collocavit.

Paxillus. Rogavimus Dominum, inquit Eſdras, uti *daretur nobis paxillus in loco ſancto ejus*. I. Eſdr. IX. 8. Paxillus tentoria figit, aliaque multa ſuſtentat aut firmat. Stabilitatem ergo & quietam firmitudinem concedi petunt in loco ſancto.

2. Paxillus de Chriſto. Zach. X. 4. Habes locum in Voc. *Angulus*, §. 3.

3. Paxillus de Pontifice. *Figam illum paxillum in loco fideli*. Iſ. XXII. 23. *Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli*. ibid. v. 25. Hebraice eſt clavus. Summum Hebræorum Pontificem indicat, e quo in rebus ſacris omnia pendebant.

Peccator. Bethſabea ad Davidem: *cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon, peccatores*. III. Reg. I. 21. Si Adonias rogno potitus fuerit, ego & Salomon ſuſpecti erimus: tractabimur ut nocentes; inſimulabimur criminum, & opprimemur.

Peccatrix. Maria Magdalena dicitur *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*. Luc. VII. 37. *Nihilominus Magdalenam fuiſſe meretricem, calumnioſum eſt*. Theophil. Raynaudus Operum T. XII., in Hoplotheca contra ictum Calumniæ, Sect. II. ſerie 2., c. 8. ubi id ſolide proſequitur. Videant igitur oratores ſacri, ne hoc dicere Zvvingeri hæretici theatro, aut Raviſianæ officinæ centunculis, quam verbi Divini majeſtate ſit dignius.

Peccatum. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*. Pſ. IX. 36. Quidam de peccati emolumentis exponunt: mortuo impio, quæretur, ubi jam ſit potentia illa, deliciæ, auctoritas, quas peccatum ei attulit: nec invenietur. Sed in hebraico eſt: Quæres peccatum ejus, nec invenies, loquiturque David in hoc verſu & proxime prioribus cum Deo ipſo. Rationem peccatorum ab eo repoſces: quam reddere miſer non poterit.

2. Pro peccati pœna. *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?*

Gen.

Gen. IV. 7. In captivitate *nos diſperſiſti in improperium, & in maledictum, & in peccatum*. Bar. III. 8. infames ubique ſumus, & propter ſcelera execrabiles, quippe de quibus tam acerbas peccatorum pœnas Deus ſumpſerit. Huc referendus eſt fomes ſeu concupiſcentia, ut loquimur; inſignis peccati pœna, quæ in Paulinis epiſtolis peccatum aliquoties appellatur.

3. Loco hoſtiæ pro peccato. De Chriſto pro peccatis noſtris immolato dicitur: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* Pater cæleſtis. II. Cor. V. 21. Sacerdotes *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum*. Oſ. IV. 8. Alentur ex hoſtiis pro peccato: quas dum appetunt, delicta diſſimulantes, populo ſæpius peccandi occaſionem præbebunt. Sic, ubi nos habemus, *Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto?* Lev. X. 17. in fonte hebraico legitur, Cur non comediſtis peccatum in loco ſancto? Non idem ſentio Num. XVIII. 1. ubi non hoſtias, ſed commiſſa a ſacerdotibus piacula intelligi, oſtendi in Voc. *Iniquitas*, §. 2.

4. Pro immunditia legali. Sic puerperium Lev. XII. 6. peccatum dicitur.

Pecus. *Pecora occiſionis* Zach. XI. 4. & *pecus occiſionis*, ibid. v. 7. Judæi macello deſtinati, & Romanorum armis debiti. Paſcit quidem ſtolida hæc & cervicis duriſſime pecora Meſſias, qui toto illo Capite loquitur; conatur gregem ab interitu revocare; ſed incaſſum. Amariſſimum eſt, quod v. 6. dicit, traditurum ſe Judæos *in manu regis ſui*; ut barbari, qui exclamarant, Non habemus regem niſi Cæſarem, hujus ipſius regis ſui armis perirent.

Pedalis. *Quæ habitas ſuper aquas multas* Euphratis, o Babylon *locuples in theſauris: venit finis tuus pedalis præciſionis tuæ*. Jer. LI. 13. impleta eſt menſura brevis tuæ felicitatis, quæ veluti unius pedis fuit. hebr. cubitus nunc exſcindenda es.

Pedes. *Si cum peditibus currens laboraſti*, inquit ad Jeremiam Deus: *quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis ſecurus fueris, quid facies in ſuperbia Jordanis?* Jer. XII. 5. Si tam graves tibi ſunt

cives

cives tui in urbe exigua Anathoth, ut ferre vix poſſis: qua ratione opponere te audebis principibus & ſacerdotibus Hieroſolymæ? ſi ita quereris de quieto oppido, in quo ſecurus ac tranquillus eſſe poteras: qualis inter fluctus urbis regiæ eris, quæ par eſt Jordani, cum intumuit?

Pellis. Criminator Jobi *Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua*. Job. II. 4. Vero ſimilimum, eſt quod Gaſpar Sanctius, vir ingenioſus, eoque priores alii, cenſuerunt, *hoc eſſe proverbium, illius ſeculi & Idumæis forſitan præcipue, familiare, quo ſignificant antiqui, pro tuenda vita omnium rerum jacturam eſſe ſubeundam non libenter*. Sanct. in Job. II. §. 13. Pro ſua pelle, pro ſua vita, dabit homo quidlibet aliud; ſeu pecuniam, in corio ab antiquis ſignatam: ſeu veſtes ſuas heroum more ferarum pellibus prætextas; ſeu gregum ſuorum, imo & liberorum vitam. Poteſt his, inquit calumniator Satan, æquiore animo carere Jobus, quamdiu intacta relinquitur ipſius cuticula: hæc ſi tangatur, alia omnia apparebunt. Subtiliter advertit Pineda (hic, §. 3.) particulam hebraicam *bead* ſeu *behad*, quam noſter vertit *pro*, ſæpius in Divinis Literis ſignificare *ſuper*: quod exemplis allatis vere confirmat (poterantque etiam plura afferri.) inde ſenſum eruit: Pellem ſuper pellem, bona alia ſuper alia, & denique omnia ſua dabit homo, ut vitam ſalvam eripiat.

2. Pelles pro tabernaculis. *Pelles eorum*, incolarum Cedar, *& omnia vaſa eorum, & camelos eorum tollent ſibi*, Jer. XLIX. 29. Hoſtes tentoria eorum cum omni ſupellectile & gregibus capient. Habitaſſe illos in tabernaculis, non in domibus vecte ac ſera munitis, narratur ibid. v. 31. *Pelles Salomonis*, Cant. I. 4. explicatæ ſunt in Voc. *Cedar Extendens cælum ſicut pellem*. i. e. inſtar tentorii. ita de Deo Vates regius Pſ. CIII. 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian*, Hab. III. 7. caſtra Madianitica.

Pendeo. *Populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur*. Oſ. XI. 7.

XI. 7. Populus meus, juſte a me deſertus, ſuſpenſo animo expectabit meum ad ſe reditum. Sed relinquam univerſos ſub Aſſyriorum jugo: non liberabuntur. Quomodo (v. 8.) tractabo te, Iſrael? an te protegam? nequaquam, ſed ut Sodomam & ſocias te delebo. Vix tamen hæc minatus eſt Deus, cum ad miſericordiam rediens, liberatorem promittit, Chriſtum videlicet, qui modo longe nobiliore populum electum congreget, & omni felicitate cumulet. v. 9.

Penna. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus*. Mal. ult. 2. Pennæ per elegantiam hebraicam pro radiis. Cæleſtes Solis hujus radii ſic illuſtrant animos, ut etiam ſanent. imo & corporibus ſuprema illa judicii die (de qua ibid. v. 1.) ſanitatem & felicitatem perpetuam largietur.

Pentacontarchus, ſeu Pentecontarchus. I. Mach. III. 55. Dux quinquaginta militum. Græcum.

Pentapolis. Græcum. Sap. X. 6. Regio quinque urbium, quarum caput erat Sodoma. Ut Decapolis regio decem urbium.

Pentecoste. Ex græco ad verbum transferas Quinquageſimam. Hebræis & nobis dies a Paſchate quinquageſimus, quo illi legem in monte Sina, nos Spiritum Divinum in monte Sion accepimus.

Per. Pro in. Ez. XLV. 24. & XLVI. 5. de quibus dictum in *Ephi*. Modus loquendi ſimilis latino illi: ſinguli denarii in ſingula capita.

Percutio. *Super quo* (i. e. quare, quorſum) *percutiam vos ultra?* Iſ. I. 5. Clementiæ eſt percutere, ut emendatio conſequatur. Fecerat id Dominus, tentaverat omnia; ſed fruſtra.

2. Percutere fluctus. Populus electus *tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis*. Zach. X. 11. ſuperabit omnia pericula. Id Propheta exprimit per imaginem Hebræis familiarem, ſciſſi maris rubri, & Jordanis diviſi.

Perditio. Pro morte: quo ſenſu cum accipitur, additur & *infernus* aliquando. *Infernus, & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles*. Prov. XXVII. 20. Humana cupiditas non minus

eſt inſaturabilis, quam tumulus aut locus animorum poſt mortem, vel mors omnia perdens. Eodem ſenſu junguntur in illo Jobi: *Nudus eſt infernus coram illo*, Deo, *& nullum eſt operimentum perditioni*. Job. XXVI. 6. Notiſſimus ei ſtatus eſt corporum & animorum poſt mortem; & ipſius mortis tempus, locus, modus. *Perditio & mors* Job. XXVIII. 22. videntur ſpiritus damnatos & animas juſtorum in limbo ſignificare.

Perdix. Furatur aliena ova, & pullos excludit. *Perdix fovit, quæ non peperit*: ſed pulli, audita veræ matris voce, ad illam confugiunt. ſic qui *fecit divitias, & non in judicio*; qui inique congeſſit opes: non perfruetur: *in dimidio dierum ſuorum*, ſive in medio felicitatis curſu, ſive per immaturam mortem, *derelinquet eas, & in noviſſimo ſuo erit inſipiens*: ad extremum agnoſcet, agnoſcentque & alii, ſtultum eum laborem fuiſſe. Jer. XVII. 11.

Perduco. *Hoſtes ipſe Dominus perduxit*. Eccl. XLVI. 4. ſcilicet ad Joſuen, ejuſque manibus cædendos tradidit.

Pereffluo. *Ne forte pereffluamus*. Hebr. II. 1. ne pereamus; inſtar liquoris undique effuſi.

Peregrinatio. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecundum intellectum peregrinationis ipſius*. Eccl. XVI. 15. Omne beneficium cuicunque præſtitum inveniet locum præmii in cælo, ubi merces reddetur pro merito, & ſecundum prudentiam, qua vitam quiſque exegit.

2. Peregrinatio Lot. i. e. Lot peregrinus. Eccl. XVI. 9. Execratus eſt Deus ſuperbum cor Sodomæ, & viciniæ, quæ Loto hoſpiti non pepercit. Sic peregrinatio puerorum Dei, Sap. XII. 7. eſt populus Dei peregrinus, ſeu filii Iſrael peregrinantes. Contextum illum paulo abſtruſiorem illuſtrabo Voc. *Sacramentum*.

Peregrinor. Pro admirari, percelli novitate rei, *Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat*. I. Petr. IV. 12. Nolite mirari, nolite peregrinum ducere aut novum,

ſi ab

ſi ab æſtuante adverſario, aut urente ærumna tentemini.

Peregrinus. Cum Deus judex ultimo ſupplicio reos afficit, eſt hoc *alienum opus jus: ----- peregrinum eſt opus ejus ab eo*. Iſ. XXVIII. 21. Dei enim natura eſt, beneficium & liberalem eſſe, pœnas expetere, nos eum flagitiis cogimus.

Pereo. *Peribit fuga a paſtoribus, & ſalvatio ab optimatibus gregis*. Jer. XXV. 35. Non potuerunt fugere. aut ſtragem avertere. *Peribit fuga a veloce*. Amos II. 14. Ne veloces quidem effugient. *Periit fuga a me*. Pſ. CXLI. 5. Nullum ſupereſt mihi effugium.

Peribolus. *In peribolo Sanctorum*. I. Mach. XIV. 48. in porticibus ambientibus locum ſanctum. de templo ſermo eſt.

Perizoma. Primi parentes *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Gen. III. 7. velamenta, cinctus, quodammodo ſubligacula,

Permaneo. Rex a Deo electus (Chriſtus) *permanebit cum ſole, & ante lunam, in generatione, & generationem*. Pſ. LXXI. 5. *Ante ſolem permanet nomen ejus*. ibid. v. 17. *ante*. i. e. coram. Manebit in perpetuum, quamdiu ſol & luna fulgebunt. periphraſis poetica.

Perpendiculum. *Extendetur ſuper eam*, Idumæam, *menſura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem*. Iſ. XXXIV. 11. Sic omnia vaſtabuntur, & evertentur, ut ſola terræ ſuperficies ſuperſit, tanquam ad menſuram perpendiculo complanata.

2 *Perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem*. Zach. I. 16. Urbs ſancta denuo ædificabitur: templum ac domus civium inſtaurabuntur.

Persona. *Non accipiet Dominus perſonam in* (contra) *pauperem, & deprecationem læſi exaudiet*. Eccl. XXXV. 16. Non reſpiciet nobilitatem, aut potentiam eorum, qui pauperes opprimunt; ſed preces & gemitus læſorum audiet.

Perverto. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*. Pſ. XVII. 26. ſq. Præſtans Pſalmorum interpres Georgius Heſerus in hunc locum ait:

Pror-

Prorſus horum verſium alius ſenſus eſt, quam vulgo exiſtimetur. Ne de ſocietate hominum bona malave agitur: ſed hæc de Deo ipſo dicuntur, cum quo loquitur David. Ita contextus demonſtrat, & interpretum Patrumque torrens: quorum explanationes feliciter collegit uberrimus omnium Thomas le Blanc, T. II. in l. d. *Tu enim, o juſte hominum arbiter, piis pium te exhibebis, bona illis plena manu affundens: & innoxiis innoxium te præbebis, nullis eos incommodis afficiens, aut affici permittens. Atque cum eo, qui non vulgari ſtudet ſanctitati, ſumma te ac ſingulari propenſione benignum munificumque præſtabis. Cum eo autem, qui diſtorta mente a te ad creaturas avertitur, modum quoque a tua benignitate alienum atque inſolitum ſervabis, ſevera ab eo pœna repetita*. Veteres autem ſcriptores, e ſanctiſſimis etiam ac doctiſſimis aliqui, cum hæc de probis improbiſque ſociis uſurparunt, non ut Davidicum aut Divinum teſtimonium, ſed ut vulgatum proverbium attuliſſe credendi ſunt. Siquis aliter, humanum aliquid paſſus eſt, cui veritas, & pſalmus, & ipſe, ut Heſerus loquitur, *nexus omni contentione reclamat*.

Pes. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moveat me*. Pſ. XXXV. 12. Chald. Ne occurrat mihi pes ſuperbi. Ne permitte, o Deus, ut ſuperbus hoſtis ad me appropinquet, & manu impia me commoveat, ac de ſtatu dejiciat. Sed illud, quod in hunc locum notiſſimus aſceta pie commentus eſt, ſuperbiæ unum duntaxat pedem eſſe, ideo facile eam ſterni; non modo alieniſſimum eſt hoc loco, ſed ab ipſa rerum natura abhorret: nam uno pede euntem, ſeu ad me accedentem, concipere animo, notio pugnans eſt: cum greſſus alternari ac promoveri uno pede non magis poſſit, quam una ala volari.

Pessimo. id eſt, peſſimis modis vexo. *In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur: & qui peſſimant plebem tuam, inveniant perditionem*. Eccl. XXXVI. 11. Siquis iniquorum evaſerit e periculis ceteris, eum ira tua incenſa conſumat, ſeu vivum, ſeu mortuum in ergaſtulo ſempiterno: & qui tantopere populum tuum exagitant, interitu involutos denique ſe deprehendant.

Ali-

Alibi Siracides vetat immodicam ſuſcipere ægritudinem propter carorum mortem: *neque enim eſt converſio*, i. e. reditus e ſepulcro; *& huic*, mortuo, *nihil proderis*, *& teipſum peſſimabis*, tibi graviter nocebis. Eccl. XXXVIII. 22. *Quid ex hoc peſſimabor?* Eccl. XI. 26. Quid detrimenti mihi res hæc inferet?

PETRA. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* Jer. XVIII. 14. Juga Libani, ſuperficiem latam & amplam inſtar agri habentia, ſemper nivibus teguntur. Citius videbatur ſummum Libani dorſum nive cariturum, aut exhauriri poſſe aquæ perennes e montibus erumpentes; quam fore unquam, ut populus meus oblivisceretur mei. Attamen *oblitus eſt mei populus meus*. v. ſq.

2. Petra deſerti. Iſ. XVI. 1. Petra Moab, Arabiæ urbs, unde Ruth Moabitis, Chriſti per Davidem futura avia, in Judæam migravit. Ideo ex hoc loco emitti dicitur Agnus Dominator terræ, ut in Voc. *Agnus* memoratum.

PETRUS. Vide *Cephas*.

PHALEG. Hebraice diviſio. Ita dictus infans, *eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra*. Gen. X. 25.

PHANUEL. Hebraicum. facies DEI. *Vocavitque Jacob nomen loci illius*, ubi luctatus fuerat cum cæleſti genio ad auroram uſque, *Phanuel*, *dicens: Vidi DEUM facie ad faciem*. Gen. XXXII. 30.

PHARAN. Montis ac regionis deſertæ Pharan mentio ſæpius in Pentateucho occurrit. Memorabile præ ceteris illud eſt, quod eo loco Moyſes, jubente DEO, ſeptuaginta judices populi elegit, qui ibidem Spiritu Divino impleti ſunt. Num. XI. 16. & 24. ſq. *DEUS ab Auſtro* (hebraice Theman) *veniet*, *& Sanctus de monte Pharan*. Hab. III. 3. *veniet* pro *venit*: futurum enim & præteritum in ſtylo poetico Hebræi paſſim commutant. Reſpicit ad illud Moſaicum: *Dominus de Sinai venit*, *& de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan*, *& cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex*. Deut. XXXIII. 2. Obſerva, Idumæam, quæ reſpectu terræ ſanctæ auſtralis eſt, pluribus nominibus appellari; E-

dom,

dom, ab Eſau Idumæi populi parente, qui Edom dictus, i. e. rufus; Seir, a monte Seir, qui ab eodem Eſau (Seir enim piloſum ſignificat) id nomen traxit, Theman, a Themane Eſavi nepote, qui ibidem regnaverat. Jam Prophetam utrumque audiamus: A monte Sinai, & ex Idumæa ſeu Themanitide, cujus eſt mons Seir, & a ſolitudine montis Pharan Deus ab auſtrali plaga ſenſim populum ſuum in Palæſtinam furſum eduxit, poſtquam in Sina, millibus angelorum comitantibus, legem ſuam igneam Hebræis tradiderat. Allegorice de Chriſto, Bethlehemi nato, quæ urbs in auſtrali terræ ſanctæ tractu ſita eſt. Idem, cum ante Chriſtianum populum aſcendiſſet in promiſſum cæleſte regnum, ſeptuaginta diſcipulos Spiritu Sancto implevit, igneo igneæ ſuæ legis interprete.

Pharao. Non unius hominis nomen, ſed regibus Ægypti commune. Ita videmus Pharaonem eum, ſub quo Joſephus patriarcha vixit, temporibus, moribus, rebus geſtis, & in Hebræos voluntate longiſſime diſtantem a Pharaone illo, *qui ignorabat Joſeph* (Ex. I. 8.) & neſciebat Dominum (Ex. V. 2.) a quo denique cum exercitu fluctibus oppreſſus interiit. Elias Hutterus, vir linguarum ſtudioſiſſimus, in Harmonico ſuo, ad Radicem *Para* (auctor *Parah* ſcribit) affinitatem reperit inter nomen *Pharao*, & noſtrum *Liber Baro*, ac germanicum *Frey & Frau*: quam derivationem quotus quiſque perſuaderi ſibi paſſurus ſit, ipſe viderit.

Phares. Gen. XXXVIII. 29. Hebraicum. q. d. diviſio.

Pharetra. Eccl. XXVI. 15. De filia laſciva dictum, quæ cupiditatem obvia quavis occaſione expletura eſt. Locus totus eſt in Voc. *Palus*.

Phase. De Paſchate dicitur: *eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus, Domini*. Ex. XII. 11. Cave putes, intelligi tranſitum populi per mare rubrum: indicatur enim tranſitus angeli exterminatoris, qui domos Hebræorum præteriit, cum ſobolem Ægyptiorum trucidaret. Nomenclationem hanc ipſe Moyſes indicat Ex. XII. 27. *Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.* ubi in fonte hebraico *tranſitus eſt peſach*, & *tran-*

tranſivit ejuſdem vocabuli Radix *páſach*: ut videas, alterum alterius rationem reddere. Cur autem pro hebraico *Peſach* græce latineque verſum eſt *Phaſe*? Ea eſt ratio, quod Græci Romanique aſpiratam *ch* in vocabulorum fine non ament. Quapropter & *Thare*, *Core*, *Noe*, *Jephte* ſeu *Jephthe*, hebraicis *Terach*, *Kórach*, *Noach* monoſyllabo, *Iiphtach* ſubrogata ſunt.

Phassur. Cum Phaſſur ſacerdos injuria graviſſima Jeremiam læſiſſet, pœnam ei Propheta denunciavit, nomen immutans: *Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum, ſed pavorem undique*. Jer. XX. 3. Hebraicum *Phaſchchur*, inquit peritiſſimus Bibliorum Regiorum editor Arias Montanus T. VIII. in Onomaſtico, principem ſignificat libertate abutentem ſeu luxuriantem. At Deus, Poſthac, inquit, vocaberis *non Tumor, ſed Timor*: ut venuſte expreſſit Cornelius a Lapide in hunc locum.

Phetros. Inter provincias alias, e quibus rediturae ſunt reliquiæ populi electi, numeratur & *Phetros*, hebr. *Pathros*. Iſ. XI. 11. Eſt regio Phatures in Ægypto, quo Judæi tempore belli fugerant. Jer. XLIV. 1. Regionis hujus Phatures mentio fit etiam Jerem. XLIV. 15., Ez. XXIX. 14., & Ez. XXX. 14. ubi ſemper in hebraico *Pathros* iiſdem literis & punctis vocalibus legitur, quibus in Iſaia l. d.

Phiala. *Bibentes inebriabuntur quaſi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quaſi cornua altaris*. Zach. IX. 15. De Meſſiæ diſcipulis, Eccleſiam propagaturis, allegoriam bellicam Propheta cœperat: eam perſequens, hoſtili ſanguine, inquit, tantum ſatiabuntur, quantum phialæ templi vino implentur: & ſicut altaris cornua victimis onuſta ſunt, ita illi cunctos hoſtes Meſſiæ, dæmones, eorumque miniſtros, & crimina copioſiſſime debellabunt.

Philisthiim. Philiſthæi, plurali numero, cujus nota eſt in Hebræorum nominibus ſyllaba *im* ad finem. Cave itaque, ne dicas ſcribaſve, cum illo poeta ſacro, *Philiſthiim primus*, *Philiſthiim ſecundus*: id enim perinde eſt, ac ſi diceres, *Saxones primus*, *Burgundiones ſecundus*: cum grammatica poſcat, *Saxo*, *Burgundio*, *Philiſthæus*, primus aut ſecundus.

Phison. Gen. II. 11. Ganges.

Phylacterium. Græcum. Præceperat in lege Deus, de verbis ſuis loquens: *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* Deut. VI. 8. Membranas ergo in fronte brachiiſque geſtabant, in quibus eſſent verba legis inſcripta. eas *phylacteria* appellabant, tanquam *cuſtodias*, quæ verbum Divinum ſervarent. Phariſæi & ſcribæ damnantur, quod omnia ſua facerent, ut ab hominibus viderentur: *dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Matth. XXIII. 5. De fimbriis hoc erat mandatum: *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* Deut. XXII. 12. atque ipſe color præſcriptus erat, hyacinthinus, ſeu cæruleus, Num. XV. 38. Tam fimbrias has, quam membranas, ad pompam & ſpeciem latiores, quam ceteri omnes, Phariſæi & ſcribæ ferebant, ut virtute ac legis amore omnibus aliis antecellere crederentur.

Pignoratus. *Super veſtimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo dei ſui.* Amos II. 8. Iſraelitæ impii, ſiquos repererant diis infenſos, eos exhauriebant, ut veſtes etiam dare pignori cogerentur: quoſdam & ſupplicio addicebant. Coram diis poſtea ſuis, innocentium ſpoliis incubantes, compotationibus indulgebant.

Pila. *Ululate habitatores Pilæ.* Soph. I. 11. Pilam dicit vallem Siloe, ſeu partem inferiorem Solymæ a torrente Cedron ad fontem Siloam uſque. Reſpicit autem ſimul ad pilam ſive mortarium: quia incolæ contundendi & conterendi a Chaldæis erant.

Pilosus. Inter diruta ædificia habitabunt dracones, & ſtruthiocameli: *& piloſi ſaltabunt ibi.* Iſ. XIII. 21. LXX. vertunt dæmonia. Spectra Faunorum & Satyrorum ſpecie. Fortaſſis feræ piloſæ & hirſutæ.

Pinguis. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.* Pſ. XXI. 30. Non modo pauperes, ut v. 27. dixerat, ſed etiam opulentiſſimi & potentiſſimi quique adorabunt & comedent Panem illum, quem Chriſtus reliquit ante mortem: de hac enim totus ille pſalmus eſt. *Mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus*

ejus tenuitatem: & ſubtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Iſ. X. 16. Copiam fortiſſimorum ducum in exercitu Sennacheribi Deus ad paucitatem rediget nocturna illa ſtrage: & glorioſa ejus caſtra tanquam rogum ira Omnipotentis incendet. Deus velut ignis Judam illuminabit, hoſtes ceu ſpinas & vepres comburet.

2. Pinguia - i. e. victimæ pingues. *Vota pinguium veſtrorum non reſpiciam*. Amos V. 22. Aſpernor preces & hoſtias veſtras pinguiſſimas: nam & diis eaſdem immolatis, nec unquam peccare deſinitis.

Piscina. *Ninive quaſi piſcina aquarum aquæ ejus: ipſi vero fugerunt: ſtate, ſtate, & non eſt qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum: & non eſt finis divitiarum* cet. Nahum, Prophetarum minorum eloquentiſſimus, II. 8. ſq. Aquæ ſunt populi, ſeu incolæ Ninives innumeri: quos & v. 6. fluvios appellarat. *ejus* pronomen pleonaſticum, more hebraico. Quemadmodum ruptis piſcinæ aggeribus, aquæ pleno impetu effunduntur, ita incolæ, ubi hoſtis per apertas ubique portas irrupit, catervatim ſe fuga abripiunt. Inclamat quidem deſtituta a ſuis Ninive: State! ſtate, nec me in diſcrimine ſupremo deſerite! Sed nemo audit, nemo ad arma revertitur. Aliæ exoriuntur voces, quibus Chaldæi victores ad diripiendas manubias ſe mutuo adhortantur. Prædas, exclamant, agite! auri argentique vis ſuppetit, infinitus theſaurus eſt.

2. Piſcina inferior. Piſcina vetus. Iſ. XXII. 9. & 11. Hinc ſitim levabant obſeſſi, qua non minus quam fame graviſſime torquebantur. Increpantur autem, quod humana præſidia potius, quam Dei opem requirerent.

Piscis. Qui fit, ut hominum non major te cura tangere videatur, o Deus, quam piſcium aut vermium? *Facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem*. Hab. I. 14. Chaldæus quaſi in piſcatu nunc hamo ſingulos, nunc reti aut naſſa turbas capit; nunc urbem aut oppidum, nunc regionem totam abſtrahit; noſque haud ſecus ac vermes conterit.

Pisticus. Magdalena *accepit libram unguenti nardi piſtici. pretioſi, & unxit pedes* Jesu. Joann. XII. 3. Au-

ctor ex antiquitate maxicus locum aliquem ſuſpicatus eſt, unde nardus illa eſſet advecta. Verum nullus unquam reperiri locus huic rei idoneus potuit. Alii piſticam nardum, tanquam fidelem, dictam eſſe putarunt: quod *piſtis* græce ſit fides. ergo laudari Magdalenæ unguentum exiſtimarunt, quod non ex pſeudonardo, ut ſæpe fit, aut mixtum eſſet, ſed ſincerum & merum. Sed græce periti ſciunt, adjectivum *fidelis* a græco *piſtis* non eſſe *piſticos*, ſed *piſtos*: quamobrem parum felicem hanc derivationem non poſſunt non repudiare. Multo firmior eſt magnorum interpretum Cornelii & Calmeti opinio, errore librariorum tranſlatas paululum eſſe literas, & loco noſtræ nardi, ut hodie legitur, *piſtikes*, ab Evangeliſta ſcriptum eſſe *ſpikites*. id nardum ſpicatam ſive ſpicanardum ſignificat, qui ſuccus eſt generoſior, e nardi ſpicis, cum deterior e foliis exprimeretur. Sane conſtat ex Marco, fuiſſe id *alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi*. XIV. 3.

Pittacium. Græcum, Latinis quoque non ignotum. Gabaonitæ, ut e longinqua patria venire crederentur, oſtentabant vetera omnia, ſaccos, panes, utres, veſtes, *calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant*, refecta plagulis, ſegmentis corii reſarta. Joſ. IX. 5.

Placeo. *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus, quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt*. Eccli. XVII. 29. Nemo hominum perfectus omni ex parte eſt: ſicut enim morti & corruptioni, ita & errori ac peccato obnoxii vivimus, & vanitate malitiæ delectamur.

Placor. Pro jucunditate. *Complectentur placorem ejus*, Sapientiæ. Eccli. IV. 13. græce: implebuntur lætitia.

2. Pro placito, ſeu voluntate. *In præcepto ipſius*, Dei, *placor fit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius*. Eccli. XXXIX. 23. Græca ſententiam hanc aperiunt: Quod illi placuerit, hoc ſecundum ipſius præceptum fit: & ſi ſalutem impertire velit, nemo eam impedire poterit aut imminuere.

Plaga. *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: ſic eruentur filii Iſrael, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damaſci grabato*. Amos III. 12. Iſraelitæ, qui vitulos adorabant, ſpem ſecuritatis repoſuerant tum in aſperitate montoſæ & pœne imperviæ ſuæ regionis circa Samariam, tum in Syrorum ſuppetiis. Sed hæc ſpes pleroſque fallet, inquit Amos, ſuo more ſimilitudinem e paſcuis afferens. Rapietur ab hoſte Iſrael, ut imbecilla ovis a truculento leone: & tantula pars remanebit, quantula eſt auris extrema, vel crus unum & alterum, leoni fugienti a paſtore excuſſum. Omnibus propemodum in captivitatem abreptis, pauculi perſiſtent in loco ſui lectuli, Samariæ, vel Damaſci Syriæ, in quibus vana ſpe ſopiti acquieſcebant.

Plago. A falſis Prophetis redit Zacharias ad Meſſiam, a quo Caput illud auſpicatus erat. *Dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus* (vulneratus) *ſum in domo eorum, qui diligebant me*, qui mihi tam cari, ipſi quoque me olim dilexerant. Zach. XIII. 6.

Plango. *Vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere*. Amos V. 16. Ut Romani præficas habebant, ita Hebræi lamentarios & lamentarias, ſive in funere, ſive in luctu alio, publico aut privato. Unde illud: *vocate lamentatrices*. Jer. IX. 17. Et filia principis defuncta, adſunt ad funus *tibicines*. Matth. IX. 23. Quos quidem næniarum tibicines magna interdum mercede conductos eſſe, videmus apud Flavium Joſephum lib. III. de Bello Jud. c. 15.

Planus. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum*. Zach. IV. 7. Diabolus inſtar excelſi montis Zorobabeli & omnibus recte credentibus & viventibus obſtat. Deprimetur tamen, & in nihilum redigetur per Chriſtum.

Platea. Pro foro rerum venalium. Benadad rex Syriæ, dum fœdus offert Achabo regi Iſrael; inter alia inquit: *Plateas fac tibi in Damaſco*. III. Reg. XX. 34. quibus verbis tribuebatur jus importandi genus omne mercium ſine vectigalibus, &, ut aliqui autumant, jus quoque vectigalium.

Prorſus horum verſuum alius ſenſus eſt, quam vulgo exiſtimetur. Ne de ſocietate hominum bona malave agitur: ſed hæc de Deo ipſo dicuntur, cum quo loquitur David. Ita contextus demonſtrat, & interpretum Patrumque torrens: quorum explanationes feliciter collegit uberrimus omnium Thomas le Blanc, T. II. in l. d. *Tu enim, o juſte hominum arbiter, piis pium te exhibebis, bona illis plena manu affundens: & innoxiis innoxium te præbebis, nullis eos incommodis afficiens, aut affici permittens. Atque cum eo, qui non vulgari ſtudet ſanctitati, ſumma te ac ſingulari propenſione benignum munificumque præſtabis. Cum eo autem, qui diſtorta mente a te ad creaturas avertitur, modum quoque a tua benignitate alienum atque inſolitum ſervabis, ſevera ab eo pœna repetita*. Veteres autem ſcriptores, e ſanctiſſimis etiam ac doctiſſimis aliqui, cum hæc de probis improbiſque ſociis uſurparunt, non ut Davidicum aut Divinum teſtimonium, ſed ut vulgatum proverbium attuliſſe credendi ſunt. Siquis aliter, humanum aliquid paſſus eſt, cui veritas, & pſalmus, & ipſe, ut Heſerus loquitur, *nexus omni contentione reclamat*.

Pes. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moveat me*. Pſ. XXXV. 12. Chald. Ne occurrat mihi pes ſuperbi. Ne permitte, o Deus, ut ſuperbus hoſtis ad me appropinquet, & manu impia me commoveat, ac de ſtatu dejiciat. Sed illud, quod in hunc locum notiſſimus aſceta pie commentus eſt, ſuperbiæ unum duntaxat pedem eſſe, ideo facile eam ſterni; non modo alieniſſimum eſt hoc loco, ſed ab ipſa rerum natura abhorret: nam uno pede euntem, ſeu ad me accedentem, concipere animo, notio pugnans eſt: cum greſſus alternari ac promoveri uno pede non magis poſſit, quam una ala volari.

Pessimo. id eſt, peſſimis modis vexo. *In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur: & qui peſſimant plebem tuam, inveniant perditionem*. Eccl. XXXVI. 11. Siquis iniquorum evaſerit e periculis ceteris, eum ira tua incenſa conſumat, ſeu vivum, ſeu mortuum in ergaſtulo ſempiterno: & qui tantopere populum tuum exagitant, interitu involutos denique ſe deprehendant.

Ali-

Alibi Siracides vetat immodicam ſuſcipere ægritudinem propter carorum mortem: *neque enim eſt converſio*, i. e. reditus e ſepulcro; *& huic*, mortuo, *nihil proderis*, *& teipſum peſſimabis*, tibi graviter nocebis. Eccl. XXXVIII. 22. *Quid ex hoc peſſimabor?* Eccl. XI. 26. Quid detrimenti mihi res hæc inferet?

Petra. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?* Jer. XVIII. 14. Juga Libani, ſuperficiem latam & amplam inſtar agri habentia, ſemper nivibus teguntur. Citius videbatur ſummum Libani dorſum nive cariturum, aut exhauriri poſſe aquæ perennes e montibus erumpentes; quam fore unquam, ut populus meus obliviſceretur mei. Attamen *oblitus eſt mei populus meus*. v. ſq.

2. Petra deſerti. Iſ. XVI. 1. Petra Moab, Arabiæ urbs, unde Ruth Moabitis, Chriſti per Davidem futura avia, in Judæam migravit. Ideo ex hoc loco emitti dicitur Agnus Dominator terræ, ut in Voc. *Agnus* memoratum.

Petrus. Vide *Cephas*.

Phaleg. Hebraice diviſio. Ita dictus infans, *eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra*. Gen. X. 25.

Phanuel. Hebraicum. facies Dei. *Vocavitque Jacob nomen loci illius*, ubi luctatus fuerat cum cæleſti genio ad auroram uſque, *Phanuel, dicens: Vidi DEUM facie ad faciem*. Gen. XXXII. 30.

Pharan. Montis ac regionis deſertæ Pharan mentio ſæpius in Pentateucho occurrit. Memorabile præ ceteris illud eſt, quod eo loco Moyſes, jubente Deo, ſeptuaginta judices populi elegit, qui ibidem Spiritu Divino impleti ſunt. Num. XI. 16. & 24. ſq. *DEUS ab Auſtro* (hebraice Theman) *veniet, & Sanctus de monte Pharan*. Hab. III. 3. *veniet* pro *venit*: futurum enim & præteritum in ſtylo poetico Hebræi paſſim commutant. Reſpicit ad illud Moſaicum: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex*. Deut. XXXIII. 2. Obſerva, Idumæam, quæ reſpectu terræ ſanctæ auſtralis eſt, pluribus nominibus appellari; E-

dom,

dom, ab Eſau Idumæi populi parente, qui Edom dictus, i.e. rufus; Seir, a monte Seir, qui ab eodem Eſau (Seir enim piloſum ſignificat) id nomen traxit, Theman, a Themane Eſavi nepote, qui ibidem regnaverat. Jam Prophetam utrumque audiamus: A monte Sinai, & ex Idumæa ſeu Themanitide, cujus eſt mons Seir, & a ſolitudine montis Pharan Deus ab auſtrali plaga ſenſim populum ſuum in Palæſtinam surſum eduxit, poſtquam in Sina, millibus angelorum comitantibus, legem ſuam igneam Hebræis tradiderat. Allegorice de Chriſto, Bethlehemi nato, quæ urbs in auſtrali terræ ſanctæ tractu ſita eſt. Idem, cum ante Chriſtianum populum aſcendiſſet in promiſſum cæleſte regnum, ſeptuaginta diſcipulos Spiritu Sancto implevit, igneo igneæ ſuæ legis interprete.

Pharao. Non unius hominis nomen, ſed regibus Ægypti commune. Ita videmus Pharaonem eum, ſub quo Joſephus patriarcha vixit, temporibus, moribus, rebus geſtis, & in Hebræos voluntate longiſſime diſtantem a Pharaone illo, *qui ignorabat Joſeph* (Ex. I. 8.) & neſciebat Dominum (Ex. V. 2.) a quo denique cum exercitu fluctibus oppreſſus interiit. Elias Hutterus, vir linguarum ſtudioſiſſimus, in Harmonico ſuo, ad Radicem *Para* (auctor *Parah* ſcribit) affinitatem reperit inter nomen *Pharao*, & noſtrum *Liber Baro*, ac germanicum *Frey* & *Frau*: quam derivationem quotus quiſque perſuaderi ſibi paſſurus ſit, ipſe viderit.

Phares. Gen. XXXVIII. 29. Hebraicum. q. d. diviſio.

Pharetra. Eccl. XXVI. 15. De filia laſciva dictum, quæ cupiditatem obvia quavis occaſione expletura eſt. Locus totus eſt in Voc. *Palus*.

Phase. De Paſchate dicitur: *eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus, Domini*. Ex. XII. 11. Cave putes, intelligi tranſitum populi per mare rubrum: indicatur enim tranſitus angeli exterminatoris, qui domos Hebræorum præteriit, cum ſobolem Ægyptiorum trucidaret. Nomenclationem hanc ipſe Moyſes indicat Ex. XII. 27. *Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.* ubi in fonte hebraico *tranſitus eſt peſach*, &

tran-

tranſivit ejuſdem vocabuli Radix *páſach* ut videas, alterum alterius rationem reddere. Cur autem pro hebraico *Peſach* græce latineque verſum eſt *Phaſe*? Ea eſt ratio, quod Græci Romanique aſpiratam *ch* in vocabulorum fine non ament. Quapropter & *Thare*, *Core*, *Noe*, *Jephte* ſeu *Jephthe*, hebraicis *Terach*, *Kórach*, *Noach* monoſyllabo, *Iiphtach* ſubrogata ſunt.

Phassur. Cum Phaſſur ſacerdos injuria graviſſima Jeremiam læſiſſet, pœnam ei Propheta denunciavit, nomen immutans: *Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum, ſed pavorem undique*. Jer. XX. 3. Hebraicum *Phaſchchur*, inquit peritiſſimus Bibliorum Regiorum editor Arias Montanus T. VIII. in Onomaſtico, principem ſignificat libertate abutentem ſeu luxuriantem. At Deus, Poſthac, inquit, vocaberis *non Tumor, ſed Timor*: ut venuſte expreſſit Cornelius a Lapide in hunc locum.

Phetros. Inter provincias alias, e quibus redituræ ſunt reliquiæ populi electi, numeratur & *Phetros*, hebr. *Pathros*. Iſ. XI. 11. Eſt regio Phatures in Ægypto, quo Judæi tempore belli fugerant. Jer. XLIV. 1. Regionis hujus Phatures mentio fit etiam Jerem. XLIV. 15., Ez. XXIX. 14., & Ez. XXX. 14. ubi ſemper in hebraico *Pathros* iiſdem literis & punctis vocalibus legitur, quibus in Iſaia l. d.

Phiala. *Bibentes inebriabuntur quaſi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quaſi cornua altaris*. Zach. IX. 15. De Meſſiæ diſcipulis, Eccleſiam propagaturis, allegoriam bellicam Propheta cœperat: eam perſequens, hoſtili ſanguine, inquit, tantum ſatiabuntur, quantum phialæ templi vino implentur: & ſicut altaris cornua victimis onuſta ſunt, ita illi cunctos hoſtes Meſſiæ, dæmones, eorumque miniſtros, & crimina copioſiſſime debellabunt.

Philisthiim. Philiſthæi, plurali numero, cujus nota eſt in Hebræorum nominibus ſyllaba *im* ad finem. Cave itaque, ne dicas ſcribaſve, cum illo poeta ſacro, *Philiſthiim primus*, *Philiſthiim ſecundus*: id enim perinde eſt, ac ſi diceres, *Saxones primus*, *Burgundiones ſecundus*: cum grammatica poſcat, *Saxo*, *Burgundio*, *Philiſthæus*, primus aut ſecundus.

PHISON. Gen. II. 11. Ganges.

PHYLACTERIUM. Græcum. Præceperat in lege DEUS, de verbis ſuis loquens: *Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos*. Deut. VI. 8. Membranas ergo in fronte brachiiſque geſtabant, in quibus eſſent verba legis inſcripta. eas *phylacteria* appellabant, tanquam *cuſtodias*, quæ verbum Divinum ſervarent. Phariſæi & ſcribæ damnantur, quod omnia ſua facerent, ut ab hominibus viderentur: *dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*. Matth. XXIII. 5. De fimbriis hoc erat mandatum: *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris*. Deut. XXII. 12. atque ipſe color præſcriptus erat, hyacinthinus, ſeu cæruleus, Num. XV. 38. Tam fimbrias has, quam membranas, ad pompam & ſpeciem latiores, quam ceteri omnes, Phariſæi & ſcribæ ferebant, ut virtute ac legis amore omnibus aliis antecellere crederentur.

PIGNORATUS. *Super veſtimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo dei ſui*. Amos II. 8. Iſraelitæ impii, ſiquos repererant diis infenſos, eos exhauriebant, ut veſtes etiam dare pignori cogerentur: quoſdam & ſupplicio addicebant. Coram diis poſtea ſuis, innocentium ſpoliis incubantes, compotationibus indulgebant.

PILA. *Ululate habitatores Pilæ*. Soph. I. 11. Pilam dicit vallem Siloe, ſeu partem inferiorem Solymæ a torrente Cedron ad fontem Siloam uſque. Reſpicit autem ſimul ad pilam ſive mortarium: quia incolæ contundendi & conterendi a Chaldæis erant.

PILOSUS. Inter diruta ædificia habitabunt dracones, & ſtruthiocameli: *& piloſi ſaltabunt ibi*. Iſ. XIII. 21. LXX. vertunt dæmonia. Spectra Faunorum & Satyrorum ſpecie. Fortaſſis feræ piloſæ & hirſutæ.

PINGUIS. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ*. Pſ. XXI. 30. Non modo pauperes, ut v. 27. dixerat, ſed etiam opulentiſſimi & potentiſſimi quique adorabunt & comedent Panem illum, quem Chriſtus reliquit ante mortem: de hac enim totus ille pſalmus eſt. *Mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus*

ejus

ejus tenuitatem: & ſubtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. Iſ. X. 16. Copiam fortiſſimorum ducum in exercitu Sennacheribi Deus ad paucitatem rediget nocturna illa ſtrage: & gloriola ejus caſtra tanquam rogum ira Omnipotentis incendet. Deus velut ignis Judam illuminabit, hoſtes ceu ſpinas & vepres comburet.

2. Pinguia - i. e. victimæ pingues. *Vota pinguium veſtrorum non reſpiciam*. Amos V. 22. Aſpernor preces & hoſtias veſtras pinguiſſimas: nam & diis eaſdem immolatis, nec unquam peccare deſinitis.

Piscina. *Ninive quaſi piſcina aquarum aquæ ejus: ipſi vero fugerunt: ſtate, ſtate, & non eſt qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum: & non eſt finis divitiarum* cet. Nahum, Prophetarum minorum eloquentiſſimus, II. 8. ſq. Aquæ ſunt populi, ſeu incolæ Ninives innumeri: quos & v. 6. fluvios appellarat. *ejus* pronomen pleonaſticum, more hebraico. Quemadmodum ruptis piſcinæ aggeribus, aquæ pleno impetu effunduntur, ita incolæ, ubi hoſtis per apertas ubique portas irrupit, catervatim ſe fuga abripiunt. Inclamat quidem deſtituta a ſuis Ninive: State! ſtate, nec me in diſcrimine ſupremo deſerite! Sed nemo audit, nemo ad arma revertitur. Aliæ exoriuntur voces, quibus Chaldæi victores ad diripiendas manubias ſe mutuo adhortantur. Prædas, exclamant, agite! auri argentique vis ſuppetit, infinitus theſaurus eſt.

2. Piſcina inferior. Piſcina vetus. Iſ. XXII. 9. & 11. Hinc ſitim levabant obſeſſi, qua non minus quam fame graviſſime torquebantur. Increpantur autem, quod humana præſidia potius, quam Dei opem requirerent.

Piscis. Qui fit, ut hominum non major te cura tangere videatur, o Deus, quam piſcium aut vermium? *Facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem*. Hab. I. 14. Chaldæus quaſi in piſcatu nunc hamo ſingulos, nunc reti aut naſſa turbas capit; nunc urbem aut oppidum, nunc regionem totam abſtrahit; noſque haud ſecus ac vermes conterit.

Pisticus. Magdalena *accepit libram unguenti nardi piſtici, pretioſi, & unxit pedes* Jesu. Joann. XII. 3. Auctor

ctor ex antiquitate maxicus locum aliquem ſuſpicatus eſt, unde nardus illa eſſet advecta. Verum nullus unquam reperiri locus huic rei idoneus potuit. Alii piſticam nardum, tanquam fidelem, dictam eſſe putarunt: quod *piſtis* græce ſit fides. ergo laudari Magdalenæ unguentum exiſtimarunt, quod non ex pſeudonardo, ut ſæpe fit, aut mixtum eſſet, ſed ſincerum & merum. Sed græce periti ſciunt, adjectivum *fidelis* a græco *piſtis* non eſſe *piſticos*, ſed *piſtos*: quamobrem parum felicem hanc derivationem non poſſunt non repudiare. Multo firmior eſt magnorum interpretum Cornelii & Calmeti opinio, errore librariorum tranſlatas paululum eſſe literas, & loco noſtræ nardi, ut hodie legitur, *piſtikes*, ab Evangeliſta ſcriptum eſſe *ſpikites*. id nardum ſpicatam ſive ſpicanardum ſignificat, qui ſuccus eſt generoſior, e nardi ſpicis, cum deterior e foliis exprimeretur. Sane conſtat ex Marco, fuiſſe id *alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi*. XIV. 3.

Pittacium. Græcum, Latinis quoque non ignotum. Gabaonitæ, ut e longinqua patria venire crederentur, oſtentabant vetera omnia, ſaccos, panes, utres, veſtes, *calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant*, refecta plagulis, ſegmentis corii reſarta. Joſ. IX. 5.

Placeo. *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus, quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt*. Eccli. XVII. 29. Nemo hominum perfectus omni ex parte eſt: ſicut enim morti & corruptioni, ita & errori ac peccato obnoxii vivimus, & vanitate malitiæ delectamur.

Placor. Pro jucunditate. *Complectentur placorem ejus*, Sapientiæ. Eccli. IV. 13. græce: implebuntur lætitia.

2. Pro placito, ſeu voluntate. *In præcepto ipſius, Dei, placor fit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius*. Eccli. XXXIX. 23. Græca ſententiam hanc aperiunt: Quod illi placuerit, hoc ſecundum ipſius præceptum fit: & ſi ſalutem impertire velit, nemo eam impedire poterit aut imminuere.

Plaga. *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: ſic eruentur filii Iſrael, qui habitant in Samaria in plaga lečtuli, & in Damaſci grabato*. Amos III. 12. Iſraelitæ, qui vitulos adorabant, ſpem ſecuritatis repoſuerant tum in aſperitate montoſæ & pœne imperviæ ſuæ regionis circa Samariam, tum in Syrorum ſuppetiis. Sed hæc ſpes pleroſque fallet, inquit Amos, ſuo more ſimilitudinem e paſcuis afferens. Rapietur ab hoſte Iſrael, ut imbecilla ovis a truculento leone: & tantula pars remanebit, quantula eſt auris extrema, vel crus unum & alterum, leoni fugienti a paſtore excuſſum. Omnibus propemodum in captivitatem abreptis, pauculi perſiſtent in loco ſui lečtuli, Samariæ, vel Damaſci Syriæ, in quibus vana ſpe ſopiti acquieſcebant.

Plago. A falſis Prophetis redit Zacharias ad Meſſiam, a quo Caput illud auſpicatus erat. *Dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus* (vulneratus) *ſum in domo eorum, qui diligebant me*, qui mihi tam cari, ipſi quoque me olim dilexerant. Zach. XIII. 6.

Plango. *Vocabunt agricolam ad lučtum, & ad plančtum eos, qui ſciunt plangere*. Amos V. 16. Ut Romani præficas habebant, ita Hebræi lamentarios & lamentarias, ſive in funere, ſive in lučtu alio, publico aut privato. Unde illud: *vocate lamentatrices*. Jer. IX. 17. Et filia principis defunčta, adſunt ad funus *tibicines*. Matth. IX. 23. Quos quidem næniarum tibicines magna interdum mercede condučtos eſſe, videmus apud Flavium Joſephum lib. III. de Bello Jud. c. 15.

Planus. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum*. Zach. IV. 7. Diabolus inſtar excelſi montis Zorobabeli & omnibus rečte credentibus & viventibus obſtat. Deprimetur tamen, & in nihilum redigetur per Chriſtum.

Platea. Pro foro rerum venalium. Benadad rex Syriæ, dum fœdus offert Achabo regi Iſrael; inter alia inquit: *Plateas fac tibi in Damaſco*. III. Reg. XX. 34. quibus verbis tribuebatur jus importandi genus omne mercium ſine večtigalibus, &, ut aliqui autumant, jus quoque večtigalium.

Plauſtrum. Vox Domini: *Stridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno*. Amos II. 13. Similitudo paſtoralis, quales amat Propheta hic. *ſubter vos*, hebraiſmus: in terra veſtra. Peccatorum veſtrorum onere preſſus, ſonum edam altiſſimum, ut veſtrum ſupplicium ab incolis accoliſque exaudiatur.

2. Plauſtrum triturans. *Poſui te quaſi plauſtrum triturans novum, habens roſtra ſerrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quaſi pulverem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos*. Iſ. XLI. 15. ſq. Diſertiſſima imagine oſtendit, quanta efficacitate Iſrael ſuos hoſtes, Chriſti Eccleſia deorum ſuperſtitionem funditus everſura ſit. Trituram plauſtris nunc quoque multi peragunt. Roſtra *ſerrantia*, rotarum canthis præfixa, inſtar ſerræ diſſecant omnia, in quæ incubuerint.

Plecta. III. Reg. VII. 29. Interpres noſter ipſe, eodem hoc verſu, vocabulum hebraicum, quod *plectas* verterat, interpretatur juncturas. Eodem modo explicant LXX.

Plenitudo. *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a veſtimento, & pejor ſciſſura fit*. Matth. IX. 16. Plenitudo hic dicitur, quod in eadem ſimilitudine. Marc. II. 21. *ſupplementum*; plagula nimirum, ſive ſegmentum panni, quod ſarciendæ ſciſſuræ cauſſa aſſuitur.

Plenus. *Dies pleni invenientur in eis*. Pſ. LXXII. 10. Totius loci enodatio, qua non parum indiget, extat in *Converto*, §. 2.

Plumarius. Cum pro artifice ponitur, phrygio eſt. Ejus *opus* in Bibliis *plumarium* dicitur, acu videlicet pictum & varium, ad ſimilitudinem avium, quæ pennis diſcoloribus a natura ornatæ ſunt.

Plurimus. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit* Deo. Hebr. XI. 4. Superlativus pro comparativo: meliorem, acceptiorem, quam Cainus.

Pluvia. *Pluviam voluntariam ſegregabis* Deus *hæreditati tuæ: & infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam*. Pſ. LXVII. 10. Hæreditas Dei eſt populus ab eo electus: qui cum infirmus deficeret, erectus & corroboratus

ratus eſt miſſo divinitus manna, inſtar copioſiſſimæ pluviæ, non naturalis & neceſſariæ, ſed ſponte ac ſingulari Dei benevolentia quotidie decidentis.

Poderes. Veſtis talaris; qua Sap. XVIII. 24. Aaron indutus narratur. Si ſequaris juſtitiam, *indues quaſi poderem honoris*, veſtem ſplendidam, & magnificam. Eccli. XXVII. 9. *& in die agnitionis*, judicii Divini, *invenies firmamentum*. ibid. Chriſtum etiam *veſtitum podére* Joannes vidit Apoc. I. 13.

Poenitentia. In Eliæ prophetæ elogio dicitur: *Qui ungis reges ad pœnitentiam* (græce, ad retribuendum) *& prophetas facis ſucceſſores poſt te*. Eccli. XLVIII. 8. Sic enim Eliæ præceperat Dominus: *unges Hazael regem ſuper Syriam, & Jehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem .... unges prophetam pro te*. III. Reg. XIX. 15. ſq. Non per ſe quidem Elias, ſed Eliſei miniſterio, Hazaeli Syriæ, Jehu Iſraelis Imperium denunciavit. IV. Reg. VIII. 13. & IX. 2. ſqq. Per hos reges Deus retribuit Hebræis impiis, quod eorum ſcelera merebantur, ut ſalubri terrore perculſi ad pœnitentiam adducerentur.

Polymitus. Græcum: varius, verſicolor. Talis Joſephi adoleſcentuli tunica, Gen. XXXVII. 3. & Pontificis *ſuperhumerale ... opere polymito*, Exod. XXVIII. 6. Eorum artifex dicitur *polymitarius*, quod nomen in Exodo aliquoties occurrit.

Pomum. *Polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam*. Pſ. LXXVIII. 1. Hebraice: poſuerunt Jeruſalem in cumulum ruderum, ſeu acervum lapidum. Ipſe noſter interpres vocabulum illud hebraicum Jer. XXVI. 18., Mich. I. 6., & III. 12., reddit *acervum lapidum*. Hoſtes urbem ſanctam ita diruerunt, ut ſolus lapidum acervus ſuperſit, quo agri aut pomarii cuſtos tegere ſe poſſit.

Pondus. *Pondus & pondus, menſura & menſura*, duplex pondus, inæqualis & iniqua menſura: *utrumque abominabile eſt apud* Deum. Prov. XX. 10. *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona*. ibid. v. 23.

Pono. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones*

In corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Pſ. LXXXIII. 6. ſq. Quis locum poſuit? Deus, inquit D. Auguſtinus. homo ipſe inquiunt alii. Diſpoſuit in animo ſuo aſcenſus ex hac lacrymarum valle, quemcunque ejus vallis locum ſeu ipſe elegit, ſeu a Deo ſibi deſignatum accepit. Elegantiſſime hebraica: Transeuntes in vallem fletus: fontem ponent eam. atque ita vertit B. Hieronymus. More noſtro diceres: Vallem hanc fletus, per quam tranſeunt, in perennem lacrymarum ſcaturiginem convertent.

2. *Ponam in ſalutari*. Pſ. XI. 6. Ego, inquit Deus, in tuto eos collocabo, ego ſalvos eos præſtabo.

3. Ponere conſilia, dolorem. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Pſ. XII. 2. Quamdiu apud me conſilia verſabo? quamdiu dolore hoc animum totos dies cruciabo?

4. Ponere verba. *Quis me poteſt arguere eſſe mentitum, & ponere ante DEUM verba mea?* Job. XXIV. ult. Quis coram Deo accuſare me de verbis mendacibus poteſt?

5. Ponere oculum. *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum*. Eccl. XVII. 7. Benigne illos reſpexit Dominus, & eorum corda illuſtravit, ut magnitudinem operum ejus intelligerent.

6. Ponere, pro deſignare, deſcribere. Ezechieli præcipitur: *Pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis*. Ez. XXI. 19. Sicut idem Propheta IV. 1. juſſus erat Hieroſolymam delineare ſupra laterem, ita nunc ad eum dicitur: Deſigna bivium, ſeu ductam a Babylone viam, per quam venturus eſt Nabuchodonoſor, quæque in duas vias diſcedat, alteram a dextera Hieroſolymam verſus, alteram a læva ad urbem Rabbath Ammonitidis caput. In hoc bivio rex ope belomantiæ (divinatio eſt per ſagittas commixtas) explorabit, utram harum urbium prius oppugnare expediat. Sors autem indicabit Hieroſolymam.

7. *Poſuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum*. Pſ. CIV. 32. Loco pluviæ immi-

ſit

ſit Deus in Ægyptios grandinem, & igneam quidem: nam *grando & ignis miſta pariter ferebantur*. Exod. IX. 24.

Populus. Dicitur aliquando ab animantibus rationis expertibus: ut oſtendi Voc. *Draco*, §. 4.

Porta. Pro judicio: quia ad urbis portam judicia exercebantur. Job de ſe: *Procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi*, ſellam judicialem. Job. XXIX. 7. *Cum viderem me in porta ſuperiorem.* Job. XXXI. 21. potentiorem in judicio; utpote judex, & princeps. *Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta*, judices: *& in me pſallebant qui bibebant vinum*, divites. Pſ. LXVIII. 13. illi ſermonibus, hi probroſis carminibus me inſectabantur. *Neque conteras egenum in porta*. Prov. XXII. 22. Ne pauperem in judicio opprimas. *Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Pſ. CXXVI. ult. Hebraice: Beatus vir, qui implevit pharetram ſuam ex ipſis: non erubeſcent, cum loquentur inimicis in porta. Ingenioſe pharetram, quia verſu præcedente filios robuſtos appellarat ſagittas. Nimirum ut ii, qui pharetram habent lectiſſimis ſagittis inſtructam, hoſtis occurſum non metuunt: ita hujuſmodi familia Deo cara, pater & filii, inimicorum delatione neutiquam territi, audacter in judicio reſpondebunt.

2. Portæ populorum. Maligna Tyrus, malis Hieroſolymæ læta, exclamat: *Euge confractæ ſunt portæ populorum, converſa eſt ad me: implebor, deſerta eſt*. Ez. XXVI. 2. Portas populorum vocat Solymam, quod omnes Hebræorum tribus, imo & alii populi, eo confluerent. Ejus commercia non ad ſe tranſitura gaudet, &, illa proſtrata deſertaque, ſe impletum ac locupletatum iri ſperat.

3. Portæ fluviorum. De vaſtatione Ninives: *Portæ fluviorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum.* Nah. II. 6. Portas fluviorum interpretari ſolent portas populorum, qui tanquam fluvii in urbe hac redundabant. Niſi forte placet ſimpliciter accipi pro portis ad flumina pertinentibus, & ideo nomen ab iiſdem nactis: ut apud nos quoque alia Danubii por-

ta dicitur, alia Iſaræ, Albis, Rheni, Padi. Dejectæ e cardinibus portæ ſunt, templum Neſroch funditus ſublatum.

4. Portæ mortis. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Pſ. IX. 15. Eripis me proximis moriendi periculis: ab ipſo mortis aditu, a crepidine ſepulcri me retrahis. quare beneficia tua omnia laudabo ad Hieroſolymæ portas, ubi propter judiciorum celebritatem maximi hominum concurſus fiunt.

Portendo. *Audi Jeſu ſacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt.* Zach. III. 8. Sicut Jeſus ſacerdos Chriſtum Jesum, ſic ejus amici, ſacerdotes juſti, Chriſti diſcipulos portendebant ſeu præmonſtrabant. Viri hi ſunt figura ſive imago futurorum.

Porto. Chriſtus *omnes male habentes curavit: ut adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit.* Matth. VIII. 17. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a DEO & humiliatum.* Iſ. LIII. 4. Pro noſtro *portavit* hebraice eſt *ſavál*, vox ita ambigua, ut latina *tulit*, quod & auferre ſignificat, & perferre. Utrum utri conveniat, facile demonſtrat contextus, in Matthæo morbos abſtulit: nam *male habentes curavit*, & per hoc implevit, quod Iſaias prædixerat. in Iſaia ipſe pertulit: vides enim *leproſum, percuſſum, humiliatum.*

2. Portare judicium. *Angeli - - - non portant adverſum ſe execrabile judicium.* II. Petr. II. 11. in græco fonte eſt: *blaſphemum judicium.* Genii boni malos non condemnant, non eis maledicunt; ſed judicium Deo relinquunt. Sic Michael *cum diabolo diſputans - - - de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ*, execrari impium; *ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Judæ v. 9.

Possessio. *Impleta eſt terra poſſeſſione tua.* Pſ. CIII. 24. Quidquid in univerſa terra reperitur, quidquid terram implet, id tu poſſides, o Deus, neque terram

ram

ram ſolum, ſed (v. ſq. & mare magnum, & littoribus tam longinquis incluſum.

Possideo. Judas Chriſti proditor *poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius*. Act. I. 18. Quomodo poſſedit, qui *projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit*? Matth. XXVII. 5. Placet Joannes Alba, qui in Electis ait, eſſe hypallagen, pro, Poſſeſſus eſt, emptus eſt ager pretio illo iniquiſſime parto.

2. *Poſſidebunt parvuli ſtultitiam*. i. e. ea paſcentur, ea fruentur. Prov. XIV. 18. Pueriles animi puerilia amant, & ſectantur.

Possum. *Non potero ad eam*. i. e. cogitando pertingere. Pſ. CXXXVIII. 6. Scientiam tam admirabilem capere nunquam potero.

2. Verba mea potuerunt. Pſ. CXL. 6. Vide *Abſorbeo*.

Post. Davidem Deus in ſolium tranſtulit *de poſt fœtantes*, Pſ. LXXVII. 70. de cura gregis, cum fœtas oves ſequeretur. *Avertuntur de poſt tergum Domini*. Soph. I. 6. Non ſequuntur Deum, deſerunt legem, per peccatum a Deo avertuntur.

Posterior. *Demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus ejus*. III. Reg. XVI. 3. Poſteritatem ejus delebo. Sic & Elias ad Achab regem, Dei nomine: *demetam poſteriora tua*. III. Reg. XXI. 21. Hebraice utroque loco, poſteritatem, poſteros.

2. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*. Pſ. LXXVII. 66. Equidem plerique hoc exponunt de Philiſthæis, quorum *computreſcebant prominentes extales*, I. Reg. V. 9. & præ doloris magnitudine *aſcendebat ululatus uniuſcujuſque civitatis in cælum*. ibid. v. ult. Verius tamen eſſe crediderim cum attentiſſimo Thoma le Blanc, non loqui pſalten de Philiſthæis, ſed de Hebræis ipſis: cum ſtatim connectatur verſu proximo reprobatum tabernaculum Joſeph, ac tribus Ephraim derelicta, quæ in Philiſthæos non cadunt. Cenſeo ergo cum eodem auctore, ſignificari hoc loquendi modo, perfidos Hebræos a Deo deſertos, & ideo ab hoſtibus percuſſos, terga vertiſſe: quod ſæpius accidit.

Potens. De Joſepho ait moribundus Jacob pater: *diſſo-*

diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob. Gen. XLIX. 24. id eſt, per manus potentis Dei mei.

Potentatus. *In potentatibus*, magna potentia, magnis viribus, *ſalus dexteræ ejus*. Pſ. XIX. 7. Divina dextera potentiſſime ſalutem affert.

2. Pro natura robuſta. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor*. Pſ. LXXXIX. 10. *In ipſis* eſt pleonaſmus hebraicus pronominis. in diebus annorum noſtrorum, in annis noſtris, ad ſeptuaginta uſque perducimur: quibus autem natura corporis eſt firmiſſima, ad annos octoginta perveniunt. hos ſi ſuperaveris, nihil te niſi miſeria & dolor manet.

Potestas. Libidinoſus his verbis reprehenditur: *poteſtatem habuiſti in corpore tuo*. Eccl. XLVII. 21. Significantius in fonte græco: dominatum eſt in te corpus tuum. Veluti poteſtatem tibi imperantem habuſti tuum corpus.

Præceptum. Dederam Iſraelitis, inquit Dominus, præcepta bona, *quæ cum fecerit homo, vivet in eis*. Ez. XX. 21. Ea ſpreverunt. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*. ibid. v. 25. *dedi*, i. e. permiſi, ut darentur. Præcepta hæc & judicia ſunt gentium vicinarum ſuperſtitiones & ſcelera, quibus imbui depravatum populum Deus permiſit. Eadem eſt ratio v. ſq. *Pollui eos in muneribus ſuis*, cet. Permiſi polluta ſacrificia: in quibus Molocho ſuos ipſi liberos offerrent, & contaminarentur.

2. Præceptum manus. *Volabunt in humeros Philiſthiim per mare, ſimul prædabuntur filios Orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Ammon obedientes erunt*. Iſ. XI. 14. Sermo eſt de victoriis Evangelii per Meſſiæ diſcipulos reportandis ubique gentium, quarum aliquæ pro omnibus enumerantur. Populorum humeris jugum Domini ſuave imponent, ad eundem incolas Orientis adducent. Alia atque alia regna erunt præda certatim rapta, præcepta, i. e. ante capta, prærepta manu apoſtolorum. hebraice eſt, inji-

injicient illis manus ſuas, & LXX. primo illis manus injicient.

Præcipio. Princeps ſacerdotum ad apoſtolos ait : *Præcipiendo præcepimus vobis*. Act. V. 28. Graviter præcepimus.

Præcoquus. *Præcoquas ficus deſideravit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt*. Mich. VII. 1. ſq. Viros deſideravi ſimiles primis illis patribus, qui laudantur Oſ. IX. 10. *Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum*. Sed neminem parem invenio, neminem ſanctum, ac ne probum quidem.

Præcurro. Noli multum ſtudii pecuniis corradendis impendere, qua in re multiplex eſt peccandi occaſio : *ſi enim ſecutus fueris, non apprehendes : & non effugies, ſi præcucurreris*. Eccl. XI. 10. Latet ſimilitudo ingenioſa, a curſoribus petita. Currit opulentia : curris tu. vel eam tardior non aſſequeris : & peccabis impatientia, maledictis, fraudibus. vel eris illa velocior ; ut aſſequaris, & comprehendas : nec facile peccatum effugies, immoderati amoris opum, luxus, abuſus, avaritiæ. Hanc explicationem poſcit contextus verſiculi, miſſis aliis, commaticis, neque cohærentibus.

Prædico. Chriſtus, cum poſt mortem deſcendit ad inferos, *his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant, aliquando quando expectabant DEI patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. I. Petr. III. 19. ſq. *Prædicavit*, græce, annunciavit, promulgavit, nimirum peracta necis ſuæ redemptique generis humani myſteria. Incredulos ego eos intelligo, qui tamen ad extremum ſcelera deteſtati, antequam aquis ſuffocarentur, a Deo veniam inpetrarunt. Siquis eos velit, qui in ultimo etiam vitæ articulo increduli & criminibus obfirmati perſtitere, *prædicare* damnatis illis nihil erit aliud, niſi exprobrare.

Prælior. *Egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes illas, ſicut præliatus eſt in die certaminis*. Zach. ult. 3. Exſurget Dominus, & gentium deos ac ſcelera debellabit, ut, ſicut in certamine cum Ægyptiis Pharao-

raonem cum ſuis mari rubro delevit, ita tunc (poſt Hieroſolymæ excidium) Luciferum cum ſuperſtitione & peccato aquis baptiſmi demergat. Priorem etiam contextus partem habens in Voc. *Gens*.

Præparatio. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Pſ. IX. 38. Non tantum, o Deus, preces tuorum audis, ſed eas non raro prævenis, & quod illos te inſpirante deſiderare, ac velle petere vides, ſponte non rogatus largiris.

Præscientia. *Cogitatus præſcientiæ avertit ſenſum*: græce, Sollicitudo vigil interpellat ſomnum: *& infirmitas gravis ſobriam facit animam*. Eccl. XXXI. 2. Anxia cura de futuris hujus vitæ eventibus totum hominis animum ad ſe avertit, & ne dormire quidem ſinit: ſicut morbus gravis ſomnum excutit; ut etiam eſt in fonte græco. Qui bene paſtus ac potus eſt, dulci ſomno mergitur: *ſobriam animam*, hominem jejunum, altus & quietus ſomnus complecti non ſolet. Talem & morbus gravis efficit, arctioris nimirum ſomni expertem: eodemque beneficio hominem privat, totumque ad ſe rapit ſollicitudo immodica. Operoſiore hac explicatione licebat mihi ſuperſedere, ſi cum aſcetis & aliis quibuſdam dicere libuiſſet, gravi morbo aut ærumna excitari hominem, & criminum ebrietate diſcuſſa ad rationis uſum revocari. Sed iſtud commaticum eſt, nec idoneum contextui, qui nimia ſollicitudine ac divitiarum amore loquitur.

Præsumo. *Mihi autem dedit DEUS dicere ex ſententia*, ſincere, aperte, ex animi mei ſententia; *& præſumere digna horum, quæ mihi dantur*; ex his, quorum notitiam mihi Deus largitur, digna eligere & animo præcipere, quæ populos doceam. Sap. VII. 15. Ingens Dei donum eſt, ſi magiſtro morum det hæc duo, poſſe cogitata rite exprimere, & argumentum dicendi optimum eligere.

Prætoriolum. In ſplendida Tyri deſcriptione ſub navis imagine *prætoriola* Ez. XXVII. 6. ſunt cellulæ navigii.

Prævenio. *Æthiopia præveniet manus ejus DEO*. Pſ. LXVII. 32. Græca ad verbum ſic habent: Æthiopia feſtinabit manum ſuam Deo. Celeriter ad Deum ma-

manus extendet, ſeu precanti, ſeu fœderis nobiſcum jungendi cauſſa. Hebraicus vates elegantia ſibi propria ſcripſit: *Æthiopia currere faciet manus ſuas ad* Deum.

Presbyter. Græce ſenior. Senſim tribui ſolis ſacerdotibus hoc nomen cœpit, quod non niſi ætate ac virtute priores ceteris ad eum gradum eveherentur. Suſannæ judices, Dan. XIII. nunc presbyteri, nunc ſenes appellantur: qui ſi ſacerdotes fuiſſent, id neque Daniel judex in eorum reprehenſione, neque hiſtoricus in narratione reticuiſſet.

Pretiosus. Grates Deo agit Pſaltes, hoſtium inſidiis ab eo ereptus: nam *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. Pſ. CXV. 6. magni momenti res eſt coram ejus oculis, ſi viro ſancto nex afferatur: pretioſa illi eſt anima juſti, quam proinde cuſtodit, & hoſtes depellit. Hunc ſenſum pſalmi ſeries exigit: aliunde tamen veriſſimum eſt, mortem ſanctorum, qua ad æternam vitam naſcuntur, pretioſam Deo eſſe, i. e. valde illi placere; non quatenus ea ab inimicis proficiſcitur, ſed quatenus a ſanctis æquo animo toleratur.

Pretium. Inimici *pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in ſiti*. Pſ. LXI. 5. Adimere mihi dignitatem regiam conati ſunt: quapropter ſudavi, ſollicite contendi; quod David poetice appellat currere in ſiti.

Primitiæ. In Ægypto percuſſit Deus *primitias omnis laboris eorum*. Pſ. LXXVII. 51. & Pſ. CIV. 36. id eſt, quemadmodum uterque locus ipſe explicat, *omne primogenitum*. quia partus labore doloreque plenus eſt, quod primiparæ præſertim experiuntur.

Primogenitus. Mors dicitur *primogenita* Job. XVIII. 13. prima nimirum filia peccati.

Primus. *Factum eſt in vigeſimo & ſeptimo anno, in primo, in una menſis*. i. e. menſe primo, ejuſque primo die. Ez. XXIX. 17.

Principium. Pro principatu. *Principium filiorum Ammon*. Dan. XI. 41. Regnum Ammonitidis, vel pars ejus præcipua. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Pſ. CIX. 3. D. Hieronymus vertit: Populi tui du-

duces(ſpontanei in die fortitudinis tuæ. Chaldaica quoque & Arabica habent: populus tuus. Atque ita legitur etiam in hebraico, ut nunc eſt. Sententia tamen convenit: Die tibi per Patrem decreto; quo potentia tua inter ſplendores ſanctitatis (*in ſplendoribus Sanctorum*, ibid.) elucebit, pleniſſimus tibi principatus obtinget, cui ſponte ſe populus tuus & populi omnes ſubjicient. Si quæras, quis ſit dies ille tam ſplendidus: reſpondet enucleatiſſimi operis in Pſalmos auctor Georgius Heſerus: I. Dies Aſcenſionis Chriſti in cælum. II. Dies Pentecoſtes. III. Dies Judicii ſupremi.

Prinus. Dan. XIII. 58. Conjungam cum vocabulo *Schinus*.

Probaticus. *Eſt autem Jeroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur hebraice Bethſaida*. Joann. V. 2. Ab ovibus dicta, quæ ibi lavabantur, &, ut vox ſyriaca docet, mactabantur: *próbaton* enim græce ovis eſt. In quibuſdam græcis codd. *probatica* non ad piſcinam refertur, ſed vel ad macellum ovium, vel ad proximam urbis portam ab iiſdem appellatam. Fuiſſe certe *portam gregis* Hieroſolymæ, conſtat ex II. Eſdr. III. 1. De cognomento *Bethſaida* dictum ſuo loco.

Probator. Vox Domini ad Jeremiam, quem comparat homini, metalli pretium conflando exploranti: *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum*, qui diligenter fungetur officio: ſcito tamen, te nihil argenti probi reperturum: *ambulantes fraudulenter, aes & ferrum: univerſi corrupti ſunt*. Fruſtra laborabunt folles, *defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum*, vim flammæ non ferens: *fruſtra conflavit conflator: .... Argentum reprobum vocate eos*. Jer. VI. 27. ſqq.

Probo. Pro intelligo, ſentio. De Eſau, cum uxores duxiſſet Chananitides: *probans quoque, quod non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus*. Gen. XXVIII. 8. hebr. & græce, vivens.

2. *Domine probaſti me*. Pſ. CXXXVIII. 1. Non eſt, approbaſti me: ſed, ſcrutatus es, exploraſti.

Proditio. Pro perditione, amiſſione. *Nihil enim eſt timor niſi proditio cogitationis auxiliorum*. Sap. XVII. 11. Eum, qui conſcientia male factorum laborat, corripit

pit timor, qui nihil eſt aliud niſi amiſſio auxiliorum, ab aliis excogitari ſolitorum. Impium conſcientiæ terror & perturbatio prohibet, ne conſulere ſibi poſſit.

Professio. *In diebus profeſſionis*. Act. V. 37. eo tempore, quo *bibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem*, Luc. II. 3., edicto Auguſti jubente, ut imperii univerſi cenſus haberetur.

Profugus. Sapientia Divina *profugum iræ fratris juſtum* (Jacobum, cum iram fratris Eſau fugeret) *deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum* Dei, cum ſcalam dormiens vidit. Sap. X. 10.

Profundum. *Nocte & die in profundo maris fui*. II. Cor. XI. 25. Non infra aquas; ſed, ut oſtendunt ſyriaca, in mari ſine navigio diem totam noctemque jactatus eſt.

Prohibeo. *Quam bonum* (i. e. melius, per hebraiſmum) *eſt arguere, quam iraſci, & confitentem in oratione non prohibere*! Eccli. XX. 1. Quanto ſatius eſt monere amice & pacate, quam effervеſcere! quanto melius confitenti delictum ac deprecanti concedere veniam, quam negare!

Projicio. *Me autem projeciſti poſt corpus tuum*. III. Reg. XIV. 9. Non reprehenditur peccatum libidinis, ut multi falſo putant: ſed projicere poſt corpus aut tergum, hebraiſmus eſt, contemptum & oblivionem ſignificans. Eadem phraſis legitur hebraice Nehem. IX. 26. (nobis II. Eſdr. IX. 26.) & Iſ. XXXVIII. 17. quorum priore loco Vulgata habet: *Projecerunt legem tuam poſt terga ſua*. i. e. ſpreverunt: altero autem Ezechias Deum alloquens, *Projeciſti*, inquit, *poſt tergum tuum omnia peccata mea*. i. e. oblitus es, condonaſti. Equidem hæc ipſa locutio hebraice & latine uſurpatur Ez. XXIII. 35. conjuncta cum vocabulo *fornicationes*: ſed ne ibi quidem luxuriæ ſordes intelliguntur: *fornicationes* enim eo loco, ut aliis plurimis, ſuperſtitioſæ falſorum numinum religiones ſunt.

2. Pro ſpargere. *In omni loco projicietur ſilentium*. Amos VIII. 3. Ubique ſolitudo erit, omnia late ſilebunt.

Propheta. Plerumque hominem indicat, qui Divi-

no inſtinctu impulſus loquitur. Interdum & muſicum ſignificat, non qui altiore afflatu divina annunciet, ſed qui cæleſtia carmina & aliena vaticinia ſeu voce decantet, ſeu inſtrumento muſico proſequatur. Talem legimus *gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes*. I. Reg. X. 5. ubi & Saul inter prophetas, v. 11. ſq. Sic & Chonenias, Levitarum princeps, *Prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam*. I. Par. XV. 22. *Chonenias princeps prophetiæ inter cantores*. i. e. ſacræ muſicæ præfectus. ibid. v. 27. David etiam certos elegit, *qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis*. I. Par. XXV. 1. Idithun *in cithara prophetabat*. ib. v. 3. De his prophetis, eorumque collegis dilucide & eleganter, more ſuo, differit Cæſar Calinus in Samuele Eccleſ. ſeu ad I. Reg. X. 5.

2. Joannes Baptiſta an Propheta. Interrogatus ipſe eſt: *Propheta es tu? & reſpondit: non*. Joann. I. 21. Deflectunt a fonte, qui ſic interpretantur: Eſne e Prophetarum numero? Non ſum. Id enim parum conſentit cum rei veritate, & ipſius Chriſti elogio: *Quid exiſtis videre? Prophetam? utique dico vobis, & pluſquam Prophetam*. Luc. VII. 26. Fons græcus perſpicue rem oſtendit: habet enim Prophetæ nomen cum articulo præpoſito, qui ſenſum hunc efficit: Eſne tu *ille propheta*? non qualiſcunque, ſed ille magnus, ille tot ſeculis expectatus, Meſſias ille, de quo ad Moyſen dictum eſt: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui*. Deut. XVIII. 18. Quod eſſe de Chriſto prædictum, ex Act. III. 22. certiſſimum eſt. Ideo, qui interrogaverant, Joannem urgent: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Joann. I. 25. ubi rurſus græce cum articulo: *ille propheta*. Neque enim hanc ei poteſtatem deberi putant, ſi nec Elias, nec Unctus aut Propheta ille magnus & ſummus ſit. Eodem modo, cum inter turbas de Meſſia eſt ſermo, articulo præmiſſo ab aliis prophetis diſtinguitur. *Cum audiſſent hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt vere Propheta*. Joann. VII. 40. Hoc enim apud Græcos intereſt nomen nudum, & nomen

arti-

articulo munitum; quod apud Germanos, *ein Prophet*, & *der Prophet*. Quod eo loco declarat confirmatio dicentium: *Hic eſt Chriſtus*. ibid. v. 41. At ubi articulus abeſt, tum vero non jam *ille* Propheta omnium princeps, ſed *unus* aliquis ex prophetis eſt. *Dicebant*: *Quia propheta* (græce ſine articulo, *ein Prophet*) *eſt*, *quaſi unus ex prophetis*. Marc. VI. 15. Baptiſta ergo, qui prophetam ſe miſſum a Deo optime intelligebat, eum ſe eſſe non negavit; ſed interrogantium ſuſpicioni de Meſſia occurrens, libere conteſtatus eſt, ſe illum Prophetam generis humani Aſſertorem non eſſe.

3. Epimenides propheta. *Dixit quidam ex illis*, Cretenſibus, *proprius ipſorum propheta*: *Cretenſes ſemper mendaces*, *malæ beſtiæ*, *ventres pigri*. Tit. I. 12. Græcus hic verſiculus eſt Epimenidis, quem Paulus per catachreſin prophetam ſic appellat, ut inanium deorum popæ in Bibliis paſſim prophetæ vocantur, quod a ſuis crederentur inſtinctu cæleſti & arcano agi.

Prophetia. Pro ſacra muſica, ut dictum Voc. præcedente.

Prophetissa. *Acceſſi ad prophetiſſam*. Iſ. VIII. 3. De Maria Virgine loqui vatem evangelicum, innumeri auctores conſentiunt, antiqui, novique; adeo quidem, ut vel inter Hebræos Rabbi Haccadóſch, maximi vir nominis, de Matre Meſſiæ id interpretetur: quod contra Judæos recentiores egregie tuetur Galatinus, fabellarum rabbinicarum malleus. l. VII. c. 16. In viſo igitur cæleſti juſſus eſt ſcribere Iſaias nomen Meſſiæ novum: & coram teſtibus duobus & ipſa Meſſiæ genitrice, quem paulo ante (VII. 14.) Emmanuelem ſeu Deum nobiſcum dixerat, eum nunc appellat (VIII. 3.) Victorem celerem, Prædatorem felicem. nimirum quia Chriſtus de Iſraelitis pertinacibus, gentibuſque omnibus, celerrimam erat victoriam adepturus; & illorum ſcripturas, harum ſcientias, veluti ſpolium Eccleſiæ ſuæ vendicaturus. Quorum figura tum fuere Raſin & Phácee: & ut videas celeritatem, ſtatim ab edito hoc vaticinio Teglatphalaſſar Aſſyriorum rex, occiſo Raſin, Damaſcum cepit, & Syros captivos Cyrenen tranſtulit; eodemque tempore

tribum Nephthali cum magna Samaritanorum parte captivam abduxit.

Propheto. I. Cor. XIV. ſæpius uſurpatur de explicantibus Divinam legem: quod hodie concionando fit.

2. Corpus prophetans. De Eliſeo: *Nec ſuperavit illum verbum aliquod*, res ulla: *& mortuum prophetavit corpus ejus*. Eccli. XLVIII. 14. Eliſei cadaver, dum (IV. Reg. XIII. 21.) mortuum excitavit, opus prophetæ patravit, Deique potentiam & venerationem enixe hominum animis inculcavit.

3. Oſſa prophetantia. De Joſepho Patriarcha. *Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt*. Eccli. XLIX. 18. Cum ex Ægypto emigrarent Hebræi, *tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum: eo quod adjuraſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos* Deus, *efferte oſſa mea hinc vobiſcum*. Ex. XIII. 19. Vidit enim tunc univerſus Iſraelitarum exercitus, impleri vaticinium Joſeph, quod legimus, Gen. ult. 23. ſq. Præterea docebant oſſa hæc, reditura olim ad vitam hominum corpora: id enim niſi futurum eſſet, quorſum tanta reverentia, tantaque cura de oſſibus pridem aridis, & in perpetuum inutilibus?

4. De ſenſu verbi hujus muſico dixi paulo ante in *Propheta*.

Propitiatio. *Ego Dominus .... dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te*. Iſ. XLIII. 3. Iram a te averſam in illos effudi. *ex quo* (i. e.) quia *honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus*. v. ſq.

Propositio. *Sta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi* Dei. Eccli. XVII. 24. Perſevera in ſorte tibi a Deo propoſita, ad quam ille te vocavit: nec a precibus deſiſte.

2. *Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones*. Dan. VIII. 23. Antiochus Epiphanes, impudens, & intelligens ænigmata, ut eſt in fonte hebraico, i. e. aſtutus, callidus.

Propter. *Credidi, propter quod locutus ſum*. Pſ. CXV. 1. Quod repetens gentium Doctor, addit: *& nos credimus, propter quod & loquimur*. II. Cor. IV. 13. Hic *propter quod* eſt ideo, quapropter. At in illo, Jac. IV. 2. *Non*

Non habetis, propter quod non poſtulatis, eædem particulæ ſignificant *quia*. In Pſalte & Apoſtolo fides erat loquendi cauſſa: contra in torpentibus illis, quos Jacobus excitat, deſidia in precando fuit egeſtatis cauſſa, non egeſtas deſidiæ.

2. Pro juxta, ſecus. *Propter dolos poſuiſti eis*. Pſ. LXXII. 18. Ubi *propter* non cauſſam indicat, ſed vicinitatem. in lubrico, in via periculoſa eos poſuiſti. Contexui locum in Voc. *Dolus*.

Propurgo. *Propurga te cum brachiis*. Eccli. VII. 33. Peccata tua ſacrificiis abole, offerendo victimarum armos, ex legis præſcripto.

Proselytus. Græce acceſſor, advena. Uſurpabatur de iis, qui rejecta exterorum ſuperſtitione ad Hebraica ſacra tranſibant.

Protector. *Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus*. Oſ. IV. 18. Principes & ſacerdotes per falſas deorum religiones populum ignominia affecerunt.

Proverbium. *Proverbia laudis*. Eccli. VI. 35. Sententiæ præclaræ & laudabiles.

Proximo. *Miſericordia enim, & ira ab illo cito proximant*. Eccli. V. 7. Quam celeriter Deus miſeretur, tam inopinate plectit.

Pruna. Beneficus in inimicos eſto, inquit Salomon: *prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi*. Prov. XXV. 22. Præter Divinam mercedem, ipſum quoque amore mutuo inflammabis. Sumptum hinc Paulinum locum habes in Voc. *Carbo*. §. 5.

Psallo. *In me pſallebant qui bibebant vinum*. Pſ. LXVIII. 13. Cantica in ludibrium meum excogitata, inter pocula concinebant.

Psalmus. *Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide, ego ſum pſalmus eorum*. Thren. III. 63. Quidquid agunt, me irrident: ſedentes, ſurgentes, probroſa mihi carmina & ignominioſos jocos in ore habent.

Psalterium. Jungitur *decachordo*, Pſ. XCI. 4., & Pſ. CXLIII. 9. Diverſa tamen inſtrumenta ſunt, & in editionibus Bibliorum melioribus commate ſeparantur. De *decachordo* dixi loco proprio. *Pſalterium*

quod Græci dicunt, Latini nablium appellant, nomen ab Hebræis mutuati.

Pseudoapostolus. II. Cor. XI. 13. Falſus Apoſtolus.

Pseudochristus. Matth. XXIV. 24. Marc. XIII. 22. Meſſias commentitius, qui Chriſtum ſe fingit.

Pseudopropheta. Zach. XIII. 2., & alibi. Græcum, ut ſuperiora duo. Qui prophetam ſe mentitur.

Ptolemæus. *Suggerentibus Ptolemæis*. II. Mach. VI. 8. Non Ægypti regibus, qui hoc nomine alioqui ſignificantur; ſed Præfectis Antiochi, ex Ægyptiorum regum, ut videtur, familia ortis.

Puer. Sicut Latinis & Græcis, ita Hebræis nequaquam ſemper eam ætatem ſignificat, quæ inter infantiam & adoleſcentiam intercedit: ſed & filium, & ſervum ſeu famulum indicat. *Obſecro, Domini*, inquit Lot ad cæleſtes hoſpites, *declinate in domum pueri veſtri*. Gen. XIX. 2. Servum ſe officioſe appellat: nam ætate puerum quis ſuſpicetur eum, cujus generos (ibid. v. 14.) videt? & major filia ad minorem dicit: *Pater noſter ſenex eſt*. ibid. v. 31. Joſeph in carcere, quo die Pharaoni ſiſtendus eſt, dicitur *puer Hebræus*. Gen. XLI. 12. ſervus nimirum: annorum enim erat triginta. ibid. v. 46. *Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini*. Pſ. CXII. 1. hebraice: Laudate, ſervi Domini, laudate nomen Domini. Celeberrimum Chriſti elogium ex Iſaia: *Ecce puer meus, quem elegi*. Matth. XII. 18. In ipſo autem propheta non tantum hebraice, ſed etiam latine habemus: *Ecce ſervus meus*. Iſ. XLII. 1.

2. Joſue puer. *Miniſter ejus* (Moyſis) *Joſue filius Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo*. Ex. XXXIII. 11. Breviter ſe difficultate expediunt, qui puerum dici ajunt, quia miniſtrum, ut alios alibi. Sed ſolide Nicolaus Serarius, Joſuæ ſui T. I. lib. I. c. 6. q. 1., inquit, ex ipſo contextu eam opinionem refelli: tum quod eodem verſiculo dictus modo ſit miniſter Moyſis, & tam celeriter in ſe recurrens *tautologia*, ut loquitur, *perinepta* eſſet; tum quod non addatur, cujus nam ſit puer, quod tamen alibi addere Divina Pagina ſolet. Per catachreſin igitur dictus eſt puer; ſive juve-

juvenis, & hoc ipſum ſenſu latiore: ſed ſi ætatem hominum illo ævo conſideres, juvenem dici non miraberis, ſi vel quinquaginta annos ei tribuendos exiſtimes.

3. Daniel puer. In Suſannæ judicio *ſuſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*. Dan. XIII. 45. Annorum duodecim fuiſſe quibuſdam viſus eſt. *Sed quomodo populus omnis puero duodenni judicem agere volenti, ipſoſque judices ad judicium ſuum vocanti auſcultaſſet? Ergo puer junior ſignificat hic juvenem, qui comparatione ſenum iſtorum merito cenſeri poterat puer. Agebat enim jam tum Daniel annum circiter 24., ut dixi in præfatione, eruditus jam in omni ſapientia Chaldæorum: Dan. I. v. 4. Et contigit hæc iſtoria ſub annum 4. a tranſmigratione ejus in Babylonem*. Ita Jacobus Tirinus ad hunc locum, maximam partem e Cornelio a Lapide, ut ſolet, reſcribens. Similis catachreſis eſt cum Ananiæ, Azariæ, & Miſaelis carmen inſcribitur Canticum trium puerorum: erant enim *viri*, ut Dan. III. & a Vulgata noſtra, & in ipſo fonte caldaico, ſæpius appellantur.

4. Puer Iſrael. *Quia puer Iſrael, & dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filium meum. Vocaverunt eos, ſic abierunt a facie eorum: Baalim immolabant, & ſimulacris ſacrificabant*. Oſ. XI. 1. ſq. Iſrael in Ægypto erat adoleſcens, viribus & intellectu exiguus. dilexi eum, & ex Ægypto in terram ſanctam, ut deinde Chriſtum Filium meum verum ac naturalem, ita filium hunc adoptivum vocavi. Miniſtri mei, Moyſes & Aaron, Hebræos vocabant: ſed quo magis hi ad fidelitatem incitabant, hoc pertinacius reſiſtebant illi. In ipſo itinere Beelphegor & vitulum aureum adoravere.

5. *Puer centum annorum*. Iſ. LXV. 20. Vide totum locum in Voc. *Infans*.

Pulvis. *Habitabunt apud te profugi mei: Moab eſto latibulum eorum a facie vaſtatoris: finitus eſt enim pulvis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram*. Iſ. XVI. 4. Inter argumenta cetera, quibus propheta Moabitis perſuadere conatur, ut Judæos profugos benevole excipiant; etiam hoc ponit, quod nullum ipſis periculum ex hac humanitate immineat: nam, inquit,

pulvis ac tumultus belli præteriit; miſera ceſſavit, dilapſis jam hoſtibus, qui Judæam conculcabant.

2. Domus pulveris. *In domo pulveris pulvere vos conſpergite*. Mich. I. 10. Signum doloris præcipit, labante jam, & caſum propinquum minitante re publica. Aſpergite caput pulvere in domo veſtra jam vacillante, & a concuſſu pulverulenta. Non deſunt hebraizantes, qui hanc Domum Pulveris eſſe cenſeant nomen loci proprium: quod & verſ. ſqq. arbitrantur, nomina videlicet urbium quarumdam pro appellativis noſtris fuiſſe ponenda. Sed nulla mutatione opus eſſe, & optime habere Vulgatam, docte oſtendit, ac Hieronymi auctoritatem præclare tuetur Ribera in accuratis ſuis Commentariis in XII. Proph. Minor. ad hunc locum.

3. Pulvis ſerpenti panis. Pacem & ſecuritatem, a Meſſia generi humano afferendam, eloquentiſſime Iſaias hunc in modum prænunciat: *Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas: & ſerpenti pulvis panis ejus: non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo, dicit Dominus*. Iſ. LXV. ult. Cogetur ſerpens contentus eſſe alimento præſcripto Gen. III. 14. *terram comedes*. Naturis etiam diverſiſſimis inter ſe conveniet: nocere hominibus neque veri Chriſtiani volent, etſi ferocioris indolis; neque Chriſtianis poterunt ſtygiæ beſtiæ, earumve ſimiles homines.

Punctum. Impii felices *in puncto ad inferna deſcendunt*. Job. XXI. 13. Non eſt comminatio, ut multi credunt; ſed inter ceteras proſperitatis partes enumeratur: hoc enim ex inſtituto propheta eo loco agit, ut ſceleſtum in hac vita beatum oculis ſubjiciat. Propoſita igitur eorum dignitate, opulentia, propinquorum turba, ſecuritate, liberorum copia, gaudiis, & voluptatibus; denique & hoc adjungit, quieta & celeri morte tranquillam & ſuavem illam vitam abſolvi. Puncto temporis ſolvuntur hoc corpore: non torquentur morbi diutini cruciatibus: momento a deliciis ad tumulum tranſeunt, in ipſo vitæ fine, ut in toto ejus curſu felices. Sic & Pſaltes in ſimili argumento, de impiorum felicitate, celeritatem ac facilitatem

tatem moriendi commemorat: *Non eſt reſpectus* (hebr. non ſunt nodi) *morti eorum*. Pſ. LXXII. 4. de quo in Voc. *Reſpectus* dicendum erit.

Puteus. *Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Pſ. LXVIII. 16. Non claudatur os foveæ, in quam præcipitatus ſum. Allegorice, petit Chriſtus corporis ſui e ſepulcro liberationem, & reditum ad vitam.

Putredo. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis* (pro, in oſſa mea), *& ſubter me ſcateat: ut requieſcam in die tribulationis*. Hab. III. 16. Utinam moriar citius, quam in prædicta mala incidam! eorum enim gravitate adeo ſe exterritum dixerat, ut animo turbaretur, & contremiſceret. ibid.

Pygmæus. Miraberis, qua ratione *Pygmæi*. Ez. XXVII. 11. locum in enumeratione militum obtinuerint. Ingens eſt interpretum & hebraicæ peritorum diſſenſio. Alii Pygmæos populos, alii Cappadoces, Medos alii, quidam & Gamadæos exiſtimarunt. Hi potentes interpretati ſunt: illi pygmæos a græco *pygme*, quod pugnam ſignificat, tanquam pugnatores dictos eſſe rati ſunt. Qui pumiliones intelligunt, illud non expediunt, quo modo his homulis tantæ urbis muri cuſtodiendi adverſus hoſtem tradantur. In fonte hebraico legitur *gammadîm*, ab radice *gòmed*, quo vocabulo menſura cubiti aut ſpithama indicatur. cum quo congruit omnino Vulgata, pygmæos appellans, quaſi homines cubitales. LXX. vertunt cuſtodes: nam *Medi*, quod in Bibliis Regiis, aliiſque nonnullis editionibus LXX. viris tribuitur, non illorum eſt, ſed Symmachi, teſte locupletiſſimo Hieronymo. Difficultates omnes complanat illa opinio, quæ ſtatuit, per ironiam hæc dici, & irrideri vanam ſpem Tyriorum, quorum urbi propheta vaſtitatem prædicit. Cuſtodes, inquit, quos in præſidio collocaſtis, inſtar nanorum erunt, qui contra hoſtes a Deo immitendos ceu contra gigantes reſpicere non poſſint. Hæc ſententia Vulgatam ſimul, hebraicum, LXX. & contextum aptiſſime componit: quod nulla ceterarum poteſt.

Pyrus. Davidi, de Philiſthæis interroganti, reſpondet Dominus: *Venies ad eos ex adverſo pyrorum.*

Et

Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium. II. Reg. V. 23. ſq. ac totidem pæne verbis I. Par. XIV. 14. ſq. Tunc arma confer, cum ſonitum ab angelo excitatum in illarum arborum cacuminibus audies.

Python. Legimus Act. XVI. 16. *puellam quamdam habentem ſpiritum ypthonem*: quem D. Paulus ejecit. Spiritus eſt immundus, qui occulta futuraque hominis ore prædicit. Laudatur Joſias rex, quod impium hoc divinationis genus extinxit: *pythones, & ariolos --- abſtulit Joſias*. IV. Reg. XXIII. 24. *Cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis*: reſpondete, *Nunquid non populus a DEO ſuo requiret, pro vivis a mortuis*? Iſ. VIII. 19. Quin potius Deum patrem noſtrum interrogamus? cur pro vivis conſilium efflagitemus a mortuis? præſtantiores ipſi ſumus horum ſimulacris, cum hæc ſint mortua: nos vivamus. Alluditur ad legis verba: *Nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem --- nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem*. Deut. XVIII. 10. ſq.

Pythonissa. Saul conſuluit *pythoniſſam*. I. Par. X. 13. De qua *dixerunt ſervi ejus ad eum: Eſt mulier pythonem habens in Endor*. I. Reg. XXVIII. 7. & ad quam Saul incognitus dixit: *Divina mihi in pythone*, nimirum ope dæmonis. ibid. v. 8.

Q

Quadragenus. *A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi*. II. Cor. XI. 24. De plagis infligendis præceptum Judæis erat, *ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Deut. XXV. 3. Solebant autem, ut religioſos ſe oſtenderent, intra numerum hunc conſiſtere, & 39. tantum plagas decernere. Sic Paulus a ſuis popularibus quinquies ſe fuiſſe cæſum narrat.

Quadraginta. Jonas pœnitentiam Ninivitis imperans, clamat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Jon. III. 4. Niſi intra 40. dies reſipuerit Ninive,

nive, peribit. LXX. habent: *adhuc tres dies:* cum in hebraico, chaldaico, imo & græco ceterorum interpretum, Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, apertiſſime dies quadraginta numerentur. Auctoritati LXX. ut conſuleretur, rationes diverſæ excogitatæ ſunt; ſed, ſi res dicenda eſt, ſpecioſius, quam vero ſimilius. Doctiſſimi viri Theodoretum ſequuntur dicentem: *Credibile eſt, etiam LXX. concordem aliis poſuiſſe numerum, ſed primos librarios in hoc erraſſe, ac deinceps mendum in omnia exemplaria profluxiſſe.*

Quadriga. Habacuc in ſuo cantico, ſublimitatem omnem Pindaricam ſuperante, Deum comparat imperatori bellico, qui ut ſuo populo ferat ſuppetias, curru ſublimis advolat, & hoſtem profligat. *Aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſalvatio.* Hab. III. 8. Equi ſunt venti, quadrigæ nubes.

2. *Quatuor quadrigæ,* Zach. VI. 1. ſunt quatuor Monarchiæ: de quibus eo Capite plura.

3. Quadriga ſtuporis. Mich. I. 13. Vide *Lachis*.

Quæro. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæſivit.* Iſ. XXXIV. 16. Ne unum quidem verbum in libro legis inane eſt; nullus articulus aut apex avelletur aut deſiderabitur. Sententia ſimilis illi: *Jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Matth. V. 18. *Quæri* pro *deſiderari* legitur & in Jeremia. *Non formidabunt ultra, & non pavebunt: & nullus quæretur ex numero.* Jer. XXIII. 4. nullus deerit, nullus deſiderabitur.

2. *Secundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Pſ. IX. 25. Sceleſtus nihil penſi habet; non quærit, non apud ſe expendit, neque quid liceat, neque quid ſibi expediat. Sunt, qui de Deo interpretentur, qui etiam cum punit, non ſecundum iræ ſuæ magnitudinem plectit, ſed ſupplicium delicto minus conſtituit. Verum & hebraica perſpicue repugnant, & præcedentia ſequentiaque de homine impio, non de judice Deo agunt.

3. *Spiritus timentium DEUM quæritur.* Eccl. XXXIV. 14. Homo probus & religioſus exquiſite honoratur, & a Deo, & ab hominibus: nam & ille timentes ſe protegit, & hi virum ſpectatæ virtutis adamant & ambiunt.

Quam. Pro pluſquam. *Bonum eſt confidere in Domino, quam* (pluſquam) *confidere in homine*: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus*. Pſ. CXVII. 8. ſq. Melius eſt ſpem in Deo reponere, quam in hominibus, etiam principibus. *Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quam* (veriora, quam; vera, pluſquam) *ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum*. Eccl. XXXVII. 18. Homo ſanctus interdum certiora prævidet, ac utilius monet, quam ſpeculatores complures, tametſi minime oſcitantes. Idem loquendi modus occurrit Eccl. XX. 1. ut dixi Voc. *Bonus* & Voc. *Arguo*.

Quartus. *In trigeſimo anno, in quarto, in quinta menſis*. Ez. I. 1. Anno 30. menſis quarti die quinto.

Quasi. *Ingredere ---- ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum: Quid tu hic, aut quaſi quis hic?* Iſ. XXII. 15. ſq. Reprehenditur vir indignus ſacro munere, quod male gerebat.

2. Quaſi dives, quaſi pauper. *Eſt quaſi dives cum nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit*. Prov. XIII. 7. Noli exponere cum quibuſdam: Hic parvo contentus eſt, illi nihil ſufficit. Senſus verus ex hebraico iſte petitur: Eſt, qui ſuas divitias jactat, cum nihil habeat: eſt, qui pauperem ſe dicit, cum ſit locuples.

Quatuor. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*. Amos I. 3. *Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum*. ibid. v. 6. Eodemque modo de ſceleribus Tyri, Edom, Ammon, Moab, Juda, & Iſrael; Amos I. 9. 11. 13. & II. 1. 4. 6. Numerus certus pro incerto. Diu, inquit Dominus, gentium harum flagitia diſſimulavi: cum impleta menſura fuerit, pœna certa eſt.

Querela. Job de Deo: *Querelas in me reperit*. Job. XXXIII. 10. non querelas Jobi de Deo; ſed, ut hebraica oſtendunt, juſtam materiam conquerendi de Jobo, cauſſam vel occaſionem irritationis adverſus Jobum.

2. *Homo ſine querela*. Sap. XVIII. 21. Aaron, de quo conqueri nemo jure poterat, eo quidem tempore, cum ambitionis culpa in inſontem conferebatur.

Quia. Sæpiſſime non cauſſam indicat, ſed id, quod vulgo per particulam *quod* ſignificatur. *Alii autem dicebant: Quia Elias eſt*. Marc. VI. 15. Dicebant, Eliam eſſe, ſive, ut latina plebs loquitur, dicebant, quod ſit Elias. Nonnunquam eſt pleonaſticum, i. e. ſolius ornatus gratia additur. *Quia inflammatum eſt cor meum*. Pſ. LXXII. 21. ubi *quia* neque præcedentium rationem reddit, neque ad ſententiæ integritatem pertinet, ſed pro non adjecto habetur.

Quiesco. *Hæc dicit Dominus DEUS: Qui audit, audiat: & qui quieſcit, quieſcat*. Ez. III. ult. Invitat, gratiam offert: non cogit. audiat, qui volet: qui nolet, arbitrio ſuo utatur.

2. Quieſcere ab excelſo. *Quieſcite ergo ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus eſt, quia Excelſus reputatus eſt ipſe*. Iſ. II. ult. Excelſum hunc eſſe Meſſiam, non Chriſtiani tantum, ſed & Hebræi affirmant. Nolite inſidiari vitæ hominis illius, qui per antonomaſiam præ aliis omnibus Excelſus eſt.

3. *Quieſcere faciam regnum domus Iſrael*. Oſ. I. 4. id eſt, delebo. nam *conteram arcum Iſrael in valle Jezrahel* (v. ſq.) ubi Iſraelitarum exercitus ab Aſſyriis vincetur: qua clade fractæ decem tribus in captivitatem migrare cogentur.

Quinquaginta. *Percuſſit autem*, Deus, *de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcam Domini: & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percuſſiſſet plebem plaga magna*. I. Reg. VI. 19. Scriptoribus aliquot numerus hic viſus eſt nimius: quem ut minuerent, *quinquaginta millia* non accuſativo caſu, ſed nominativo accipi, & verbum *erant* intelligi voluerunt, hoc ſenſu: erant 50. millia, e quibus 70. viri occubuerunt. Sed hoc artificium plus acuminis habet, quam firmitatis. Cum hebraico fonte hæc non conſentiant, & ab illius linguæ proprietate ac naturali ſimplicitate abhorrent: quod demonſtrare foret perfacile, ſi propoſita nobis brevitas pateretur. Græci codd. accuſandi caſum aperte habent. Vulgata violenter omnino huc trahitur: quæ, ſi ita intelligere nos voluiſſet, dictura fuit: *erant* *au-*

autem quinquaginta millia. Sic enim res & claritas poſcunt, atque ita interpres noſter ſolet. Denique ipſi ſibi obſtant auctores hi: cum enim ex una urbe & agro incredibilem eſſe tantam multitudinem pereuntium putent, ipſi tamen cum ceteris millia quinquaginta fuiſſe confitentur, mortuorum tamen numero ad 70. reſtricto. Atqui 70. capitum jactura dici a Divinis Libris *plaga magna* nec ſolet, nec meretur. Teneamus igitur, quod auctorum conſenſus & linguarum proprietas exigit, præter 70. præſtantiores populi Bethſamitici cecidiſſe de plebe millia 50.

Quintus. *In anno ſeptimo, in quinto, in decima menſis*. Ez. XX. 1. anno 7. die decimo menſis quinti.

Quomodo. Vox exultantis de crimine perpetrato: *Quomodo potui?* Eccl. V. 3. Quam feliciter ſucceſſit! quam proſpere voto potitus ſum!

Quoniam. Eodem modo uſurpatur, quo particula *Quia* paulo ante memorata. *Videns quoniam bene illis reſponderit, interrogavit eum*. Marc. XII. 28. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a DEO tentatur*. Jac. I. 13. id eſt: videns, bene reſpondiſſe; nemo ſe tentari a Deo dicat. vel, ut vulgus loquitur: videns, quod bene illis reſponderit: nemo dicat, quod a Deo tentetur. Pleonaſticum vero eſt, cum legimus: *Falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc*. Marc. XIV. 57. ſq. ubi *quoniam* ornatui, non ſenſui datur. *Conteſtatur enim: Quoniam tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Hebr. VII. 17. Locus hic eſt ex Pſ. CIX. 4. ubi tamen *quoniam* nec a nobis, nec a Græcis Hebræiſve ſcribitur; nec in Paulina epiſtola ſententiæ partem efficit.

R

Rabbath. *Auditum faciam ſuper Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, & erit in tumulum* (perperam in nonnullis exemplaribus *tumultum*: nam & hebraica, & chaldaica habent tumulum ſeu acervum) *diſſipata, filiæque ejus igni ſuccendentur, & poſſidebit Iſrael poſſeſſores ſuos*.

ſuos. Jer. XLIX. 2. Rabbath urbs Ammonitarum præcipua, ab incolarum multitudine nomen adepta. Everſionem ei Deus minatur, quod Ammonitæ provinciam tribus Gad contra jus & fas occupaſſent. Filiæ ejus, i. e. oppida pagique vicini, incendio addicuntur. Regio ab iis poſſidebitur, quorum hæreditatem Ammonitæ inique poſſederant. Id quo tempore evenerit, doctiſſimus quidam Hiſpanus conſtare negat. At conſtat profecto ex I. Mach. V. 6. ſqq. & 36.

Rabbi. Non, quod vulgo perſuaſum eſt, Hebræis ea vox ſimpliciter Magiſtrum ſignificat, ſed cum affixo pronomine, Magiſter meus; & ſiquidem alloquare, Magiſter mi.

Rabboni. Hoc nomine Chriſtum cæcus (Marc. X. 51.) & Magdalena (Joann. XX. 16.) honorant, Magiſter mi, Domine mi.

Raca. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Matth. V. 21. ſq. Vocabulum hoc a quibuſdam male ſcribitur, ab aliis male exponitur, ab aliis male contexitur. Male ſcribunt, qui *racha* cum aſpiratione ponunt: nam ſyriaca, hebraica, græca, non *ch*, ſed *k* huic vocabulo tribuunt, & aſpirationem excludunt. Qui error plurimis in nomine *Melchiſedec* quoque obrepſit, cujus fini literam *h* appingunt, & pronunciationem debitam vitiant, vocem aſpiratione claudentes; atqui hanc repudiant hebraica, græca, chaldaica, & ſyriaca, quæ conſtanter omnia ejus regis nomen *k* litera terminant. Male expoſuerunt illi, qui tempore D. Auguſtini (ut ex ipſo diſcimus l. II. de Doctrina Chriſt. c. 11. & Tr. LI. in Joan.) confidenter perhibuerunt, *Raca* meram eſſe interjectionem, quæ non certam aliquam notionem animo comprehenſam, ſed ſolum indignantis motum ſignificet. Sed hoc viri boni nunquam aſſeveraſſent, ſi a lingua ſyriaca vel hebraica fuiſſent inſtructiores: nam in ſyriaca, quæ Chriſti ætate Hebræis erat vernacula, quaque Matthæi evangelium ſcriptum eſt,

eſt, *Raca* de homine inani, fatuo, ſtolido dicitur: hebraica autem vocabula, huic *Raca* affinia, *rik*, *rek*, & *rekim*, quæ ſæpius in Literis Divinis occurrunt, vanitatem, rem inanem, homines nauci ac nihili indicant. Superſunt alii, ut tertio loco dicebam, vocem hanc totumque locum parum feliciter contexentes. Sic enim ſtatuunt, in Chriſti verbis a me allatis tres indicari gradus, tum culpæ, tum pœnæ. Malum eſt, inquiunt, iraſci; pejus, *Raca* dicere; peſſimum, appellare Fatuum: ſic & pœna creſcit; judicium, concilium, gehenna ignis. Equidem ira, quæ voce proditur, major culpa eſt, quam quæ animo ſolo concipitur: ſed *Raca* & *Fatue*: ut oſtendi, ſynonyma ſunt. nec alterum altero deterius haberi poteſt. Nec in pœnis apparet, cur gravius judicio concilium ſit. Neutra igitur ex parte terni hi gradus apte firmiterque conſiſtunt. Roſetum vero audiamus, qui convenientiſſime loci hujus compages ita reſolvit. Veteres (ita Chriſtum Roſetus introducit loquentem) occidere vetabantur, ne in iram Divinam incurrerent: at ego eamdem vobis Dei iram judiciumque denuncio, ſi vel irati graviter & injuſte fratri fueritis. Vos, ſi quis ut inanem & fatuum contumelia fratrem affecerit, judicum conſeſſui (in græco enim eſt, Synedrio) eum ſiſtitis, a quo ſatisfacere pro injuria jubeatur: ego vero, qui fratrem per gravem contumeliam & ſerio fatuum appellarit, non humanæ cuidam pœnæ, ſed ignibus æternis addico. Ita Roſetus, optime ſane. Ipſum Synedrii nomen, præter cetera, ſatis oſtendit, illam non Chriſti eſſe, ſed ſcribarum ſententiam, neque enim ſupremus Judex homines judices minatus unquam eſt, illos præſertim, quorum paulo poſt exſpiratura poteſtas erat, Synedrio genteque tota ſublata.

Racemus. *Væ mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum*. Mich. VII. 1. Sicut is, qui poſt vindemiam racemos quærit, ſed nihil invenit: ita dolet Propheta, neminem ſuis vocibus permoveri, ut ſe ipſe reſpiciat, & animum ad meliora convertat.

Radix. *Radicem verbi*, occaſionem obloquendi & criminandi, *inveniamus contra eum*. Job. XIX. 28.

Rahab. *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ* (Philiſthæi,) *& Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic*. Pſ. LXXXVI. 4. Chaldaice pro Rahab eſt Ægyptus: quod & interpretes paſſim recipiunt. Omnes circum Judæam populi Deum in templo ſancto ſuo adorabant, dum ex omnibus his gentibus aliqui ad ſacra Hebraica ſe aggregabant. Sed longe cumulatiſſime id in Eccleſia Chriſti impletum.

Ramus. *Applicant ramum ad nares ſuas*. Ez. VIII. 17. Ramum lauri oſculantes, qui ritus erat Solem ſeu Apollinem honorantium, odore ſe recreabant.

Raphaim. *Percuſſeruntque Raphaim in Aſtaroth Carnaim*. Gen. XIV. 5. Ne utrobique nomen loci eſſe autumes, Raphaim ſunt gigantes, ut verrunt LXX.

Rapina. Chriſtus, *cum in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO*. Phil. II. 6. Sciebat, honorem Divinum ſibi deberi, nec alienum eſſe, ſed proprium & nativum, quippe qui æqualem haberet formam, i. e. eamdem naturam cum Patre.

Recedo. *Sedeciam regem Juda, & principes ejus, dabo ---- in manus exercituum regis Babylonis, qui receſſerunt* (hebr. qui aſcendunt) *a vobis*. Jer. XXXIV. 21. Quare ſubito Chaldæi nunc dicuntur recedere, qui ſuperioribus Capitibus imminere jam jamque Hieroſolymæ dicebantur? *Exercitus Pharaonis egreſſus eſt de Ægypto*, ut laborantibus Judæis ſuppetias ferret: *& audientes Chaldæi, qui obſidebant Jeruſalem, hujuſcemodi nuncium, receſſerunt a Jeruſalem*, ut contra Ægyptios aſcenderent. Jer. XXXVII. 4. Qua ſpe inſolentes Judæi Deum rurſus contemnere, & fallere promiſſa cœperunt; ſed maximo ſuo malo, quod Jeremias hoc loco vaticinatur.

2. *Quomodo recedet a me?* Mich. II. 4. Funeſtum illud carmen habes totum in Voc. *Parabola*, §. 3.

Recogito. Ezechias rex ad Dominum: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Iſ. XXXVIII. 15. Pœnitens peccata totius vitæ amaro animo coram te confitebor.

Recuperatio. Impius, etſi *laborans*, & *feſtinans*, & *dolens*, quæſitis tamen divitiis non potietur; *tanto magis non abundabit*. Contra vir probus, etſi *homo marcidus*, *egens recuperatione*, (inops, græce, egens auxilio) *plus deficiens virtute*, i. e. potentia, & *abundans paupertate*, tamen ditabitur ac extolletur: quia *oculus DEI reſpexit illum*. Eccl. XI. 11. ſq.

Redimo. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit DEO placationem ſuam*, & *pretium redemptionis animæ ſuæ*. Pſ. XLVIII. 8. ſq. Nobiles quidam interpretes cum interrogatione legunt: *redimet homo?* q. d. nullus hominum redimet. Sed quia in fonte hebraico interrogationis veſtigium nullum eſt, majore probabilitate dicitur, particulam *non* ex priore ſententiæ membro, ut ſolent Hebræi, in altero quoque intelligi. Nec fratrem frater, nec ullus omnino hominum quemcunque alium redimet *in die mala* (ut v. 6. dixerat) mortis & judicii: nemo Judicem placare tum poterit, aut pro damnati ſalute pretium irato offerre.

2. *Tempus redimentes*. Col. IV. 5. non, ut quidam rati ſunt, ceu captivum, ſed veluti mercem venalem: vocabulum enim græcum, quo Apoſtolus uſus eſt, metaphoram ſuam non a carcere, ſed a foro ducit, & rem venalem emere ſignificat.

Regina. Sacrificant Judæi impii *reginæ cœli* (Jer. XLIV. 17. ſqq.) eique ritu ſacrilego liba ſeu placentas coquunt. Jer. VII. 18. Lunam hoc nomine colebant.

Regio. *Placebo Domino in regione vivorum*. Pſ. CXIV. 9. Quamdiu hic vixero, placebo Domino; heb. ambulabo coram Domino. Idem eſt regio vivorum hoc loco, quod terra viventium Pſ. XXVI. 13. vita nimirum præſens. Senſu tamen accommodatitio utrumque futuræ vitæ in cœlo convenit.

2. Regio mortis. Sic appellatur Jer. XXXI. ult. is Hieroſolymæ locus, ubi capite damnati necabantur.

Regno. De juſtis dicitur: *Regnabit Dominus illorum in perpetuum*. Sap. III. 8. *Illorum* ad verbum *regno*, non ad nominativum *Dominus* referendum eſt. Dominus in perpetuum imperabit juſtis: nemo præter Deum illis dominabitur. Apud Græcos enim verba dominan-

nandi genitivum amant; unde & illud: *in hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur*. Rom. XIV. 9.

Regnum, *Invenit manus mea regna idoli*. Iſ. X. 10. Vindicta mea regnis incubuit, quæ deorum ſimulacra adorabant. eodemque modo caſtigabo propter eamdem culpam populum hebraicum, *populum furoris mei* (ibid. v. 6.) i. e. furori meo debitum, ira mea dignum.

Regredior. *Viſio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur*. Ez. VII. 13. Quæcunque mala vaticinatus ſum, toti populo accident.

Regulus. *Ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen ejus abſorbens volucrem*. Iſ. XIV. 29. Nolite gaudere, provinciæ Philiſthæorum quæcunque: mortui quidem ſunt, qui vos percuſſerunt, Samſon ac David olim, Ozias haud ita pridem. Achaz, quem aliqui his addunt, non auſim annumerare: Divina enim Hiſtoria nullam ejus victoriam de Philiſthæis commemorat, ſed magnis potius detrimentis affectum ab ea gente narrat. Quod ſequitur, veluti proverbium eſt: pro colubro naſcetur regulus: graviora feretis ab Ezechia pronepote Oziæ, quam a ceteris adhuc tuliſtis. Ubi nos habemus *abſorbens volucrem*, hebraice eſt ſerpens ignitus volans, ſeu alatus. LXX. quoque eamdem imaginem offerunt ſerpentis alitis, qui eſt regulus. Serpens hic alatus etiam eos, qui fuga ceu volatu evadere ſe poſſe ſperabant, igneo ſuo halitu aſſequetur, & infectos abſumet. Tum Propheta v. 30. Hebræis ſaturitatem, Philiſthæis famem prædicit.

Reliquiæ. Pro poſteritate. *Cuſtodi innocentiam, & vide* (reſpice, ſectare) *æquitatem: quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico*. Pſ. XXXVI. 37. Contra, *reliquiæ impiorum interibunt*. ibid. v. ſq. Viri boni progeniem Deus ſoſpitat: impiorum poſteritas exareſcet. Vox hebraica, utroque hoc verſiculo uſurpata, redit Pſ. CVIII. (hebr. CIX.) 13. ubi etiam noſter vertit, *nati ejus*.

2. Pro futuris pœnis. *In reliquiis tuis* (hebraice, in nervis tuis, i. e. in ſagittis arcus tui) *præparabis vultum eorum*

rum. Pſ.XX.13. Reliquiæ hæ ſunt reliquæ ſeu futuræ Dei pœnæ, præſertim æternæ : quibus intentatis, haud ſecus ac oſtenſis potentiæ ſuæ ſagittis, animos vultuſque hoſtium terrore ac pudore ſaluberrimo implet.

3. Reliquiæ cogitationis. *Cogitatio hominis confitebitur tibi : & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Pſ. LXXV. 11. Carmen hoc, ut monet titulus, ſcriptum in Aſſyrios eſt. Hoſtis hujus tumidi cogitatio iracunda (eſt enim in hebraico ira) materia erit laudis tuæ, o Deus; qui eum tam potenter & celeriter enervaveris : & reliquias iræ (ita porro hebraica) cinges, vel, contra hujus iræ reliquias te accinges. Si continuaverit aut reſumpſerit iram hoſtis Aſſyrius, eam rurſus comprimes, & contra armatus pugnabis: quæ victoria tua nova de ſuperbo hoſte occaſio erit inſtituendi diem feſtum, quo gratus tibi populus ſuus te honorabit.

4. Reliquiæ in bonum. *Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, ſi non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adverſus inimicum.* Jer. XV. 11. Jurat Dominus : nam particulæ. *Si*, *Niſi*, *Si non*, jurisjurandi ſunt indices. Verax non dicar, inquit, niſi te bonus rerum exitus manet, & niſi meum laboranti tibi auxilium præſto erit.

5. Ponere in reliquias. *Ponam claudicantem*, Synagogam, inquit Hieronymus, *in reliquias*. Mich. IV. 7. Tametſi deſerta eſt a me Synagoga perfida, quæ ſemper in utramque partem claudicavit : tamen aliquas ex ea reliquias nunquam non ſervabo. Id a Chriſti temporibus ad noſtra uſque ſemper impletum eſt, & ante ultimum præſertim judicium omnino implebitur.

Remphan. *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus dei veſtri Remphan*, ſeu, ut quædam exemplaria græca habent, Rephan. Act. VII. 43. Hoc D. Stephanus popularibus ſuis in præclara illa oratione exprobrat. Vides, deum fuiſſe, & quidem e ſtellis petitum : quem alii Saturnum, alii Venerem ſeu Luciferum fuiſſe conjiciunt. Plura qui volet, adeat virum maximæ eruditionis Auguſtinum Calmetum, de Divinis Scripturis immortaliter meritum, in Diſſert. de Hebr. Idololatr. ante Comment. in XII. Prophet. Minores.

Ren.

Ren. Ut Latini & Græci *cor* & *pectus*, ita Hebræi *renes* pro intimis animi ſenſis uſurpant. *Tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti* (hebr. texiſti) *me de utero matris meæ*. Pſ. CXXXVIII. 13. Tu intima mea perſcrutatus es & cognoviſti, etiam antequam naſcerer: tu in corpore materno me perfeciſti, & naſcentem ſuſcepiſti. *Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt; & ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*. Pſ. LXXII. 21. ſq. Cor meum æſtuavit, & alias ex aliis cogitationes animo revolvi: ſed ſtupens nihil horum intelligebam. non magis quam jumentum (ibid. v. 23.) myſteria hæc aſſecutus ſum: fidelis tamen ſemper Deo meo perſeveravi. *Uſque ad noctem increpuerunt me renes mei*. Pſ. XV. 7. Meſſias, de quo pſalmus hic agit, inter alia dicit: Diu noctuque intimis deſideriis ſtimulabar; nimirum, ut hæreditatem illam præclaram (de qua ibid. v. 6.) conſequerer, i. e. gentes omnes exitio ereptas æternum poſſiderem.

Repeto. *In convivio vini non arguas proximum .... & non premas illum in repetendo*, i. e. in repoſcendo debito. Eccli. XXXI. 41. ſq. Importunum enim eſt, tali loco & tempore urgere, in re præſertim verecundiæ & moleſtiæ alioqui plena.

Repleo. *Et replevit in filia Juda humiliatum, & humiliatam*. Thren. II. 5. Hebraice: & multiplicavit in filia Juda mœrorem & luctum. Totam Hieroſolymam Deus hominibus mœrore dejectis afflictiſque implevit.

Repromissor. Pro ſponſore, quem Juriſconſulti fidejuſſorem appellant. *Repromiſſorem fugit peccator, & immundus*. Eccli. XXIX. 20. quia *bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator; & ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe*. v. ſq. Quocirca ſapienter monemur. *Repromiſſio nequiſſima*, infelicis exitus, in ſiniſtram fortunam recidens, *multos perdidit dirigentes*, multos antea felices repente fortunis evertit, & *commovit illos* ſumma celeritate, *quaſi fluctus maris*. ibid. v. 24.

Reptile. Dicitur aliquando de piſcibus. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus*, i. e. littoribus: *illic reptilia, quorum non eſt numerus*, piſces innumerabiles. Pſ. CIII. 25.

Requies. *Qui in ipſis requiem habebant*. I. Mach. VIII. 12. qui fiduciam in illis reponebant.

Requieſco. Placatus a Noe Deus promittit, nunquam ſe diluvio altero terras inundaturum. *Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent*. Gen. VIII. 21. ſq. naturalem ſuum curſum & viciſſitudinem ſervabunt: non interrumpentur, ut factum erat diluvii tempore.

Requiro. *Sanguinem enim animarum veſtrarum* (i. e. ſanguinem veſtrum, phraſi hebraica) *requiram de manu cunctarum beſtiarum*. Gen. IX. 5. Necem vobis allatam a beſtiis vindicabo. Factum id a Deo per leges latas, Exod. XXI. 28. ſqq. Particula *enim* ſumenda pro *autem*, ut monui de hoc ipſo loco in Voc. *Enim*, §. 2.

Residuum. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo*. Joel. I. 4. Hebræi & Chriſtianorum nonnulli vere id accidiſſe opinantur. Sed omnes ceteri cum magno Hieronymo ſentiunt, metaphoricas has eſſe imagines hoſtium omnia populantium, & famem inducentium: tum quod Divina Pagina rem adeo memorabilem, ſiquidem eveniſſet, prætteritura ſilentio non fuiſſet, quemadmodum famem Abrahæ & Eliæ temporibus exortam non reticuit: tum quia Joel ipſe metaphorice ſe locutum indicat, ita pergens: *Gens enim aſcendit ſuper terram meam, fortis & innumerabilis*. ibid. v. 6.

2. Reſiduum ſpiritus. Malachias, eos objurgans, qui per ſummam injuriam uxores repudiabant, hoc etiam argumentum affert: *Nonne unus fecit, & reſiduum ſpiritus ejus eſt?* Mal. II. 15. Nonne mulierem, quam tantopere contemnis tu, idem Deus qui te procreavit? nonne mulieri Divini ſui ſpiritus imaginem æque ſimilem impertitus eſt? De contextu dicetur Voc. *Unus*.

Resina. Ornatiſſime Propheta patheticus: *Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Jer. VIII. ult.

ult. Galaad plurimam ferebat reſinam, qui pretioſus humor eſt ex arboribus exſudans, dolorem leniens, conſtringens, breviqueefficiens, ut cicatrices vulnerum ſolideſcant. Sub hac metaphora ſenſus eſt: An in Judæa doctores legis & morum non ſunt, qui meliora perſuadeant ſcelerato populo? quare ergo tanta ubique animorum vulnera ſine remedio?

Respectus. *Zelavi ſuper iniquos, pacem* (felicitatem) *peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus* (hebraice, non ſunt nodi ſeu vincula) *morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.* Pſ. LXXII. 3. ſq. Cum ſæpe videamus, optimos viros in morte diu ac difficulter luctari, donec mortalitatis vincula rumpantur, omnium oculis in terribile ſpectaculum defixis: iſti tam facili ac leni morte, tam cito ſolvuntur, ut, antequam reſpicias, defuncti ſint. *Et firmamentum in plaga eorum*, intellige ex priore verſiculi parte, *non eſt*. Siqua illis plaga in vita infligitur, ſenſus non eſt diuturnus: quia multa felicibus & expedita remedia ſuppetunt, quæ malum depellant.

2. Reſpectus ex ſermonibus. Impii de Juſto, i. e. de Meſſia, decernunt in hanc ſententiam: *Morte turpiſſima condemnemus eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius.* Sap. II. 20. In crucem agi eum jubeamus: tum enimvero (hoc per acerbiſſimam ironiam addunt) reſpiciet eum & ſervabit Pater ſuus cæleſtis, ſecundum ſermones ipſius: quandoquidem *Filium* Dei *ſe nominat*. ibid. v. 13. *ſi enim eſt verus Filius* Dei, *ſuſcipiet illum, & liberabit*, cet. ibid. v. 18.

3. Dies reſpectus. Homini mille curis inanibus implicito vel in ipſo ſomno quies non eſt: *in cubili ſomnus noctis immutat ſcientiam ejus*, inquietis imaginibus eum perturbat: *modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in ſomnis, quaſi in die reſpectus;* in græco fonte, in diebus ſpeculæ. Eccli. XL. 5. ſq. Vix paululum quievit, cum ſomnia objiciuntur, quæ tanquam excubantem in ſpecula ſollicitudine aſſidua inquietum vexant.

Respondeo. Sæpe per hebraiſmum pro *dico*. *In illo tempore reſpondens* Jesus *dixit: Confiteor tibi, Pater.* Matth. XI. 25. Non quia intima humani animi no-

werat: neque enim tum cum hominibus, ſed cum Patre locutus eſt. *Reſpondens autem archiſynagogus*, quem tamen allocutus nemo erat: ſed ſimpliciter uſurpatur pro noſtro *dicens*. Luc. XIII. 14. Certe lividus ille ſynagogæ præfectus intima circumſtantium ſenſa non cognoſcebam. *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*. Pſ. CI. 24. Pſalmus hic inſcribitur *Oratio pauperis*. Dixit hic pauper, vel etiam totus populus hebraicus, ad Deum, dum adhuc viribus præditus in via eſt, vegetus adhuc & firmus: Nuntia mihi, quam paucos vitæ dies mihi deſignaveris.

2. Peccatum reſpondens. *Reſpondebit arrogantia Iſrael in facie ejus*. Oſ. V. 5. Rependetur Iſraeli, quod ſuperbia ejus meretur. *Peccata noſtra reſponderunt nobis*. Iſ. LIX. 12. Redditur nobis merces peccatis noſtris digna. Nimirum, ſi male egeris, *ſtatim in foribus peccatum aderit*, pœnam adducens pediſſequam. Gen. IV. 7. Infelix criminis Echo ſupplicium eſt.

Responsum. *In nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus*. II Cor. I. 9. Mortem certam expectabam: inſtantem vitæ finem animus mihi præſagiebat.

Resurgo. *Non reſurgent impii in judicio*. Pſ. I. 5. Præſentes in judicio ira Dei conſiſtere non patietur: corruent damnati, æternoque barathro haurientur.

Resurrectio. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos*. Hebr. XI. 35. Elias Sareptanæ mulieri III. Reg. XVII. 23., Sunamitidi Eliſeus IV. Reg. IV. 36., excitatum a morte filium reddidere, ſuæ in Deum fiduciæ præmium.

Retiaculum. *Cadent in retiaculo ejus* (pro, ſuo ipſorum) *peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam*. Pſ. CXL. ult. Nefarii homines ſuis ipſorum retibus involventur: ego vero ab illis ſeparatus, abſque noxa tranſibo.

Retraho. *A facie ejus*, Dei; *contremuit terra, moti ſunt cœli: ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Joel. II. 10. Dominus per tonitrua, quæ v. ſq. vox ejus appellantur, terram & nubes concutiet: & volumina pulveris denſiſſima, a Chaldæorum agminibus excitata, ſolem & lunam, ac ſtellas abſcondent.

Retribuo. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Pſ. CXV. 3. Ex hebraico ſententia eſt planiſſima: Quid reddam pro beneficiis ejus erga me? Cetera, quæ in hunc locum nonnulli commenti ſunt, pia ſunt, ſed commenta.

2. Reddere retribuentibus mala. *Si reddidi retribuentibus, mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Pſ. VII. 5. Cave, ne *mala* cum *retribuentibus* nectas, quaſi dicat vates, ſe nunquam injurias injuriis reddidiſſe. Hebraice legitur: *Si reddidi malum pacifico meo*, i. e. homini mecum pacate & amice degenti.

3. Extendere manum in retribuendo. *Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt* Deum: *extendit manum ſuam in retribuendo: contaminaverunt teſtamentum ejus.* Pſ. LIV. 20. ſq. Ex hebraico & chaldaico liquet, nihil horum de Deo dici, ſed hanc eſſe prophetæ mentem; impios, de quibus loquitur, nolle mutari, neque Deum timere, ſed manum etiam contra amicos extendere, & pacta ſua violare. Nulla, inquit, eſt apud iſtos converſio morum in melius, nullus Dei timor: in eos ipſos injurioſam manum extendunt, quibus retribuere amicitiæ jura par erat: quæ Deo teſte pacti ſunt, ceu vana & irrita aſpernantur.

4. *Retribuet gratiam, qui offert ſimilaginem.* Eccli. XXXV. 4. Deo pro beneficiis gratus eſt, qui ſacrificium offert. Græca in fonte ſic etiam exponere licebit: Qui Deo & hominibus gratum ſe præbet, æque Domino placet, ac ſi offerat ſacrificium.

Revelo. *Revela oculos meos.* Pſ. CXVIII. 18. Velum oculis detrahe; fac, ut videam.

2. Revelare aurem. Pro, clam admonere; veluti in aurem dicere. *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul.* I. Reg. IX. 15. pridie Saulis adventum ei prædixerat. Deus *Iſrael, revelaſti aurem ſervi tui, dicens: Domum ædificabo tibi.* II. Reg. VII. 27. Verba Davidis ſunt, qui Divino hoc promiſſo fretus, obſecrat: *Incipe ergo, & benedic domui ſervi tui, ut ſit in ſempiternum coram te.* ibid. v. 29. Dicitur & de homine: nam Jonathas ad Davidem inquit: *Revelabo aurem tuam.* I. Reg. XX. 13. ſecreto id tibi nunciabo.

Re-

Reverentia. *Cum magna reverentia diſponis nos*. Sap. XII. 18. cum magna attentione & moderatione. Quo ſenſu vox hæc repetitur, ibid. v. 20.

2. Pro pudore, probro. *Induantur confuſione, & reverentia*. Pſ. XXXIV. 26. Operiantur pudore, erubeſcere cogantur. *Reveremini in his, quæ procedunt de ore meo: non eſt enim bonum omnem reverentiam obſervare, & non omnia omnibus bene placent in fide. Erubeſcite* cet. Eccli. XLI. 19. ſqq. Erubeſcite ob ea, quæ jam dicturus ſum: neque enim erubeſcenda ſunt omnia, quæ cuique diſplicent: cum etiam illa, quæ bona fide & recte fiunt, a multis improbentur. Tum enumerat vera probra, quorum cauſſa erubeſcendum ſit. *Ad reverentiam vobis loquor*, i. e. ut vos pudeat, ut veſtros animos verecundia ſubeat. I. Cor. XV. 34. Phinees auſus eſt *ſtare in reverentia gentis*. græce, in converſione populi. Eccli. XLV. 29. cum populus Hebraicus per Madianitas averſus a Deo eſſet, & ad impudicitiæ probrum abductus, ipſe turpitudini reſtitit.

Revereor. Pro erubeſco. *Confundantur, & revereantur .... convertantur retrorſum, & revereantur*. Pſ. XXXIX. 15. Exemplum aliud ex Eccli. XLI. 19. modo propoſui in Voc. præcedente.

Reverso. *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reverſatur*. Oſ. VII. 8. Vehemens Iſraelis cupiditas & ardor colendi ſimulacra ab Oſea paulo ante appellatus erat *clibanus accenſus a coquente*. ibid. v. 4. *Applicuerunt quaſi clibanum cor ſuum*. v. 6. *Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus*. v. 7. In eadem ſimilitudine pergens addidit, totam gentem eſſe inſtar panis peruſti, de quo nihil bonæ ſpei ſuperſit. Nempe ut panis, qui ſub cinere coquendus nunquam verſatur, ſenſim ſine ſenſu induratur, & conſumitur: ita populus, æſtu hoc inſano perditus, paulatim amiſit omnia, ne ſentiens quidem. Quamobrem adjungitur: *Comederunt alieni* (hoſtes, dæmones) *robur ejus, & ipſe neſcivit*. ibid. v. 9.

Revertor. *Reverſuſque mirabiliter me crucias*. Job. X. 16. Iterum atque iterum miris me doloribus torques.

2. *Reverſi ſunt, ut eſſent abſque jugo*. Oſ. VII. 16. Chaldaica clare: Averſi ſunt, ut a lege deficerent.

3. *Quomodo recedet a me, cum revertatur?* Mich. II. 4. Contextum explanavi in Voc. *Parabola*.

Revoco. Pro recipio, reſtituo. Bar. I. 8. Accepit Joakim vaſa argentea, remiſſa e captivitate Babylonica, ut ea templo redderet.

Rex. *Ornaſti te regi unguento, & multiplicaſti pigmenta tua*. Iſ. LVII. 9. Aſſyrio, inquiunt aliqui. Subtilior eſt aliorum ſententia, & contextui de falſis diis loquenti aptior: Ornaſti te Molocho, quem regem adoptaſti. Præterquam enim, quod regis & Molochi nomen hebraice iiſdem literis conſtat, immanis religio ſimulacri hujus exprobrata eſt ibid. v. 5. Miſiſti, qui omnes tibi deos undique conveherent. ibid. v. 9. In multiplici hac (v. ſq.) numinum tuorum religione elaboras, nec deſiſtis: labor manuum tuarum neceſſaria ad uſum vitæ tibi comparavit: propterea me tibi rogandum non putas.

2. *Juda rex meus*. Pſ. LIX. 9. & CVII. 9. Ex tribu Juda regnabit ſemper poſteritas regia.

Rhamnus. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*. Pſ. LVII. 10. Adagialis loquendi modus. Citius, quam ſpinæ in rhamnum excreſcant, ira Divina eos, cetera valentes & optimo vitæ ſtatu fruentes, repente delebit.

Rhomphæa. *DEUS paravit eum ad rhomphæam*; i. e. ad grave ſupplicium. Eccl. XXVI. 27.

Robustus. *Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione, & omnes robuſtos fortitudine*. Job. XXXVI. 19. Noli in tua magnitudine te efferre, etiamſi liber ab omni calamitate vivas: eos quoque depone ſeu deprime, qui potentia ſua ad opprimendos tenuioris fortunæ homines abutuntur.

Rota. Iſraelitis e mari rubro egreſſis, *ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota*. Pſ. LXXVI. 19. Fulgura & fulmina diſcurrebant, terrorem & exitium Ægyptiis afferentia. Tonitruum ſonitus per totum cæli orbem ſurſum late ſpargebatur. Alii ſic: ira Dei tonantis uſque ad rotas Ægyptiacorum currum pertinge-

ſingebat, eoſque disjectos mergebat. Hieronymus Pradus in laborioſo opere in Viſionem Ezechiel. primam, Sect. X. de curru Dei, ſenſu poetico, & pſalmis uſitato, *facile, apte, & eleganter* intelligi poſſe judicat.

2. *Deus meus, pone illos ut rotam*. Pſ. LXXXII. 14. LXX. interpretantur trochum. Circumagantur hoſtes noſtri, ut a puero trochus.

3. Rota nativitatis. Lingua *inflammat rotam nativitatis noſtræ*, totum vitæ noſtræ curſum, *inflammata a gehenna*. Jac. III. 6.

4. Confringetur rota ſuper ciſternam. Eccl. XII. 6. in præclara illa ſenectutis hypotypoſi, de qua pluribus in Voc. *Tenebreſco*. Rota eſt caput, e cordis ciſterna ſpiritus vitales hauriens.

Ruben. Ita primum filiorum Lia gratulans appellavit. Gen. XXIX. 32. Hebraice eſt, videte filium.

Rubigo. *Væ civitati ſanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea eſt, & rubigo ejus non exivit de ea*. Ez. XXIV. 6. Rubiginem vocat ſordes ollæ, ſive eæ ſint puſtulæ jam ante cocturam in ſuperficie ipſius æris atque ad latera ollæ intus exortæ, ſive ſpuma & partes carnium aduſtæ, quæ firmiter æri hærent, ac difficillime avelluntur. Ideo præcipitur, ut *liquefiat æs ejus*. ibid. v. 11. & tamen *non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem*. v. 12. Imago Hieroſolymæ in ſceleribus obſtinatæ, & gentis Hebraicæ adeo pertinacis, ut ne quidem in obſidione & captivitate, per quas emendari & expurgari debuerat, eripi ſibi amorem criminum paſſa ſit.

Ruina. Vacillante jam, & in caſum vergente republica, Hebræi ad obvium quemque confugient, dicentes: *Princeps eſto noſter: ruina autem hæc ſub manu tua*. Iſ. III. 6. Impera nobis, & prono in lapſum regno manum admove, ne concidat.

2. *Implebit ruinas*. Pſ. CIX. 6. hebraice & græce, cadavera. Hoſtium terras cadaverum acervis implebit.

S.

Sabaoth. *Dominus Sabaoth*. Rom. IX. 29. ex Iſ. I. 9. ubi Vulgata habet: *Dominus exercituum*. Angelorum exercitus intellige.

Sabbatum. Hebraice quies. Singillatim ita dictus eſt dies ſeptimus: quia Deus ipſe *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat: & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*. Gen. II. 2. ſq. Hebræi ſcribunt *Schabbáth*; Græci *Sabbaton* aſpiratione amiſſa, a quibus mutuati vocabulum Romani *Sabbatum* ſine *h* ſcripſere: idque latinitatis ſtudioſiores nunc quoque obſervant.

2. Sabbatum pro tota hebdomade. *Jejunio bis in ſabbato*. Luc. XVIII. 12. bis intra quamque hebdomadem.

3. Prima, ſecunda, tertia ſabbati. Prima ſabbati eſt dies a ſabbato proximus, qui proinde in diem noſtrum dominicum incidit. Sic numerare perge, & habebis ſecunda ſabbati feriam noſtram ſecundam ſeu diem lunæ; quarta ſabbati feriam quartam ſeu diem Mercurii, & ſic de aliis.

4. Una ſabbati ſeu ſabbatorum. Eſt prima ſabbati, ſeu dies dominica Chriſtianorum.

5. Sabbatum ſecundoprimum. Luc. VI. 1. Eſt, *id, quod proxime poſt ſolemne paſchatis ſequitur*. Joſephus Scaliger, reconditæ eruditionis auctor, l. VI. de Emendat. Temporum c. 6. ubi pluribus id explicat.

6. Iter ſabbati. Mons Oliveti, *qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter*. Act. I. 12. Diſtantia erat paucorum ſtadiorum, quæ ambulando conficere Hebræis etiam ſabbato per legem liceret.

7. Sabbatum terræ. *Septimo autem anno ſabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis. Quæ ſponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam: annus enim requietionis terræ eſt*. Lev. XXV. 4. ſq. *Non erant eis ibi alimenta concluſis, quia ſabbata erant terræ*. I. Mach. VI. 49. ſeu, uti mox explicatur, *eſcæ - - - non erant in civitate, eo quod ſeptimus annus eſſet*. v. 53. Ab his terræ ſabbatis, lege præſcriptis, nominata ſunt triſtia illa ſabbata terræ ſanctæ, tempore captivitatis Babylonicæ: *cunctis enim diebus deſolationis terra Juda egit ſabbatum, uſque dum complerentur ſeptuaginta anni*, quibus inculta jacuit. II. Par. XXXVI. 21.

8. Otium ſabbatorum. *Eritque* Nabuchodonoſor

quaſi

quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis eorum, & ſabbatorum otium imitans: ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. Ez. XXI. 23. Obſidentibus jam Hieroſolymam Chaldæis, cæci Judæi tam vivebant ſecuri, quaſi nulla aut vana oracula de ipſorum interitu Nabuchodonoſor accepiſſet, neque inſtaret operi, ſed otioſus ceſſaret, inſtar Hebræorum diem ſabbati colentium: cum tamen ille, memor perfidiæ & perjurii hebraici, nihil non ageret, ut urbe potiretur.

Saccellus. *Nunquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa?* Mich. VI. 11. In ſacculis pondera cuſtodiebant, quibus tum res alias, tum pecunias penderent. Negat ergo, impunitatem a ſe datum iri fraudibus in commercio mutuo admiſſis.

Saccinus. *Nec operientur pallio ſaccino, ut mentiantur*. Zach. XIII. 4. Erat hoc prophetarum amiculum, aſperum, & pilis horridum, quo ſeveritatem & caducorum omnium contemptum profitebantur. Id falſi quoque prophetæ imitati ſunt, ut hæc triſtitia ſpecies imponeret populo, ipſoſque veros eſſe Dei nuncios perſuaderet. Sed timore ſupplicii, vel ab ipſis ſuis parentibus intentandi, (ibid. v. 3.) pallium ſibi minime debitum rejicient, & a ſacrilego mendacio abſtinebunt. *Non ſum propheta*, dicet eorum aliquis, *homo agricola ego ſum*, ſimplex & idiota. ibid. v. 5.

Sacculus. *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo*. Eccl. XVIII. ult. Locum hunc totum collegi in Voc. *Commiſſio*.

Saccus. Cilicium e pilis contextum, quo veteres in luctu indui ſolebant. *Dixit autem David ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner*. II. Reg. III. 31. *Operiantur ſaccis homines, & jumenta*. Jon. III. 8. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum*, mœroris cauſſas & indicia ademiſti, *& circumdediſti* (eleganter veſtem pro veſte) *me lætitia*. Pſ. XXIX. 12.

2. Vultus quaſi ſaccus. *Nequitia mulieris immutat faciem ejus: & obcæcat vultum ſuum tamquam urſus, & quaſi ſaccum oſtendit*. Eccl. XXV. 24. Vultum nubilum oſten-

oſtendit: trux eſt inſtar urſi: os ſquallidum, triſte, rugoſum tibi præbebit, ut cilicium videre tibi videaris.

Sacramentum. Chananæi, incolæ antiqui terræ promiſſæ, *filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & devoratores ſanguinis a medio ſacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum, ut dignam perciperent* (pro *perciperet*) *peregrinationem puerorum DEI, quæ tibi omnium carior eſt terra.* Sap. XII. 5. ſqq. Diis ſuis immolabant humanas victimas, ſuoſque etiam liberos: cæſis his hoſtiis, guſtabant earum carnem & ſanguinem e medio ſacrificio, quod tibi, o Deus, ſoli debetur. Crudeles hos parentes, liberorum omni ope carentium latrones, quorum erant auctores, per patres noſtros huc introductos delevisti: ut terra hæc ſancta, quam præ ceteris omnibus elegiſti perciperet ſeu acciperet incolas dignos, filios nimirum & ſervos tuos peregrinantes.

2. Pro myſterio. *Sacramentum regis*, arcanum ab rege tibi creditum, *abſcondere bonum eſt*. Tob. XII. 7. Somnium Nabuchodonoſoris, Dan. II. 18. & 47. dicitur ſacramentum, i. e. res arcana. *Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam*. Apoc. XVII. 7. Explanabo tibi, quæ ſecreta per has imagines portendantur.

Sæcularis, Sæculum. Vide *Secularis, Seculum*.

Sagena. *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo*. Hab. I. 16. Chaldæus victorias ſuas tribuet ſuæ potentiæ, ſuoque conſilio; non tibi, o Deus, cujus unius judicio ille tam potens nos fregit.

Sagitta. Pro fulgure aut fulmine. Pſ. LXXVI. 19. Verſiculum paulo ante propoſui in *Rota*.

Sagma. Græcum. Lev. XV. 9. Ephippium, ſeu equitantis ſella; ſtratum equi.

Sal. *Nos autem, memores ſalis, quod in palatio comedimus*, cet. I. Eſdr. IV. 14. Memores beneficentiæ regiæ, quæ in ipſo palatio alimenta nobis ſuppeditavit.

2. Pactum ſalis. Num. XVIII. 19. Pactum ſtabile, quod nunquam deſinat. Hebraiſmus, inde ortus, quod ſal corpora incorrupta ſervat.

Sal-

Salmana. *Omnes munitiones tuæ vaſtabuntur, ſicut vaſtatus eſt Salmana a domo ejus, qui judicavit Baal, in die prælii.* Oſ. X. 14. Sicuti Salmanam vaſtavit. (Judic. VIII. 10. ſqq.) everſor Baalis Gedeon cum ſuis ſociis: *ſic fecit vobis Bethel, a facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.* Oſ. X. 15. ſic vos depopulabuntur Aſſyrii, propter adoratos in Bethel vitulos, & admiſſa delicta.

Salomon. *Erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſſam Pacificus vocabitur.* I. Par. XXII. 9. Hebraicum Salomonis nomen *Schelomò* ducitur a *ſchalom*, quod pacem ſignificat.

Saltus. Propheta ad Deum: *Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu,* carentes paſtore in captivitate Babylonica, Mich. ult. 14. Tu provida & potenti virga tuum gregem in paſcua priſtina terræ ſanctæ reduc: cujus tractus aliquos fertiliſſimos Propheta eo loco nominat.

2. Saltus pro Sennacheribi exercitu. *Gloria ſaltus ejus, & carmeli ejus, ab anima uſque ad carnem conſumetur: & erit terrore profugus. Et reliquiæ ligni ſaltus ejus præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos.* Iſ. X. 18. ſq. Sicut incendio communi totus ſaltus conflagrat; & Carmelus mons, ſeu locus quicunque amœnus, arboribus ad ſolum uſque nudatur: ita Sennacheribi agmina nox una tollet, corporibus & animabus illata calamitate irreparabili. Rex ipſe fugiet, tam paucis comitantibus, ut numerari facile, & vel a puero ſcribi poſſint. Eadem metaphora redit Iſ. X. ult. ubi regis ejuſdem exercitus periturus dicitur: *ſubvertentur condenſa ſaltus ferro.*

3. Saltus pro Jeroſolyma. *Succendam ignem in ſaltu ejus: & devorabit omnia in circuitu ejus.* Jer. XXI. ult. Jeruſalem cum vicinia tam celeriter a Chaldæis diripietur, quam rapide ſaltus incendio exuritur.

4. Dormire in ſaltu. Viva imago Arabum in fugam averſorum. *In ſaltu ad veſperam dormietis, in ſemitis Dedanim. Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri: cum panibus occurrite fugienti.* Iſ. XXI. 13. ſq. Noctem, o fugitivi, ſine tecto, ſine tento-

rio in ſaltu agetis, paſſim in viis Dedaneis ad ſomnum proſtrati. At vos, incolæ auſtralis oræ, cladis hujus expertes, occurrite fugientibus & curſu exhauſtis: aquam & panem afferte.

5. Adeodatus filius Saltus. II. Reg. XXI. 19. I. Par. XX. 5. Intellige Elchanan filium Jaare ſive Jair: de quo plura in *Adeodatus*.

Salvo. *Homines, & jumenta ſalvabis Domine*. Pſ. XXXV. 7. utriſque nutrimentum, ſanitatem, & prolem impertiens.

2. *In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur*. Eccli. XXXVI. 11. Siquis hoſtium noſtras manus effugerit ſalvus, in tuas incidat, o Deus, & inflammata tua ira eum conſumat.

3. *Salvavit ſibi dextera ejus*. Pſ. XCVII. 1. Pronomina in dativo Hebræis perſæpe ſunt pleonaſtica; ſeu elegantiæ cauſſa, non neceſſitatis, verbo junguntur. Tale Ven. Bellarminus, hebraice doctiſſimus, pronomen *ſibi* hoc loco dici poſſe, optime judicat. Dextera ejus nobis ſalutem attulit. Auguſtinus, *ſibi*, inquit, id eſt, propter ſe tantum, gloriæ ſuæ cauſſa. Alii, quibus græca favent, *ſibi* pro *ſe* aut *eum* accipiunt: Salvavit ſe ipſe, Salvavit eum dextera ſua.

Salus. Deus *ſalutis*, Deus *ſalutaris noſter*; imo & Deus *ſalutarium noſtrorum*. (Pſ. LXVII. 20.) & Deus *ſalvos faciendi* (ibid. v. 21.) eodem omnia recidunt: Deus noſtræ ſalutis auctor.

2. Facere ſalutes. *Salutes non fecimus in terra*. Iſ. XXVI. 18. Plenam ſalutem conſecuti non ſumus. Fere quo ſenſu poſt inſignem Judæ Machabæi victoriam dicitur: *Et facta eſt ſalus magna in Iſrael in die illa*. I. Mach. IV. 25. Ea dies Iſraeli emolumentum ingens attulit. Et I. Mach. V. 62.: *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael*. i. e. qui ſalutem patriæ reddiderunt.

Samius. *Teſta de Samiis terræ*. Iſ. XLV. 9. Vas fictile, ſeu figlinum. In Samo enim inſula cœpit atque perfectum eſt artificium teſtæ.

Samuel. *Vocavitque* Anna mater *nomen ejus Samuel, eo quod a Domino poſtulaſſet eum*. I. Reg. I. 20. Alii inter-

pretantur, poſitus a Deo; alii, Poſtulatus a Deo: in hebraico utrumque difficultate ſua laborat; erui tamen utrumque poteſt. Mihi longe ſolidius videtur poſterius, tum ob Joſephi Hebræi auctoritatem, quæ in hoc genere graviſſima eſt; tum maxime, quia ipſe Divinus Codex ita dictum narrat, *eo quod a Domino poſtulaſſet eum* mater.

Sanabilis. Pro ſalubri, ſeu conducente ſanitati. *Sanabiles* (in græco fonte, ſalutiferas) *fecit nationes orbis terrarum*. Sap. I. 14. Deus rebus a ſe conditis ſalubritatem impertiit.

Sanctificatio. Pro ſanctuario, nimirum Dei tabernaculo, vel toto templo. *Sanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione ejus*. i. e. in ſanctuario. Pſ. XCV. 6. Antiochus *intravit in ſanctificationem cum ſuperbia*. i. e. in templum. I. Mach. I. 23. Merito ſic appellatum eſt Dei veri domicilium, quippe *Domus ſanctificationis noſtræ*. Iſ. LXIV. 11.

2. *Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus*. Pſ. CXIII. 2. Cum gens Hebraica ex Ægypto egrederetur, modo quodam peculiari conſecrata Deo eſt, ejuſque dominatui ſingulari & ſanctiſſimæ legi addicta.

3. Sanctificatio modica. Tempore captivitatis, inquit Dominus, *ero eis in ſanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt*. Ez. XI. 16. Cum ibi templo careant, ego eis pro templo ero; ſed id exiguo tempore: brevi enim liberos reducam in patriam, ubi templum redintegrent.

4. Pro falſorum numinum delubro, altari, aut luco. *Demolientur excelſa idoli, & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur*. Amos VII. 9. *In Bethel non adjicies ultra ut prophetis: quia ſanctificatio regis eſt, & domus regni eſt*. Amos VII. 13. Vetatur in Bethel vaticinari, quia ibi regium fanum vituli aurei, & ſedes regni eſt.

Sanctificium. Pro ſanctuario. Pſ. LXXVII. 69.

Sanctifico. Deus ad Moyſen: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, laventque veſtimenta ſua. Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai*. Ex. XIX. 10. ſq. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctifi-*

ctificentur, ne percutiat eos. ibid. v. 22. *Mittebat ad eos*, liberos ſuos, *Job*, *& ſanctificabat illos*. Job. I. 5. *Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo?* Zach. VII. 3. Chaldaica habent: abſtinere deliciis. *Sanctificare* igitur ſe vel alios, tum in abſtinentia cibi & voluptatum, tum in certis quibuſdam ritibus ſitum erat.

2. Deus ſanctificatus. *Hæc eſt aqua contradictionis, ubi jurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis*. Num. XX. 13. Sanctum ſe & fidelem oſtendit. *Scient, quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, & ſanctificatus fuero in ea*. Ez. XXVIII. 22. quando ſumptis de Sidone ſuppliciis ſanctitatem & juſtitiam meam demonſtrabo. *Pater noſter, qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum*. Matth. VI. 9. Nominis tui ſanctitas ab omnibus agnoſcatur & adoretur.

3. Sanctificare prælium. Fraudulenti & avari prophetæ, *ſiquis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eum prælium*. Mich. III. 5. Chaldaica: Siquis eis convivium pingue inſtruat, pacem vaticinantur: ſi nihil offeras, bellum parant. Nihil donantes tanquam bello perſequuntur, & quidem ceu bello ſancto; nimirum Dei cauſſam privatis ſuis odiis prætexentes. Dei quoque nomine dicitur: *Sanctificate ſuper eam bellum*. Jer. VI. 4. de quo mox §. 5.

4. Sanctificare puniendos. *Congrega eos, quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis*. Jer. XII. 3. Congrega eos ut muta pecora, quorum imbecillitas reſiſtere ferro non poteſt: præpara eos in conſtitutum diem ceu victimas Divinæ tuæ iræ devotas & conſecratas.

5. Sanctificare exercitum vindicem. *Ego mandavi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea*, dicit Dominus Iſ. XIII. 3. Vocavi Perſas & Medos, ad Babylonem capiendam a me delectos, & veluti conſecratos meæ vindictæ miniſtros, qui gloriæ Domini ſui militent, etſi ignari. *Clangite buccina in gentibus: ſanctificate ſuper eam*, Babylonem, *gentes ... Sanctificate contra eam gentes*. Jer. LI. 27. ſq. Enumerat etiam gentes, ſanctum Dei judicium

dicium executuras, *ut ponat terram Babylonis deſertam, & inhabitabilem*. ibid. v. 29. Eodem ſenſu ſcriptum eſt: *ſanctificabo ſuper te* (eligam contra te, & conſecrabo mihi) *interficientem virum, & arma ejus*. Jer. XXII. 7. Huc revocari poteſt illud de Hieroſolymæ ſupplicio: *Sanctificate ſuper eam bellum. Conſurgite, & aſcendamus in meridie. Væ nobis, quia declinavit dies; quia longiores factæ ſunt umbræ veſperi. Surgite, & aſcendamus in nocte, & diſſipemus domos ejus*. Jer. VI. 4. ſq. Evocantur Chaldæi, ut ſanctam juſtitiæ Divinæ ſententiam peragant, & Hieroſolymam exſcindant. Et vide in illis animorum ardorem! Conclamant, approperant: id unum ægre ferunt, quod non eodem die obruere urbem poſſunt. queruntur de appetentibus tenebris: ſed quod dies deficiens negat, nocturna profectione compenſant.

6. Sanctificare Levitas & ſacerdotes. *Sanctificabant Levitas, & Levitæ ſanctificabant filios Aaron*. II. Eſdr. XII. ult. Populus dedit partes ſanctas, i. e. decimas, Levitis: & Levitæ ex acceptis a ſe decimis decimas ſacerdotibus obtulere.

7. Sanctificari per antiphraſin, pro contaminari, corrumpi. Deut. XXII. 9. ubi clare Chaldæus: ne polluantur.

Sanctum, Sanctus. Cum in obliquis caſibus vocabulum hoc legitur, ut *ſancto, ſanctis*: ambiguitas oriri poteſt, de ſanctis hominibus, an de loco ſancto, ſanctiſve rebus dicatur. *Laudate Dominum in ſanctis ejus*. Pſ. CL. 1. non in ſanctis hominibus aut ſpiritibus; ſed in tabernaculo ſuo: ſic enim habent hebraica: Laudate Dominum in ſanctuario ſuo. *Mirabilis* Deus *in ſanctis ſuis*, i. e. in ſanctuario ſuo. Pſ. LXVII. ult. Deus *locutus eſt in ſancto ſuo*. Pſ. LIX. 8., & Pſ. CVII. 8. Promiſit in ſanctuario ſuo, in ſanctitate ſua, vel per ſanctitatem ſuam, ſe conſiliis & armis Davidicis propitium adfuturum. *Juravi in ſancto meo*. Pſ. LXXXVIII. 36. in ſanctuario meo, vel per meam ſanctitatem.

2. Sanctus ſanctorum. Dan. IX. 24. *Sanctus ſanctorum* eſt Meſſias. *Sanctum ſanctorum erit vobis thymiama*, i. e. ſanctiſſimum. Ex. XXX. 36. Hoſtia pro delicto *Sancta ſanctorum eſt*. i. e. ſanctiſſima. Lev. VII. 1.

3. *San-*

3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus* DEUS *exercituum*. Iſ. VI. 3. id eſt, ſanctiſſimus; ſanctitatis immenſæ, & captum omnem humanum longiſſime tranſcendentis.

4. *Sanctus* DEI, de Chriſto, Marc. I. 24., & Luc. IV. 34.

5. Sancti. Sic omnes Chriſtiani a Luca in Apoſtolorum Actis, & a Paulo in epiſtolis appellantur.

6. *Cum ſancto ſanctus eris*. Pſ. XVII. 26. Non de humana ſocietate, ſed de DEO intelligi locum hunc oportere, docui Voc. *Perverto*.

SANGUIS. Poſt prædictum adventum Divini Spiritus, olim a Meſſia mittendi, judicium incredulis minatur Propheta: *Dabo prodigia in cœlo, & in terra; ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Joel. II. 30. ſq. Judicii præludia, ut Chriſtus ipſe præmonuit, alia *in cœlo*, alia *in terra* apparebunt. In cœlo ſiderum etiam præcipuorum lux deficiet. In terra exhorreſcent, qui tum vivent, ad aſpectum copioſiſſimi ſanguinis, in tot præliis acerrimis, & per Antichriſti tyrannidem in tot ſuppliciis fundendi. Accedet ignis & fumus e creberrimis fulminibus, atque inde exortis incendiis.

2. Sanguis animæ. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta: quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum*. Eccli. XXXIII. 31. *In ſanguine animæ*; pretio nimirum, inquiunt aliqui, quod ſudore tuo & laboribus partum eſt. Alii ſervum intelligunt, quem in bello non ſine præſenti vitæ periculo ceperis. Sed fons græcus rem perſpicuam & certam facit: quia tanquam anima tua indigebis illo. Servum fidelem benevolentia fraterna proſequere, quia tibi ad uſus vitæ tam eſt neceſſarius, quam ſanguis & anima ad vitam.

3. Comedere in ſanguine. *Qui in ſanguine comeditis, nunquid terram hæreditate poſſidebitis?* Ez. XXXIII 25. Reprehenduntur, quod carne ſimul & ſanguine veſcerentur, prohibente lege: *Non comedetis cum ſanguine*. Lev. XIX. 26. Multo magis autem reprehenduntur ii, qui metaphorice ſanguinem comedebant:

ſuper ſanguinem innocentem vos comeditis; ut chaldaica habent. i. e. funditis innocentum ſanguinem, & ſpoliis occiſorum fruimini.

4. Sanguini tradere. Ad Idumæam, ex Eſau oriundam, Jacobi tamen poſteris vehementer infenſam: *Sanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur*. Ez. XXXV. 6. Vulneribus & cædi te deſtino, quia Hebræos tibi sanguine conjunctos odiſti, & inſectata es.

5. Sanguis ſanguinem tetigit. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Oſ. IV. 2. Non exprobratur per ſanguinem ſpeciatim homicidium: id enim inundaſſe hoc ipſo verſu dixerat: ſed metaphora eſt, alia aliis criminibus eſſe cumulata ſignificans.

6. Sanguis ſuper eum. Duobus modis accipitur. Primum formula eſt imprecantis: ut cum de Chriſto conclamant furioſi: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Matth. XXVII. 25. Deinde uſurpatur de eo, qui ſua unius culpa perit. Sic de Ephraim dictum eſt: *Sanguis ejus ſuper eum veniet*. Oſ. XII. ult. Exitii ſui cauſſa ipſe eſt: ſanguinis ſui effuſi rationem ſolus ipſe reddet. Hunc ſenſum & alibi reperias ex interpretum doctiſſimorum ſententia. Locus tamen hic Oſeæ de alieno quoque ſanguine intelligi aptiſſime poteſt: Pœnas dabit, quia ſanguinem innocentem fudit: de hoc enim ſcelere reus peragitur. Oſ. VI. 8. ſq.

7. *Mundabo ſanguinem eorum, quem non mundaveram*. Joel. III. ult. Extremo tempore orbis terrarum, dicit Dominus, convertam ad me Judæos, quorum patres Chriſti ſanguinem ſibi & nepotibus imprecati ſunt: immundam eo uſque gentem antiqua culpa ſanguinis liberabo.

8. *Sanguine judicium facere*. II. Mach. XIV. 18. Prælio decernere.

9. Auferre ſanguinem. *Auferam ſanguinem ejus de ore ejus, & abominationes ejus de medio dentium ejus: & relinquetur etiam ipſe* DEO *noſtro: & erit quaſi dux in Juda, & Accaron quaſi Jebuſæus*. Zach. IX. 7. Non comedet ultra Philiſthæus de carne & ſanguine hoſtiarum,

rum, quas inanibus ſimulacris adhuc immolavit: erit & ipſe mihi Deo ſuo fidelis, erit pars electi populi, & ſimilis ejus tribubus: ſicut veteres Jebuſæi meis annumerati ſunt Hieroſolymæ, & in vicinia: ſic Accaron, ceteræque Philiſthæorum ſatrapiæ ſacra mea amplectentur.

10. Sanguines, numero plurali. Ita more hebraico nonnunquam poſitum legitur, non aliam tamen vim habet, quam numero ſingulari. *Libera me de ſanguinibus*. i. e. ſanguine. Pſ. L. 16. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt*. Joann. I. 13. Filii Dei ſunt, non quia ſanguine Abrahæ geniti; nihil carni, nihil humanæ cupiditati, aut alienæ voluntati debent; ſed in baptiſmo fonte ex Deo nati ſunt. *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Jeruſalem in iniquitate*, Mich. III. 10. Qui montem ſanctum & urbem regiam ædificiis nobilibus exornatis, ſed ex pauperum ſanguine, quos re ſua familiari inique ſpoliaſtis.

11. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus*. Pſ. XV. 4. Chriſti vox eſt, ad quem pſalmus hic pertinet: Non jam peto, ut fideles Dei ſervi conveniant ad immolandas hoſtias, pro quarum ſanguine Patri deinceps meus quotidie offeretur.

Sanguino. Præter cetera, quorum pudere debet neminem, ait Siracides, erubeſcendum non eſſe *ſervo peſſimo latus ſanguinare*. Eccl. XLII. 5. Flagellis eum ſubjicere, etiam ad ſanguinem uſque.

Sanguisuga. In celebri Salomonis ænigmate de Sanguiſuga, Prov. XXX. 15. ſq. hæc leguntur: *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit: Sufficit. Infernus, & os vulvæ* (LXX. vertunt, amor mulieris) *& terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis vero nunquam dicit: Sufficit*. Sanguiſuga eſt cupiditas, cujus filia & miniſtræ, potentiæ nimirum hominis, ſemper urgent clamantes, Affer, affer. *Infernus* eſt ira, internecina, & niſi hoſtem in tumulo videat, non quieſcens. Amor libidinoſus ſatiari nequit. Terra ſabuloſa eſt avaritia, quidquid infuderis, hauriens, ac denuo ſitiens. Sed maxime ignis ambitionis, ſive ſuperbia. Quidam

interpretantur Corruptionem rerum pereuntium, Generationem novarum, Terram aqua fœcundatam & ſemper fertilem, ac denique Ignem omnia depaſcentem. Verum hæc naturalia ſunt: Salomon toto hoc libro moralia perſequitur.

Sanitas. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*. Iſ. I. 6. Chaldaice perquam dilucide: A plebe uſque ad principes. Proponitur a vate regio totum reipublicæ corpus, cujus omnia membra, ab imo ad ſummum, variorum ſcelerum morbis infectum erat. De Meſſia eo loco nihil: De Chriſto igitur patiente ac moriente verba hæc vera ſunt, quatenus verba ſunt, non quatenus verba Prophetæ ſunt: id eſt, ſi hæc de Chriſto pronuncias, aut ejus imagini aſcribis, res vera eſt; ſi hunc Prophetæ locum nominas, in teſte peccas; & quod ille de impio populo ſcripſit, ſcripſiſſe de Sancto ſanctorum dicis; quodque ille de peccatorum lue affirmat, tu eum affirmare dicis de peccatorum remedio, de ſalutiferis Chriſti doloribus.

Sapientia. Non multis manifeſta eſſe Sapientia ſecundum nomen ſuum dicitur Eccl. VI. 23. Quodnam ſit hoc nomen, diſſerui in ipſo Vocabulo *Nomen*, §. 5.

Sarai. *Dixit quoque DEUS ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram*. Gen. XVII. 15. Hebraicum *Sarai*, domina mea; *Sara*, domina; a maſculino *Sar*, princeps, dominus: pro quo Arabes dicunt *Sir: unde Galli ſuum* Sire *acceperunt*, ait Cornelius a Lapide in I. Cor. XVI. 22.

Sarabala. Dan. III. 94. Veſtes interiores, femora tegentes.

Sarepta. Abd. v. 20. Gallia. ita ipſi Judæi teſtantur. Vaticinatur de Meſſiæ Apoſtolis, eos magiſtri doctrinam per totum orbem prolaturos.

Satan, Satanas. Hebraicum, adverſarius. Male ſcribitur per *th*, contra hebraicam originem, & Græcorum etiam conſuetudinem. Salomon de ſuo tempore inquit: *Non eſt ſatan, neque occurſus malus*. III. Reg. V. 4. Nullus eſt adverſarius, nullum hoſtilis incurſionis periculum. David ad ſororis ſuæ Sarujæ (non Sarviæ) filios: *Cur efficimini mihi hodie in ſatan?*

II.

II. Reg. XIX. 22. Cur mihi adverſamini? cur injurias Semei, quas ego diſſimulo, ferro perſequi vos audetis? Chriſtus ad Petrum, crucis myſterio repugnantem: *Vade poſt me, ſatana*. Matth. XVI. 23. quod Divinis decretis obluctaretur. Plerumque tamen hoc nomine deſignatur graviſſimus ille hominum adverſarius, Serpens antiquus, *qui eſt diabolus & ſatanas*. Apoc. XX. 2.

SATIS. Pro valde. *Exulta ſatis, filia Sion*. Zach. IX. 9. Exulta magnopere, majorem in modum; more hebraico. quem & in chaldaico fonte reperio Dan. V. 9. Rex *ſatis conturbatus eſt*. i. e. admodum.

2. Satis agere. *Satis agebat Alcimus pro principatu ſacerdotii ſui*. I. Mach. VII. 21. Pro ſatagebat.

SCABELLUM. *Adorate ſcabellum pedum ejus: quoniam ſanctum eſt*. Pſ. XCVIII. 5. Procumbite coram arca, in qua Dominus inter Cherubinos habitat, *ſedet ſuper Cherubim*. ibid. v. 1. Allegorice, de humana Chriſti natura exponunt Auguſtinus, Hieronymus, Caſſiodorus.

SCANDALUM. *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*. Pſ. CXXXIX. 6. hebraice, laqueos, pedicas.

SCENOFACTORIUS. Apoſtolus Paulus erat *ſcenofactoriæ artis*. Act. XVIII. 3. Ex eorum opificum genere, qui tabernacula conficiebant.

SCENOPEGIA. *Die feſtus Judæorum, Scenopegia*. Joann. VII. 2. Feſtum Tabernaculorum. Agebantur hi dies ſub tentoriis frondeis, ob gratam beneficiorum memoriam, quibus peregrinantem populum per annos quadraginta DEUS optimus cumularat.

SCEPTRUM. *Sed & fratres tuos de tribu Levi, & ſceptrum patris tui ſume tecum*. Num. XVIII. 2. Cognatos, ex eodem familiæ tuæ ramo editos; ejuſdem, ut appellant, lineæ genealogicæ.

SCHINUS. Senum alter, qui Suſannam accuſabant, adulterium ab ea commiſſum eſſe dicebat *ſub ſchino*. Cui Daniel: *Angelus DEI, accepta ſententia ab eo: ſcindet te] medium*. Alter reſpondit: *Sub prino*. Daniel autem: *Recte mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut ſecet te medium, & interficiat vos*. Dan. XIII. 54. ſqq. Schinus & prinus greca ſunt; nobis

nobis lentiſcus atque ilex. ad quarum arborum nomina alluditur in interpretatione græca: nam *ſchizo* Græcis eſt ſcindo, *prio* ſeco. Quaſi dicas latine, inquit D. Hieronymus, a lentiſco, In lentem te comminuat angelus, vel lente pereas; ab ilice vero, Ilico pereas.

Scientia. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata.* (hebraice, excelſa, elevata) *eſt, & non potero ad eam.* Pſ. CXXXVIII. 6. *Ex me*, i. e. præ me, ſuper me. Admirabilior eſt tui cognitio, quam ut eam aſſequar: difficilis & ſublimis eſt, nec unquam comprehendere eam plene potero.

2. *DEUS ſcientiarum*. ita Dominus nuncupatur in Annæ cantico, I. Reg. II. 3. Chaldaice, omnia novit. Deus ſcientiam ſeu cognitionem intimam habet eorum omnium, quæ a nobis aguntur, & intra nos latent. De ſcientiis humanis & artibus qui hæc exponit, non cum Anna prophetide, ſed de ſuo loquitur.

3. Falſi nominis ſcientia. I. Tim. VI. 20. Scientia falſo ita dicta, & ſuo nomine indigna; ſcientia non ſcientia, quia diſciplina fallax.

Scindo. *Fluvios ſcindes terræ.* Hab. III. 9. Vulgo explicant de Jordane & fluentis Erythræi diviſis. Sed elegantior Hebraiſmus hunc ſenſum poſcit: Terra ſciſſa protulit copioſe & conſtanter fluvios aquarum, eo nimirum tempore, quo per deſerta populus electus peregrinabatur. Eadem phraſis eſt, hebraice ac latine, Iſ. XXXV. 6. *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.* i. e. per ſciſſam terram, antea aridam, eruperunt. Intellige gratiarum fontes, Meſſiæ dono exortos. Idem loquendi modus in hebraico ſe offert Job. XXVIII. 10. ubi Vulgata habet: *In petris rivos excidit.* i. e. ſcidit Deus petras, & rivos elicuit uberes. uberes, inquam: nam & hic apud Jobum, ut Hab. l. d. verbum hebraicum eſt in conjugationes Piél, quæ ſenſum vocabuli exauget.

Sciniphes. ſeu ciniphes. culices ſunt perexigui, & inter decem Ægypti plagas recenſentur in Vulgata Ex. VIII. 16. ſqq. & Pſ. CIV. 31. Utroque tamen loco vox hebraica proprie ſignificat pediculos.

Scintilla. *Quam deſiderabilia omnia opera ejus, & tan-*

tanquam ſcintilla, quæ eſt conſiderare! Eccli. XLII. 23. Opera Dei, quæ videre eſt, quæ conſiderare licet, etſi mira ſuavitate animum ſapientis afficiunt, tamen inſtar ſcintillæ ſunt, quippe tenuiſſima particula ex immenſo illo Divinæ Naturæ incendio [, cui *neque adjectum eſt, neque minuitur* (ibid. v. 21. ſq.) cui nihil addi, nihil detrahi poteſt.

2. Scintilla pro ſobole. Thecuitis ad Davidem ait: *Quærunt extinguere ſcintillam meam.* II. Reg. XIV. 7. cum e duobus filiis alterum amiſerim, nunc etiam alterum ad mortem depoſcunt. Venuſtiſſima eſt metaphora, quam vir ampliſſimæ eruditionis Martinus Delrius, in Adagialibus Sacris, P. I. Adag. 192. hypocoriſmum appellat, i. e. blandam quandam diminutionem: *quaſi dicat: Veſtri regum filii, lucernæ ſunt; meus, pauperculæ viduæ, ſcintillula duntaxat.* Ita Delrius. De *Lucerna* dixi ſuo loco, §. 2.

Scio. *Scientes ſcietis.* Jer. XLII. 19. & 22. Dilucide perſpicietis, penitus intelligetis.

Scopo. *Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Pſ. LXXVI. 7. Hebraice, ut hodie quidem legitur: ſcrutatus eſt ſpiritus meus. Sed jam ſuo tempore Hieronymus primam perſonam prætulit: ſcrutabar ſpiritum meum. epiſt. 135. quæ eſt ad Suniam & Fretelam. ille metaphoram a ſarculo ducit, tanquam ſi ſit Sarriebam; plerique a ſcopis, tanquam Verrebam; aliqui a ſcobina, tanquam Scobebam, abradebam lima. Senſu omnes conveniunt: inquirebat animus meus, excutiebam ipſe me, perſpicere intima mea conabar.

Scriba. Deus *ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum.* Eccl. X. 5. ſuper perſonam doctoris. Honorabilem efficiet doctorem.

Scribo. Jaſon magnam argenti vim promittit Antiocho regi, ſi ſibi liceret, præter alia quædam, *eos, qui in Jeroſolymis erant, Antiochenos ſcribere.* II. Mach. IV. 9. Petebat liberam poteſtatem, jus civitatis Antiochenæ, quibus vellet, Hieroſolymis largiendi, vel potius vendendi. Erat enim tum Antiochia non Syriæ modo, ſed Orientis caput: nec minus nobilis erat in Aſia, qui civis Antiochenus eſſet; quam in Europa, qui Romanus.

2. Scri-

2. Scribi in terra. *Recedentes a te, in terra ſcribentur.* Jer. XVII. 13. illorum nomen ſcribetur in pulvere, a quolibet vento obliterandum, & ex hominum oculis memoriaque tollendum. Levitati huic & futiliſſimæ inconſtantiæ opponit fontem gloriæ perennem, *venam aquarum viventium Dominum.* (ibid.) qui & verſu proxime priore ab eo dictus erat *Solium gloriæ altitudinis a principio; locus ſanctificationis noſtræ;* thronus gloriæ noſtræ ſublimiſſimæ & primæ, verum regnum noſtrum; ſedes ſtabilis univerſæ noſtræ ſanctimoniæ, ipſumque noſtrum vivum & intimum ſanctuarium.

3. Scribere leges. *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum - - - Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ ſunt.* Oſ. VIII. 11. ſq. Scribam contra eum ſententiam, qua condemnetur, & addicatur omnibus pœnis in lege a me denunciatis, ſed ab ipſo irriſis, quaſi ad ſe non pertinentibus.

Scriptura. *Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum; horum, qui fuerunt in ea.* Pſ. LXXXVI. 6. Tanta erit copia eorum, qui veræ Eccleſiæ ſe aggregabunt, ut ſolus Deus tot principes & populos enumerare, & infinitæ ſuæ ſcientiæ veluti libro complecti omnes poſſit.

Scrutor. *Expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabuntur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* I. Mach. III. 48. Quidam codd. græci iis verbis narrant, ut ſenſus fiat, homines profanos ubique in ſacros Hebræorum libros inquiſiiſſe, ut in iis deorum ſuorum imagines depingerent. Sed ad mentem Vulgatæ, quam alii codd. græci ſtabiliunt, ſententia hæc eſt: Trahebant ea, quæ in Divinis Scripturis legebant, ad ſuas numinum religiones. Sic ex Jehova Jovem, ex Noacho Jacchum ſive Bacchum, ex generali diluvio Ogygium, ſeu Deucalioneum, ex Eliæ curru quadrigas Phœbi ſibi effinxerunt, & Moſaicos ſacrificiorum ritus in rebus non paucis imitati ſunt.

2. *Scrutans murum, & magnificus ſuper montem.* Iſ. XXII. 5. Ipſe Deus eligit, & velut oſtendit hoſtibus, imbecilliorem murorum partem, ubi facillime perrumpantur: nec jam rationem ducit glorioſiſſimi

quon-

quondam templi ſui, in monte Sion una cum urbe perituri.

Scutulatus. Gemmis, purpuræ, byſſo, & ſerico addun- tur & *ſcutulata*, i. e. veſtes acu pictæ, Ez. XXVII. 16.

Scutum. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*. Thren. III. 65. Angor a te immiſſus corda eorum operiet & opprimet. Tu eos (v. ſq.) inſectaberis, *& conteres eos ſub cœlis Domine*. hebraice, de ſub cœlis. i. e. tolles eos de medio.

Secularis. Tabernaculum legis Moſaicæ appellatur a Paulo *Sanctum ſeculare*, i. e. ſanctuarium temporarium, ad certa tantum ſecula duraturum. Hebr. IX. 1. *Gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto JESU ante tempora ſecularia*. II. Tim. I. 9. quæ ante initium temporis, ante omnia ſecula, ab omni retro æternitate, propter Chriſti merita nobis a Patre decreta eſt.

Seculum. *In ſeculum miſericordia ejus*. Judith. XIII. 21. & Pſ. CV. 1. ac CVI. 1. in perpetuum. *Benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi ----- Laudabo nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi*. Pſ. CXLIV. 1. ſq. ſemper, per omnem vitam meam. *Dominus regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi*. Pſ. IX. 37. D. Hieronymus, verbum e verbo exprimens, ita vertit: *Dominus rex ſeculi & æternitatis*. Neque enim in æternitatem tantum extenditur Dei regnum, ut præmia ſuppliciaque perpetua cuique debita obveniant: ſed huic etiam mortali vitæ idem Dominus imperat, abſque cujus nutu ne paſſer quidem, aut capitis noſtri capillus perit.

2. Mortuus ſeculi. Inimicus meus *collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi*. Pſ. CXLII. 3. Habitare me coegit in tenebris, & latere eodem modo, quo homines pridem mortui latent.

Secunda. *Vox clamoris a porta piſcium, & ululatus a Secunda*. Soph. I. 10. Porta piſcium reſpiciebat mare, unde piſces inferebantur, ei reſpondebat in muro altero ſecunda, nimirum porta. Clamorem & ululatum expreſſit immanis terror, cum impenderet cervicibus *contritio magna a collibus*, (ibid.) a Chaldæo milite jam occupatis.

Secundum. Latine nonnunquam reddas per Quot, tot; Quantus, tantus. *Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui, Juda: & ſecundum numerum viarum Jeruſalem poſuiſti aras confuſionis, aras ad libandum Baalim.* Jer. XI. 13. Quot erant urbes, tot dii; quot viæ, tot aræ pudendæ, & in earum quavis ſimulacrum Baal, cui libabatur. *Secundum multitudinem eorum ſic peccaverunt mihi.* Oſ. IV. 7. Quanta incolarum, tanta ſceleſtorum copia fuit: quotquot erant, peccaverunt. *Secundum gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus.* I. Mach. I. 42. Quanta prius fuerat Hieroſolymæ gloria, tanta tunc ignominia fuit.

2. *Non eſt vir illius ſecundum filios hominum.* Eccl. XXXVI. 25. De muliere bona loquens Siracides, ait, tam felicem eſſe illius maritum, ut nemo hominum ſit eo beatior.

3. Secundum tempus & diem. De inſtaurato templo ſic narratur: *Secundum tempus, & ſecundum diem,* eodem menſe, eademque menſis die, *in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipſa renovatum eſt.* I. Mach. IV. 54. videlicet die 25. menſis noni, qui dicebatur Caslevi. ibid. v. 52. & I. Mach. I. 57. & 62.

Secundus. *Unus eſt, & ſecundum non habet.* Eccle. IV. 8. hærede caret.

Securus. Hoc nomen, aliaque ei addita, I. Par. IV. 22. non eſt appellativum, ſed proprium; hebraice *Joaſch*, noſtro more Joas.

Sed. Pro imo. Triſtitia ſancta *quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam!* II. Cor. VII. 11. Triſtitia hæc excitavit in vobis inſignem ſollicitudinem, imo præmunitionem animi, quin etiam indignationem contra peccatum, ſed & timorem ac deſiderium, imo æmulationem (græce in fonte *zelum*) imo vindictam, quam de veſtra ipſi culpa ſumpſiſtis.

Sedeo. Jacob moribundus, dum filiis bene precatur, Joſepho dicit: *Sedit in forti arcus ejus.* Gen. XLIX. 24. Arcus ejus fortis & inſuperabilis permanſit, & victoriam reportavit.

2. Se-

2. Sedere ſuper Cherubim. *Tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim*. I. Reg. IV. 4. Sedere Hebræis, ut conſidere Latinis, ſignificat etiam commorari & habitare. Cum ergo in Scripturis de Deo dicitur, quod ſæpius fit, ſedere eum ſuper Cherubim, intelligitur, habitare eum in arca fœderis, & nominatim ſupra ejus *propitiatorium*, unde oracula edebantur. Nam etſi Deus in cœlo ſolium tenet omnibus Cherubinis excelſius, tamen hic loquendi modus arcam potius indicat, quam ex utraque parte effigies Cherubinorum tegebant.

3. Sederunt ſedes. *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini. Quia illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David*. Pſ. CXXI. 4. ſq. Ideo copia hominum incredibilis ex omnibus tribubus Hieroſolymam aſcendit, ut & veræ religionis teſtimonium omnes ederent, Deum in templo ſuo laudantes; & plurimi judiciis regni publicis intereſſent: quia ibi collocatæ ſunt ſedes judicum, de cauſſis totius gentis omnibus diſceptantium, & jus dicentium. Myſtice, de cæleſti Hieroſolyma, congruenter illi Servatoris promiſſo: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth. XIX. 28

4. Brachium ſedens. Cum ceciderit Aſſur, quem ſub cedri imagine proponit Ezechiel, *conſolata ſunt in terra infima*, in ſepulcro, *omnia ligna voluptatis egregia, atque præclara in Libano, univerſa quæ irrigabantur aquis. Nam & ipſi cum eo deſcendent in infernum ad interfectos gladio: & brachium uniuſcujuſque ſedebit ſub umbraculo ejus in medio nationum*. Ez. XXXI. 16. ſq. Arbores hæ Libani, amœnæ & ſpecioſæ, ſunt principes vicini, qui videntes ruinam Aſſyrii, conſolantur ipſi ſe, & æquiore animo ſuum quiſque caſum ferunt; vel, ut LXX. habent, conſolantur eum, Aſſyrium tam miſere proſtratum: dejecti enim pariter omnes jacebant: & robur eorum, qui regis Aſſyrii patrocinio fruebantur, aut eum in bellis adjuverant, communi gentium ruina involutum jacebit.

5. *Surgite poſtquam ſederitis*. Pſ. CXXVI. 2. Locum totum pete ex Voc. *Surgo*.

Segor. Hebraice parva, modica. Dixerat enim Loth ad Angelos de hac urbe: *Eſt civitas hæc juxta, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea: nunquid non modica eſt, & vivet anima mea?* Gen. XIX. 20. *Idcirco vocatum eſt nomen urbis illius Segor*. Ibid. v. 22.

Seir. Mons & regio Seir in Divina Pagina ſæpe memorantur. Erat hæc Idumææ pars, ita dicta ab Eſau piloſo: *Seir* enim in hebraico piloſum ſignificat.

Selmon. *Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis: Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos? mons, in quo beneplacitum eſt DEO habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Pſ.LXVII.15. ſqq. Dum omnipotens cœli Dominus genti ſuæ reges eligit ac dividit, fulgebunt Iſraelitæ inſtar montis Selmon, cujus vertex nivibus ſemper ſplendet, cetera ad paſtum & rem pecuariam fertiliſſima ſunt. Mons altiſſimus (id enim hebraico more eſt *mons Dei*) idemque pinguiſſimus: nam quid ubertatem parem alibi incaſſum quæritis? Mons a Deo electus, in quo nunquam non habitet. Eccleſia, quæ modo columba dicta fuerat propter ſplendorem puriſſimum, nunc ob gratiæ ac unctionis ubertatem monti Selmoni comparatur.

Semel. *Semel locutus eſt DEUS, duo hæc audivi, quia poteſtas DEI eſt, & tibi Domine miſericordia*. Pſ.LXI.12. ſq. Semel Deus me allocutus eſt, & hæc duo mihi patefecit, potentiam ſuam, & miſericordiam. Nam & homo, inquit in hunc locum D. Baſilius, uno ſermone plura expromere apud me poteſt.

Semen. Opes ex frumento Ægypti collectas Iſaias ornatiſſime appellat *ſemen Nili*, XXIII. 3. ſolo enim irrigante Nilo fruges in Ægypto naſcuntur, quæ idcirco ſemen Nili recte nuncupari poſſunt.

Semino. *Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bovis & aſini*. Iſ. XXXII. ult. Felices, qui in ſolo ubique irriguo ſemen ſpargunt, ſuum pecus aratro jungentes, & ex hoc ipſo ſuo labore pabulum ei præbentes. Nobiliore ſenſu, allegorice, de Meſſiæ Apoſtolis, Evangelium ubique ferentibus, ubicunque animi erant idonei; & Judæos legis jugo aſſuetos cum

genti-

gentibus ejus inſciis conjungere feliciſſime aggreſſis, quod alioqui per legem non erat integrum facere.

2. Seminabitur ex nomine. Nahum Propheta ab Juda ſermonem repente avertit ad hoſtem Sennacherib: *Non ſeminabitur ex nomine tuo amplius*. Nah. I. 14. non quaſi abſque omni prole deceſſerit, cum ſuperſtitem ei fuiſſe Aſarhaddonem filium, & poſt eum regnaſſe, ex IV. Reg. XIX. ult. ſciamus: ſed quia poſt id temporis, quo 185000. una clade amiſit, nullos jam liberos ſuſcepturus erat: ſtatim enim ab illa fuga, in ipſo dei ſui Neſroch templo, a majoribus natu filiis interemptus eſt. *de* (i. e. in) *domo dei tui interficiam* te: *ſculptile, & conflatile, ponam ſepulcrum tuum, quia inhonoratus es*. Nah. l. d. occiſus in æde dei tui, jacebis inhumatus, non aliud habens ſepulcrum, quam ſimulacra deorum, quæ cadaver tuum circumdabunt, ſupremo funeris honore fraudatum.

Semita. *Tranſibit in pace*, proſpere: *ſemita in pedibus ejus non apparebit*. Iſ. XLI. 3. Tam celeriter Abraham, & ejus antitypus Chriſtus, regna pervadent, ea ſibi ſubjicientes per ſe ac ſuos ſucceſſores, ut ſemitam aut veſtigium non relinquant. Alii de Hebræis exponunt, Abrahæ nepotibus, qui per deſerta annis 40. tam integri ambularunt, ut nullum itineris tam longi indicium, nullum doloris laboriſve ſignum in pedibus appareret.

2. Semitæ ſeculi. Hebræi, jam diis ſervientes, *fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis, in ſemitis ſeculi, ut ambularent per eas in itinere non trito*. Jer. XVIII. 15. Legis Divinæ ſemitas, per tot ſecula ſuas, nunc deſerunt, & vias novas religionum novarum ſibi aperiunt.

Senecta. *Uſque in ſenectam & ſenium: DEUS ne derelinquas me*. Pſ. LXX. 18. hebraice: uſque ad ſenectutem & canos ultimos. Vides gradationem, & majorem ſenſim virium imminutionem: ne inanem ſynonymiam putes, quæ ab omni ſcriptore ſano & gravi, ſed maxime a Divinis Libris, longiſſime abeſt.

Sennaar. Zach. V. ult. Pro Babylone: ut aperte tranſtulerunt LXX. Contextum dilucidavi in Voc. *Amphora*.

E e ... Sen-

Drexelius in Triſmegiſto L. I. c. 7. §. 4. & c. 9. §. 3. Utrivis igitur ſenſui ſua probabilitas conſtat, excluſa tantum ſive ignorantia, ſive audacia eorum, qui ſcribunt: *Septies in die cadet juſtus*: illud enim *in die* ab hebraico fonte, a græcis chaldaicisque codd. & a Vulgata abeſt, in depravatis dumtaxat aliquot latinis aſſutum. Fœdum hoc additamentum ſententiam efficit omnino falſam, moribus vehementer noxiam, & in vitæ Chriſtianæ curſu non parum periculoſam.

Septimana. *Venerunt Jeroſolymam die ſolemni ſeptimanarum inſtante*. II. Mach. XII. 31. Sic dies Pentecoſtes dicebatur, quia poſt ſeptem hebdomades a Paſchate elapſas, ſeu poſt dies novem & quadraginta, ipſo quinquageſimo die agebatur.

Septimus. *Dimittemus annum ſeptimum, & exactionem univerſæ manus*. II. Eſdr. X. 31. Anno ſeptimo ſeu ſabbatico terram relinquemus incultam, ſponte naſcentia pauperibus concedentes: eodemque anno debitum nullum ab ullius hominis manu exigemus.

2. Tribulatio ſeptima. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum*. Job. V. 19. Ex ærumnis omnibus te liberabit: quæcunque ingruant mala, non tibi oberunt.

Septuagies. Ignoſce fratri, reſpondet Chriſtus Petro, *non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Matth. XVIII. 22. Da veniam toties, quoties te læſerit. Numerus certus pro incerto. Obſerva, latinum hunc locum duos ſenſus recipere, ſi numerum ſpectes: nam & ſignificare poteſt ſeptem ultra ſeptuaginta, & ſepties ſeptuaginta, quod illo eſt longiſſime amplius. Ambiguitatem tollunt græca, quæ habent: uſque ſeptuagies ſeptem. id autem efficit 490. Eadem ſunt in græco verba Lamechi: *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero ſeptuagies ſepties*. Gen. IV. 24. Caini latro pœnas graves daturus eſt; graviſſimas autem, qui Lamechum occiderit.

Septuplum. Enumeratis diverſis malis, addit Siracides: *& ſuper peccatores ſeptuplum*. Eccli. XL. 8. Prement quidem hæc mala etiam alios, ſed longe maxime ſceleratos. Adde Lamechi vocem, de qua in Voc. præcedente.

Sepultura. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue*. Tob. IV. 18. Explicari ſolet de ritu funebri, quo cibus ac potus afferebatur ad ſepulcra, & egentibus diſtribuebatur. Ludibrio ſe expoſuit interpres ille ex hebraizantium numero, qui cum in operis ſui præfatione LXX. viris & Hieronymo ſe anteponat, hoc loco ſepulcrum juſtorum eſſe dicit os pauperum.

2. *Dabit impios pro ſepultura*. Iſ. LIII. 9. Habes verſiculum totum Voc. *Dives*.

3. Sepultura aſini. De rege Joakim: *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & projectus extra portas Jeruſalem*. Jer. XXII. 19. Projicietur inſepultus, inſtar jumenti, ab avibus & feris lacerandi. Ita monet, Hieronymi veſtigia legens, Franciſcus Ruizius in Regulis intellig. Scripturas Sacras, reg. 152.

Seraphim. Spiritus nobiliſſimi, qui Divino ſolio aſtantes leguntur. Iſ. VI. 2. & 6. Nomen habent ab urendo, tanquam ignei. *Seraphim* numerus eſt pluralis; ſingularis eſſet *Seráph*, qui tamen de geniis his cæleſtibus nec in hebraico fonte, nec in Latinis codd. uſpiam legitur.

Sermo. *Non eſt ſermo in lingua mea*: (annectendum hoc verſiculo ſequenti, ut oſtendunt hebraica.) *ecce Domine, tu cognoviſti omnia, noviſſima, & antiqua*. Pſ. CXXXVIII. 4. ſq. Nondum lingua ſermonem protulit, & ecce tu eum jam omnem noſti: tu prima & ultima, tu præterita & futura ſcis.

2. Sermo ſiccitatis. Jer. XIV. 1. Vaticinium de ſterilitate ac fame ſuperventura.

Serotinus. Pluvia ſerotina, imber ſerotinus. Deut. XI. 14., Amos VII. 1., & alibi. Intellige de pluviis extremo Aprili cadentibus, qui, cum læti ubique agri & campi ſunt, fruges ad ultimam maturitatem perducit. Ubi apud nos dicitur *temporaneum, & ſerotinum*, Jac. V. 7., græca docent, accipiendum id de pluvia eſſe.

Servus. Præclarum Meſſiæ elogium ab his verbis inchoatur: *Ecce ſervus meus*. Iſ. XLII. 1. Totum illum locum de Chriſto eſſe, liquet ex Matth. XII. 18. ſqq. De Chriſto item ſcriptum eſt illud: *Servus meus es tu Iſrael*, & quæ ſequuntur, Iſ. XLIX. 3. ſqq. non ſo-

ſum enim a Patribus, ſed a Paulo ipſo & Barnaba. Act. XIII. 47. ea Chriſto Domino tribuuntur.

Sesach. Legitur Seſach Jer. XXV. 26. & LI. 41. Chaldaice utrobique eſt *Babel*. Urbs, an dea fuerit, an genus quoddam anagrammatis in vocabulo inſit, non liquet. ſpeciem anagrammatis qui ſuſpicantur, literam ſecundam & duodecimam alphabeti hebraici ordinarii mutatas autumant in ſecundam ac duodecimam literam ejuſdem alphabeti retrogradi: ut enim *Beth* (*b*) unam literam, *Lamed* (*l*) autem undecim literas ante ſe habet apud Hebræos: ita *Schin* (*ſch* ſeu *s*) unam tantum, *Caph* (*ch*) undecim literas poſt ſe habet.

Sessio. *Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide: ego ſum pſalmus eorum.* Thren. III. 63. Reſpice Domine: ſive ſedeant, ſive ſurgant, i. e. omni tempore, fabula eorum ſum: ſemper per eorum ora traducor. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum* (hebraice, accubationem meam) *inveſtigaſti*. Pſ. CXXXVIII. 2. ſq. Tu ſtatum meum omnem, omnes meas viciſſitudines, requiem & laborem noſti: tu ipſas cogitationes meas olim proſpicis: tu ſcis omnem meum conatum aliquid acquirendi, & ipſam rei acquiſitionem, ac poſſeſſionem.

Setim ſive Settim. Ex. XXV. 10. ſqq. ac deinceps in libro Exodi ſæpe. Lignum pretioſum, quod carie non infeſtatur. Si Talmudicis credimus, genus præſtantiſſimum cedri eſt. Europæ ignota hæc arbor videtur eſſe: cedrus enim noſtræ ſimilis ſi fuiſſet, non reliquiſſet Hieronymus in latino nomen hebraicum, ſed cedrum dixiſſet. Ex hoc ligno arca fœderis, altare holocauſti, altare thymiamatis, aliaque in uſum tabernaculi fabricata ſunt.

2. Setim, locus in campeſtribus Moab, in quibus rex Balac periculoſiſſimas & ſumme noxias inſidias Iſraeli tetendit. *Popule meus, memento quæſo, quid cogitaverit Balach rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam filius Beor, de Setim uſque ad Galgalam, ut cognoſceres juſtitias Domini*. Mich. VI. 5. Quamvis in Setim populus cum filiabus Moab graviſſime peccaverit (Num.

XXV.

XXV. 1.) tamen per Balaam ejus felicitatem prædixi, eumque protexi ab eodem loco uſque ad terram promiſſam, uſque Galgalam, atque illum juſtitiæ & ſanctimoniæ documentis ubique imbui.

Si. Sæpenumero eſt jurantis. Elias ad Achab regem: *Vivit Dominus DEUS Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia*. III. Reg. XVII. 1. Quam vere Deus vivit, tam certum eſt, nullum per hos annos rorem, nullam pluviam fore. Eodem modo ipſe Deus nonnumquam jurat. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus*. Iſ. XXII. 14. Quam vere Deus ſum, tam certo non ignoſcam. *Juravit Dominus in ſuperbiam Jacob: Si oblitus fuero uſque ad finem omnia opera eorum*. Amos VIII. 7. Verax non credar, ſi hæc obliviſcar in perpetuum, ſi non denique vindicem. *Juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam*. Hebr. IV. 3., ex Pſ. XCIV. 11. Deus non credar, ſi introire iſtos in terram promiſſam, & in ea requieſcere patiar.

2. Si, pro an. *Domine, ſi* (i. e. an) *in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Act. I. 6. *Dixit autem princeps ſacerdotum: Si hæc ita ſe habent?* num hæc vera ſunt? Act. VII. 1.

3. Pro ſane. *Et dicet homo: Si utique eſt fructus juſto: utique eſt DEUS judicans eos in terra*. Pſ. LVII. ult. Profecto eſt ſuus utique fructus juſto: eſt ſane Deus vindex. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus*. Jer. XXXI. 20. Eſt ſane coram me Ephraim honorabilis, eſt amabilis filius.

Sibilo. *Sibilabo eis, & congregabo illos*. Zach. X. 8. Quos elegi, ad Evangelium vocabo & adducam facillime, abſque conatu, nullo negotio; non armorum vi, ac veluti tubarum ſtrepitu, ſed ſibilo auræ tenuis. Eadem evocandi facilitas indicatur in eloquentiſſima illa figura. Iſ. VII. 18. ſq. *Sibilabit Dominus muſcæ .... & api ....* Adeſſe jubebit Dominus Ægyptios & Aſſyrios, qui omnia occupent, teque ſpiculis ſuis configant.

Sicca. Pro terra. Pſ. XCIV. 5.

Siccatio. Ez. XXVI. 5. de Tyro prædicitur: *Siccatio*

catio ſagenarum erit in medio maris. Erit locus deſertus, in quo piſcatores retia ad ſolem ſiccent. Quod paulo poſt repetitur: *Siccatio ſagenarum eris, nec ædificaberis ultra*. ibid. v. 14. nimirum, ut ex hebraico intelligitur, hac hominum ætate: poſt annos enim ſeptuaginta ædificatam eſſe ſcimus ex Iſ. XXIII. 15. Et incolarum Tyri meminit liber II. Eſdiæ, XIII. 16. ut nihil dicam de notiſſima obſidione, qua Tyrum Alexander Magnus expugnavit.

Siccitas. Sermones ſiccitatis. Jer. XIV. 1. Vaticinia de futura fame ex diuturna ſiccitate.

Sicco. Sennacherib de potentia ſua ſic inter alia gloriatur: *Bibi aquas alienas, & ſiccavi veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas*. IV. Reg. XIX. 24. ſive, ut legitur Iſ. XXXVII. 25., ubi eadem ſuperbi regis proſopopœja narratur: *Bibi aquam, & exſiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum*. Invictus Aſſyriorum exercitus diverſas regiones peragravit, ac proinde e multis fluviis & amnibus alienis bibit: copia autem militis mei tanta eſt, ut, ubicunque pedem poſui, tum potando exhauſerit aquas ſtagnorum & canalium, tum calcando exſiccarit, quidquid aquarum intra aggeres vel ſtabat, vel fluebat.

Sicera. Potus omnis inebrians, excepto tantum vino, ſeu e frumenti, ſeu e pomorum ſucco expreſſus. *Vinum, & ſiceram non bibet*. Luc. I. 15., de Joanne Baptiſta. Græce dicitur, ſicera, ſicerorum, plurali numero.

Siclus. Idem erat Hebræis, quod Stater, valebatque noſtrates victoriatos ſeu *bazios* 8. quod erat didrachmum hebraicum, ſive tetradrachmum atticum. Dixi de his in *Drachma*, & *Didrachma*: formam vero & inſcriptionem Sicli dedi in Voc. *Argenteus*.

2. *Augeamus ſiclum*. Amos VIII. 5. Non numerabant pecuniam, ſed ponderabant. Avari ergo & fraudulenti libram & pondera corrumpebant, ut ſicli ſui pretium augerent. Idcirco additur: *& ſupponamus ſtateras doloſas*. ibid.

Sidus. *Portaſtis . . . imaginem idolorum veſtrorum, ſidus dei veſtri, quæ feciſtis vobis*. Amos V. 26. Nomen

quo-

quoque hujus dei & ſideris nobis prodidit Beatus Stephanus in luculenta ſua oratione: *Suſcepiſtis ----- ſidus dei veſtri Rempham.* Act. VII. 43. ſeu Repham. ſive is deus fuit ſtella Saturni, ſive Luciferi.

Signaculum. Excuſſis e terra impiis, *reſtituetur ut lutum ſignaculum, & ſtabit ſicut veſtimentum.* Job. XXXVIII. 14. Locus hic interpretes non parum torſit. Ex hebraico fonte ſic omnium optime reddas: Mutabitur terra ſicut lutum (ſive limus figlinus) ſigilli: & conſiſtent impii, ut veſtimentum. Gemina ſimilitudo eſt. facilior altera, a veſtimento petita: improborum gloria diuturna non erit, ſed inſtar veſtis deteretur, ac demum omnino interibit, ut amictus ipſo uſu denique conſumptus ex omni parte ſcinditur, ac perit. Priorem vero ſimilitudinem in hunc modum intelligo: terræ, impiorum criminibus diu deformatæ, iis demum excuſſis, nitor ac forma priſtina reſtituetur: quemadmodum ſi figura annuli ſignatorii, in materia molli impreſſa, ex aliqua parte obliteretur, ſed denuo integre imprimatur: vel ut forma argillacea ſigilli, caſu aliquo corrupta, ab artifice ad priorem ſpeciem revocatur.

2. Zorobabel, ut ſignaculum. *Aſſumam te, Zorobabel, ---- & ponam te quaſi ſignaculum*, i. e. annulum ſignatorium: *quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Agg. II. ult. Ponam te, ut ſculpturam annuli in manu, inquit Chaldæus. Sic te cuſtodiam, ut pretioſum annulum, qui ſemper manu geſtatur, & magna ſollicitudine ſervatur.

3. *Signaculum ſimilitudinis.* Ita nuncupatur rex Tyri, Ez. XXVIII. 12. Hebraice, obſignans numerum, ſive menſuram, vel imaginem. Erat perfecta & omnibus numeris abſoluta imago regis: menſuram implebat regiæ dignitatis, Deum in terra referentis. Quod ad Luciferum, nondum peccati labe fœdatum, haud difficulter trahitur.

Significatio. *Tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus.* I. Mach. VII. 45. Claſſicum cecinerunt, ſigna toti viciniæ ediderunt, ut reliquias copiarum Nicanoris perſequerentur, ac delerent.

Si-

Signo. Joannes Baptiſta de Chriſto inquit: *Qui accepit ejus teſtimonium, ſignavit quia DEUS verax eſt*: Joann. III. 33. Qui Chriſto credit, ille ſubſcribit, & veluti obſignatis tabulis confitetur, eſſe Deum veracem.

2. Filium ſignare. *Hunc enim Pater ſignavit DEUS.* Joann. VI. 27. Divinus Pater cæleſti voce ac prodigiis innumeris, velut impreſſo ſigillo, teſtatus eſt, Jesum hunc eſſe verum ipſius Filium.

3. Signare in manu. Deus *in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.* Job. XXXVII. 7. *In manu*, pro *manum*, hebraiſmus eſt. Poetice dictum: Deus hominum manus obſtrictas & obſignatas tenet, ut intelligant, ſua omnium opera non tam ab ipſis, quam a Deo pendere. Nam, ut contextus habet, excitatis repente tempeſtatibus cogit eos quieſcere, ac deſtinatos labores omittere.

4. Signare librum. Evangeliſtæ Joanni dicitur: *Ne ſignaveris verba prophetiæ libri hujus.* Apoc. ult. 10. Noli hoc volumen ſigillo impreſſo claudere, ſed apertum relinque: vulgetur, & omnibus innoteſcat.

Signum. Solem & Lunam Deus condidit, ut eſſent *in ſigna & tempora, & dies, & annos.* Gen. I. 14. Figura hendiadys, quæ voces ſenſu cohærentes per conjunctionem & ſeparat. Sunt ſigna temporum, ac dies annoſque diſtinguunt.

2. Signum pro meta. Deus *poſuit me ſibi quaſi in ſignum.* Job. XVI. 13. Me veluti metam elegit, in quam pœnarum ſagittas emitteret.

3. Signa ponere. *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna: & non cognoverunt ſicut in exitu ſuper ſummum.* Pſ. LXXIII. 5. ſq. Hoſtes, capta urbe ſancta, poſuerunt ſigna ſeu vexilla ſua in ſigna, i. e. in trophæum, ut loquitur hoc loco D. Hieronymus, in ſummo templi vertice, & ſupra portas: nec cognoverunt, i. e. non attenderunt loci ſanctimoniam.

4. Tubæ ſignorum. *Exclamaverunt tubis ſignorum.* I. Mach. IV. 40. Non de re militari ſermo eſt: ſed ſignorum nomine certos quoſdam ſonos ac ritus intellige, a Moyſe præceptos, quibus ad rem ſacram populus vocabatur.

5. Si-

5. Signum ſuper mulierem. *Super mulierem nequam bonum eſt ſignum*. græce, ſigillum. Eccl. XLII. 6. Include vel ipſam mulierem, vel certe res tuas, ne ab illa diſtrahantur. Caveri quoque (v. ſq.) aliorum fraudes jubet, & pretioſiora includi, ne res familiaris damno afficiatur.

6. Signum ævi. Sidera, quæ curſum temporum metiuntur, ſunt nobis *ſignum ævi*, ut Lunam appellat Eccleſiaſticus, XLIII. 6. Idem de Domino ait: *Cognovit ---- omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum ævi*. Eccl. XLII. 19. Omnem temporum viciſſitudinem, & eventus omnes novit.

7. Signum in manu. Zorobabel *quaſi ſignum*, græcæ ſigillum, *in dextera manu*. Eccl. XLIX. 13. Quam ſollicite annulus ſignatorius magni pretii cuſtoditur ab homine, tam provide Zorobabelem manus Domini protegit. Idem loquendi modus Aggæo placuit, II. ult. ut in Voc. *Signaculum* paulo ante dictum.

Silentium. *In omni loco projicietur ſilentium*. Amos VIII. 3. Projicietur, i. e. diffundetur, ſpargetur. Everſis & vaſtatis omnibus, ubique ſolitudo mera ſupererit.

Sileo. *DEUS meus ne ſileas a me*. Pſ. XXVII. 1. D. Hieronymus vertit: ne obſurdeſcas mihi. Ne taceas ad preces meas, neve illas aure ſurda prætermittas.

2. Silere a bonis: *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis: & dolor meus renovatus eſt*. Pſ. XXXVIII. 3. Cohibui linguam, ne bona quidem & licita proferri, quantumvis gravi dolore per hoc ipſum ſilentium intus recrudeſcente.

3. Silere pro quieſcere. *O mucro Domini uſquequo non quieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile*. Jer. XLVII. 6. ceſſa percutere.

Siloe. Fons placidus aquarum Siloe, ex radice montis Sion oriens, ad quem unctus eſt Salomon, imperium regum Juda ſignificat Iſ. VIII. 6. quo contempto quia Iſraelitæ regem ſuum Phacee filium Romeliæ, & Raſin regem Syriæ ſequebantur, pœna prædicitur; inundabit vos (inquit v, 7.) flumen magnum, Euphrates, i. e. Aſſyriæ rex: neque ſolum Iſraelis re-

regnum, ſed Juda etiam (v. 8,) futurum Emmanuelis regnum, eluvione hac involvetur *uſque ad collum*, videlicet univerſa regio, excepto tantum capite, urbe Hieroſolyma. Tum vero cæleſte auxilium proſpiciens animo vates, exclamat v. 9. *Congregamini populi, & vincimini*. Adeſte, ut vincamini, futuri victimæ Angeli vaſtatoris.

Simeon. Lia, cum filium alterum peperiſſet, dixit: *Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi: vocavitque nomen ejus Simeon*. q. d. auditio. Gen. XXIX. 33.

Similago. *Da ſuavitatem & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem*. Eccl. XXXVIII. 11. Memento thus & ſimilam cum pingui hoſtia offerre Deo. *Retribuet gratiam, qui offert ſimilaginem*. Eccl. XXXV. 4. Qui ſacrificium (cujus pars erat ſimila) Deo offert, pro beneficiis gratus eſt. Vel etiam: homo gratus non minus Deo placet, quam qui ſacrificio eum honorat.

Similitudo. *Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus*. Pſ. XLIII. 15. Chaldaice, in proverbium. Nimirum ut dicatur: Judæo miſerior. Quo ſenſu *Parabolam* accipi dictum eſt ſuo loco, §. 3.

2. Pro imagine. *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Pſ. CV. 20. Iſraelitæ loco Dei, qui ſolus eſt vera populi ſui gloria, adorarunt imaginem vituli, qui fœno paſcitur.

Simul. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Eccl. XVIII. 1. Deus æternus omnia ſimiliter produxit, nulla re excepta. non, eodem momento aut tempore, ſed eadem ratione omnia, ex nihilo.

Singularis. *Exterminavit eam*, vineam eccleſiæ, *aper de ſilva: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam*. Pſ. LXXIX. 14. Hebraicum ziz eſt nomen generale, cuilibet feræ conveniens. Per aprum Salmanaſarem, per ſingularem hunc ferum Nabuchodonoſorem intelligunt.

Singulariter. *Cadent in retiaculo ejus* (i. e. ſuo) *peccatores: ſingulariter ſum ego donec tranſeam*. Pſ. CXL. ult. Impii ſuis retibus capti & impliciti cadent: at ego ſolus, ab illis disjunctus, abſque detrimento abibo.

Sinopis. Dives *facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide*.

pide. Jer. XXII. 14. colore rubro, ſeu minio, quod ex urbe Ponti Sinope optimum afferebatur.

Sinus. *Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio ſinu tuo in finem?* Pſ. LXXIII. 11. *Manum* intellige ſiniſtram: eſt enim conſuetudinis hebraicæ, nomen generale viliori tribuere. Quare, inquit humano more, compreſſis in ſinu manibus nos destituis? cur in hoſtes noſtros ultricem dexteram nullo unquam tempore extendis? Solertiſſimus Pſalterii interpres Thomas le Blanc hypotypoſin in his verbis agnoſcit hominis gladium ſtringentis, quem veteres ex humero pendentem gerebant: quare, ut illum e vagina depromerent, dexteram admovere ſinui neceſſe erat.

2. Sinus pro canali. Ez. XLIII. 13. Sinum appellat Propheta exiguam illam foſſam, ſive canalem, in pavimento marmoreo circum altare. Ejus altitudo & latitudo erat cubitalis, ſed *cubito veriſſimo*, ut ibidem Ezechiel loquitur, cubito nempe pleno & regio dimenſa, qui uno palmo vulgarem ſuperabat. In canalem hunc defluebat ſanguis victimarum, atque inde per ſubterraneos meatus in torrentem derivabatur.

Sirach. Perperam a multis auctor libri Eccleſiaſtici nominatur *Sirach*, aut *ſapiens Sirach*. Etſi enim græce liber hic *Sophia Sirach* (Sapientia Sirach) nuncupatur: id tamen ſolius compendii gratia fit, quatuor tituli vocabulis in duo contractis, mediis brevitatis cauſſa omiſſis. Vera namque inſcriptio in libri fronte hæc eſt: *Sophia Jeſu filii Sirach*. & apud Latinos: *In Eccleſiaſticum Jeſu filii Sirach Prologus*. In ipſo etiam Prologo interpres libri, nepos auctoris, qui volumen hoc utiliſſimum ex hebraico græce vertit, tam in græco, quam apud nos, *Avus meus*, inquit de primo hujus libri ſcriptore, *Jeſus*. Conſtat igitur, partem hanc Divinæ Paginæ non a Sirach, ſed ab Jeſu filio Sirach ſeu Siracide ſcriptam eſſe. Reverentia tamen in Chriſtum Jesum, & ambiguitatis vitandæ ſtudium effecit, ut, cum libri ſententiæ proferuntur, a vero auctoris nomine abſtineatur. At illi, qui ejus libri locos ſub nomine *Sirach* tanquam auctoris in concione recitant, non magis apte aut vere id faciunt, quam ſi dicerent,

Hæc in Proverbiis David habet; vel, Sic in Pſalterio cecinit Jeſſe: quam male enim Proverbia, Salomonis opus, Davidi parenti tribueres, aut Pſalmos Davidicos a Jeſſide filio ad Iſai ſeu Jeſſe patrem transferres: tam male, quæ Siracidis ſeu Jeſu filii Sirach ſunt, ei adempta ad patrem nullo jure traducuntur.

Siren. *Reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & ſirenes in delubris voluptatis.* Iſ. XIII. ult. De excidio Babylonis loquitur, quod etiam ſequentis Capitis initio intelligendum eſt. Hebraice & Chaldaice ſunt dracones. Nimirum, ubi prius ſumptuoſa palatia viſebantur, voluptati ſtructa: ibi nunc monſtra, & peregrinæ animalium formæ cernuntur.

Sitio *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Pſ. LXII. 2. Sitiit *in te*, & *tibi*, pro Sitiit te. Tam animus meus, quam corpus ipſum, vehementer ad te aſpirat, ac tui deſiderio anhelat.

Sobrius. *Infirmitas gravis ſobriam facit animam.* Eccl. XXXI. 2. De vero hujus loci ſenſu diſſerui in Voc. *Præſcientia.*

Sodoma. Acriter Iſaias, I. 10. populi ſui primores appellat *principes Sodomorum*, videlicet propter ſcelerum ſimilitudinem.

Sol. *Permanebit cum Sole, & ante Lunam.* Pſ. LXXI. 5. *Ante ſolem permanet nomen ejus.* ibid. v. 17. *ante* pro coram. Ejus gloria perſeverabit, quamdiu Sol & Luna in cælo viſentur, quamdiu hujus mundi compages durabit.

2. *Qui ſtare fecit Solem* I. Par. IV. 22. Non eſt Joſue, aut alius quiſpiam, qui diem protraxerit: ſed plura hoc loco referuntur nomina propria hominum, quæ interpres noſter per appellativa latina expreſſit. De ſingulis monui ſuo loco.

Solium. *Separati eſtis in diem malum: & appropinquatis ſolio iniquitatis.* Amos VI. 3. Deſtinamini a me & reſervamini in tempus captivitatis: cui quotidie magis appropinquatis, dum quotidie menſuram criminum augere pergitis. Tum vero vos, qui mihi, vero & optimo Regi veſtro, parere nunc recuſatis, iniquo & crudeli ſolio exterorum regum ſiſtemini.

Sol-

Solvo. Omni dolorum genere oppreſſus Job, mortem optat unice, dicens: *Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi DEUS? Et qui cœpit ipſe me conterat: ſolvat manum ſuam*, non jam parcente manu, ſed toto impetu me percutiat, *& ſuccidat me? Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore*, penitus me proſternens, vitæ *non parcat*, ut adhuc fecit. Job. VI. 8. ſqq. Non, quod multis viſum eſt, dolorum incrementum poſtremis his verbis petit: ſed eorum finem ſupplex precatur, ut contextus oſtendit. Mox etiam v. ſq. imparem ſe tot ac tantis cruciatibus ait eſſe, nedum novis ferendis idoneum, quod commatici volunt. *Quæ eſt enim fortitudo mea ut ſuſtineam? ---- Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt*. ibid. v. 11. & 12.

Somnus. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini filii: merces, fructus ventris*. Pſ. CXXVI. 2. ſq. Quos Deus amat, iis quietum & ſecurum ſomnum tribuit: iisdem veluti hæreditatem ſeu portionem propriam dat liberos, & fœcunditatem ceu ſuæ virtutis mercedem largitur.

2. Videre in ſomnis. *Audiens vero illa quaſi in ſomnis vide, & vigilabis*. Eccl. XIII. 17. Blandientis voci non magis fide, quam ſomnio: atque ita ſemper vigila, ne fallaris.

Sorbeo. In admiranda illa hypotypoſi, qua equus generoſus apud Jobum depingitur magis, quam deſcribitur, etiam hæc leguntur: *Fervens & fremens ſorbet terram*, haurit terram, pede effodiens, vel etiam morſu eruens: *nec reputat tubæ ſonare clangorem*, non expaveſcit tubam vocantem ad prælium, nec revocantem a prælio audit: *ubi audierit buccinam, dicit, Vah!* hinnitu cupiditatem & audaciam prodit. Job. XXXIX. 24. ſq.

Soror. Hebraico more uſurpatur etiam pro ea, quæ ſanguine conjuncta eſt, etſi nec eodem patre, nec matre ſit genita. Sic Sara ab Abrahamo Gen. XX. 2. ſqq. ſoror dicta eſt, cum eſſet ejus neptis ex fratre Aran. Imo & fratrum uxoribus nomen ſororum eſt inditum: ut de Virgine Matre Domini & Maria Cleophæ dixi in Voc. *Jacobus*.

Sors. *Rugibo ejus non exivit de ea*, Hieroſolyma, quæ ibi comparatur ollæ: *per partes & per partes ſuas ejice eam, non cecidit ſuper eam ſors*. Ez. XXIV. 6. omnes iniqui ad pœnam vocentur, ſive mortis, ſive captivitatis: indiſcriminatim omnes pleċtantur, donec nullus ſuperſit.

Spado. *Concupiſcentia ſpadonis devirginabit* (græce, devirginare) *juvenculam: ſic qui facit per vim judicium iniquum*. Eccl. XX. 2. ſq. Salax eunuchus, cui virgo cuſtodienda commiſſa eſt, obliviſcitur fidei, & cupit, quod fieri non poteſt. Ita judex iniquus, cui credita eſt juris cuſtodia, corrumpere ipſe juſtitiam cupit; inani quidem conatu, quandoquidem ipſum jus & fas æternum eſt & inviolabile, nec ulla judiciorum pravitate effici poteſt, ut æquum iniquum ſit.

Spatium. Deus *nemini dedit ſpatium peccandi*. Eccl. XV. 21. Male intelligunt, qui de tempore. Ex fonte græco dilucide apparet ſententia: Nemini dedit libertatem ſeu licentiam peccandi.

Species. Verba illa, *Specie tua & pulcritudine tua*, Pſ. XLIV. 5. non connectuntur cum ſequentibus, *intende, proſpere procede, & regna*; ſed cum præcedente verſiculo, ut ſenſus ſit: Accingere gladio tuo, qui gloria tua, & decor tuus eſt.

2. *Viſitans ſpeciem tuam, non peccabis*. Job. V. 24. Si familiæ tuæ ornamenta intueris, noli per ſuperbiam aut vanam confidentiam peccare.

Speciosus. *Pingueſcent* (hebraice, ſtillabunt) *ſpecioſa deſerti*. Pſ. LXIV. 13. Vox hebraica & paſcua, & domicilia ſeu caſas indicat. Stillabunt præ pingui abundantia vel in deſertis locis ſpecioſa paſcua, ſimulque paſtorum caulæ & mapalia.

2. Specioſa, pro urbe Ninive. Soph. II. 13. Nives nomen in hebraico, chaldaico, & græcis LXX. codicibus hoc loco extat.

Specula. Judæorum genti, in captivitatem emigraturæ, ſolatii ergo dicitur: *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: revertere virgo Iſrael, revertere ad civitates tuas iſtas*. Jer. XXXI. 21. Voces hebraicæ, quas

quas noſter *ſpeculam* & *amaritudines* interpretatur, indicant etiam columnas & lapides, quibus viarum ſpatia ex intervallo diſtinguuntur. Jubetur ergo filia Iſrael, gens Hebraica, certas ſibi notas ſtatuere, quibus dirigi in reditu poſſit, & meminiſſe moleſti itineris, cum illud remetiendum fuerit.

Speculatio. Pro officio prophetæ ſeu doctoris Divinæ legis. *Vobis*, ſacerdotes mali, *judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor*. Oſ. V. 1. Contra officium veſtrum decepiſtis ipſi populum, & ad aras deorum abduxiſtis: laqueus fuiſtis tam veris meæ legis doctoribus, quam plebi a vobis docendæ: fuiſtis inſtar retis, expandi ſoliti in Thabor monte Galilææ, nemoroſo, & ferarum pleno; ubi proin frequens eſt venatio.

Speculator. Propheta, qui proſpicere imminentia Iſraeli mala debebat, ut juberet cavere. *Speculator Ephraim cum DEO meo*, cujus erat, partes Dei tueri, cum Deo facere. *Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias ejus*, alliciendo populum ad pernicioſam vitulorum religionem: *inſania in domo Dei ejus*, in Bethel, in vituli fano. Oſ. IX. 8.

Spina. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*. Pſ. XXXI. 4. Corpus in ærumna ſua ſe verſat, & animus ad Deum convertitur, dum ſpina doloris me penetrat.

2. Spinæ ſe complectentes. De compotatione Aſſyriorum, qui velut jam ſecuri de capienda protinus Hieroſolyma, impendens ſibi nocte proxima exitium ne cogitant quidem: *Sicut ſpinæ ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter potantium: conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena*: inquit eloquentiſſimus e Prophetis minoribus Nahum, I. 10. Similitudo utraque feliciſſima: neque enim manipulo florum, herbarumve odoratarum, aut ramorum ex arbore fertili; ſed ſpinarum faſciculo comparat, odioſæ & inutilis rei, ac tantum ad vulnera & flammis natæ: neque ſtipulam ſimpliciter dicit, ſed aridam, imo ariditate plenam. Fruſtra igitur, o Ninive, Sennacherib cum Aſſyriis ſuis *ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam*. ibid. v. ſq.

3. Spina devoranda. *Erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus ejus in flamma: & ſuccendetur, & devorabitur ſpina ejus, & vepres in die una.* Iſ. X. 17. Deus, ſanctitas populi ſui, ignis eſt, qui ſuos illuſtrabit, hoſtem autem Sennacherib cum ſuo exercitu corripiet, & intra unius diei intervallum 185000. devorabit.

4. Spinam dare Deum. In Cantico Vineæ Dominus ita loquens introducitur: *Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem in prælio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter? An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Iſai. XXVII. 4. ſq. Non indignor; cur enim vineæ tam fertili & pulcræ iraſcerer? quis me permoveret, ut eam impugnare, & veluti ſpina aut vepris lacerare vellem? aut cur inſtar ignis eam pervaderem, & incenderem? Nonne ipſa potius me tenebit, meamque potentiam reprimet, ac pace perpetua me ſibi aſtringet? Hoc eſt Canticum, quod *Vinea meri cantabit ei*, ibid. v. 2. quod Eccleſia, quæ comparatur vineæ meri optimi procreatrici, canet ſibi, ſeu de ſe ipſa: nam *ei* in hebraico non eſt generis maſculini, ut ad Dominum referri poſſit; ſed generis feminini, cujus eſt ipſa Vinea.

5. Spina in manu temulenti. Prov. XXVI. 9. Explicatur in Voc. *Naſcor*.

6. Spina-alba. Bar. VI. 70. Græce, rhamnus. Non magis curandi ſunt gentium dii, quam quodlibet in horto virgultum.

7. Spina arbor. Numeratur inter arbores nobiles, Dei imperio in ſolitudine orituras, & conjungitur cum cedro, Iſ. XLI. 19. Idem vocabulum eſt in hebraico, Oſ. III. 18., ubi nos habemus *torrentem ſpinarum*, de quo dicendum erit Voc. *Torrens*.

Spiraculum. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris.* Prov. XX. 27. Quod hominis animus arcana ſcrutari poteſt, tum ſua, tum etiam aliena, debet luci Divinæ ſe colluſtranti.

Spiritualis. *Venerunt dies retributionis: ſcitote Iſrael ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.* Oſ. IX. 7. Venit pœnæ tempus, quod prædicentibus

Pro-

Prophetis, & viris Divino ſpiritu plenis, vos clamabatis, eos inſanire. Ecce nunc eorum inſaniam! veſtra erat amentia; non eorum, quos miſi. hanc veſtram inſaniam, & criminum copiam nunc luetis.

Spiritus. Nunc ventum, nunc vitam, aut animam, ſeu halitum, nunc Divinum Spiritum denotat. *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus*. Eccli. I. 6. id eſt, ventus, qui terras omnes perflat. *Spiritus virtutis*; Sap. V. ult. ventus validus. *In deficiendo ex me ſpiritum meum*. Pſ. CXLI. 4. cum anima me deficeret. *Non permanebit ſpiritus meus in homine*. Gen. VI. 3. vitam, quam ei largitus ſum, auferam. *Auferes ſpiritum* (vitam) *eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum*, ſpiritum vitæ, *& creabuntur*. Pſ. CIII. 29. ſq. Myſtice tamen utrumque horum Divino Spiritui optime tribuitur: de quo & illud ſcriptum eſt. Sap. I. 7.: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Spiritus hic, qui complectitur & implet omnia, verba & ſenſa hominum omnium omnia ſcit.

2. Spiritus pro vehementi impulſu. De rege Sennacherib dicit Dominus.: *Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuncium, & revertetur ad terram ſuam*. Iſai. XXXVII. 7. Injiciam ei repentinum ardorem redeundi in patriam; cum enim afferentur nuncii de adventu Tharacæ regis Æthiopiæ, territus Sennacherib, & ejus irruptionem præventurus, domum ſe recipiet. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata maxima*. Eccli. X. 4. Si impulſus viri potentis, vel ſatanæ, qui princeps eſt hujus mundi, ad crimen admittendum te urgeat: noli cedere, ſed firmus perſiſte: hoc enim erit remedium, quo peccata graviſſima impedientur.

3. Spiritus oris noſtri. Capta urbe ſancta, ejuſque rege, lamentatur Propheta. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus* (hebraice, Domini) *captus eſt in peccatis noſtris*. Thr. IV. 20. Propter gentis noſtræ ſcelera captus eſt Sedecias, unctus a Deo rex ac dominus noſter, e cujus ſpiritu ac vita ſalus & vita omnium pendet. Allegorice, Chriſtus Jesus in horto captus.

4. Spiritus ad vindictam creati. *Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua*. Eccli. XXXIX. 33. Quidam Angelos malos interpretantur. Malim ego, cum pluribus, ventos: Ad impios plectendos creati, vehementer & conſtanter id agunt. Quamprimum (v. ſq.) deſtinatum a Deo tempus adeſt, tota vi in imperatum ſibi opus incumbunt: neque deſiſtunt ante, quam impleto ſupplicii modo Conditoris iram placaverint.

5. *Vir habens ſpiritum*. Mich. II. 11. Propheta. O utinam, inquit; propheta non ſim! utinam falſa eſſe poſſint, quæ tibi mala vaticinor!

6. Mutabitur ſpiritus. Poſtquam Chaldæi præclaris his victoriis potiti fuerint, *tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet: hæc eſt fortitudo ejus Dei ſui*. Hab. I. 11. Tunc mutabitur & reflabit hic fortunæ ventus: pertranſibit & corruet felicitas illa Nabuchodonoſoris, cum non niſi filius & nepos ejus regnaturi ſint. Hæc eſt, exclamat per ironiam, hæc eſt potentia falſi hujus dei Chaldaici!

7. Spiritum peperimus. *Concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ*. Iſ. XXVI. 18. Peperimus ventum, inquiunt aliqui: ingenioſe ſane; & accederem ipſe, niſi me LXX. retraherent, qui ambiguitatem vocabuli hebraici ſolvunt, ſuaque interpretatione docent, quæ de hujus loci ſenſu traditio Eccleſiæ Moſaicæ fuerit. Sic autem vertunt: peperimus ſpiritum ſalutis tuæ. Fit ergo hæc ſententia: Concepimus quidem bona propoſita, eaque, poſt maturam deliberationem, tibi obtulimus, o Deus ſalutis auctor: ſed quia in iis exequendis conſtantia defuit, plenam a te ſalutem conſecuti nondum ſumus; neque dejicere potuimus hoſtes, de quibus v. 13: *poſſederunt nos domini abſque te*.

Spolium. Spolia pro bonis fortunæ, facultatibus. Mulier fortis, i. e. in labore ſapienter ſuſcepto conſtans, *ſpoliis non indigebit*. Prov. XXXI. 11. divitiis nunquam carebit.

Spondeo. Præſtantior pars Ægyptiorum, liberi nimi-

nimirum, ſpes gentis, momento deleta eſt. *De omnibus enim non credentes propter veneficia*, (aliqui legunt *beneficia*) *tunc vero primum, cum fuit exterminium primogenitorum, ſpoponderunt populum* DEI *eſſe*. quædam editiones habent, *ſpoponderunt, ſe* (i. e. ipſos, Iſraelitas) *populum DEI eſſe*. in græco eſt: confeſſi ſunt, populum (Iſraeliticum) Dei filium eſſe. Sap. XVIII. 13. Diu increduli repugnabant, præſtigiis ac ludibriis decepti magorum, qui potentes Ægypti adjutores ſe eſſe mentiebantur. Demum vero, liberorum ſtrage convicti, hunc eſſe populum a Deo adoptatum confeſſi ſunt, idque fide tam certa crediderunt, ut aliis dubitantibus ſponſores ac vades de hujus rei veritate præbituri ſe fuiſſent.

Sponsio. Impii *ſponſiones poſuerunt ad illam*. Sap. I. ult. fœdus cum morte junxerunt: ultro perniciem ipſi prenſarunt: peccato enim ſe ſubjecerunt, quod ſtimulus mortis eſt.

Sponsus. Sephora, Moyſis uxor, circumciſo filio, ad maritum ait: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*. Ex. IV. 25. Tu, o conjux, fundendi cariſſimi ſanguinis cauſſa mihi fuiſti.

Stabularius. Samaritanus Luc. X. 35. vulneratum a latronibus curæ *ſtabularii* commendat, id eſt, diverſitoris: *ſtabulum* enim veteribus diverſorium ſignificabat.

Stanneus. *Quis enim deſpexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel*. Zach. IV. 10. Tempore captivitatis videbantur quidem dies infelices & aſpernandi: noli tamen idcirco, inquit, eccleſiam velut a Deo relictam contemnere: paulo poſt enim læti ejus filii videbunt in manu Zorobabelis perpendiculum: redintegrabuntur templi ac urbis ruinæ: *perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem*. Zach. I. 16.

Stater. Hebræis alio nomine Siclus: cujus pretium ſunt noſtrates victoriati ſeu *bazii* octo. Confer, ſi libet, quæ diximus de *Drachma*, *Didrachma*, & *Argenteo*. Nec eſt, cur te illud Jeremiæ turbet, quo ſtaterem & argenteum diſtinguere inter ſe videtur: *Emi agrum ab Hanameel ... & appendi ei argentum ſeptem*

ſtateres, & decem argenteos. Jer. XXXII. 9. nam, ut optimi interpretes judicant, diviſa eſt per hebraiſmum conſtructio, cujus hic eſt conjunctim ſenſus: dedi ei ſeptendecim ſtateres argenteos, appenſo ad libram argento.

Statuarius. Zach. XI. 13. Hebraice, figulus. Reconditiore ſenſu intelligi Deus poteſt, qui hominem e limo finxit.

Stellio. Prov. XXX. 28. Præter interpretes, qui obiter animal hoc attingunt, ex inſtituto naturam ejus & proprietates perſequitur Buſtamantinus Camærenſis, de Animantibus S. Script. Part. II. lib. V. c. 6.

Sterilis. Inter cetera impii facinora hoc quoque arguitur: *Pavit enim ſterilem, quæ non parit*. Job. XXIV 21. Meretricem aluit. Miror inſignem interpretem, qui huic loco aſcripſit: depaſtus eſt, ſpoliavit. Atqui vox hebraica conſtanter in Divinis Libris ſignificat paſcere, & in participio *benoni* paſtorem.

Sterilitas. *Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem* (LXX. habent, orbitatem; ut abſque liberis ſim) *animæ meæ*, i. e. mihi. Pſ. XXXIV. 12. Eripiebant mihi liberos, alioſque liberorum inſtar mihi amatos.

Stillo. *Stilla ad ſanctuaria, & propheta contra humum Iſrael*. Ez. XXI. 2. Quia prophetarum ſermo, ut pluvia, de cœlo venit, ſtillare dicuntur, cum vaticinantur. Cum Amaſias rex Prophetæ Amos imponere ſilentium conaretur, reſpondit ille: *Tu dicis: Non prophetabis ſuper Iſraël, & non ſtillabis ſuper domum idoli*. Amos VII. 16. Sed fruſtra me tacere jubes: manent enim (v. ſq.) te tuoſque certiſſima ſupplicia a Deo conſtituta. Dicitur non de verbis ſeu vaticiniis tantum, ſed etiam de rebus. *Non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio*. Mich. II. 6. Non ſuperveniet his pœna cœleſtis & probrum. *Non ſtillabit furor meus ſuper Jeruſalem per manum Seſac*. II. Par. XII. 7. Non infligam vobis plagam, qualem & quantam merebamini, per manum hoſtis veſtri Seſac: partem tamen (v. ſq.) debiti ſupplicii patiemini. *Magnus enim furor Domini ſtillavit ſuper nos*. II. Par. XXXIV 21. *Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit ſuper quem ſtillatur populus iſte*. Mich. II. 11. Dictabo ſen-

ſententiam, & quidem graviſſimam: & hic populus erit is, qui pœnas daturus eſt. In bonam partem accipitur. II. Mach. VIII. 27.: *benedicentes Dominum, qui liberavit eos in iſto die, miſericordia initium ſtillans in eos*.

Sto. Poſt Iſraelis ruinam, *planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ ſtetit ſibimet*. Mich. I. 11. Ex vobis, Iſraelitæ, luctus tranſibit in proximam domum; in regnum Juda, quod adhuc ſibi conſtitit. Calamitates non multum abſimiles poſt Iſraelem feret etiam Juda cum urbe ſua principe Jeroſolyma: *quia infirmata eſt in bonum, quæ habitat in amaritudinibus*. v. ſq. quia enervatis ſua ſponte viribus perſiſtere in bono non potuit, & peccatorum acerbitate Deum ad vindictam provocavit.

2. *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ*. Pſ. CVI. 25. Noli credere, id more latino dictum, ut ſenſus ſit, jubente Deo conſiſtere procellam, & quieſcere. Sed contra, Vocante illo, inquit, aſſurgit continuo turbulenta tempeſtas, & fluctus maris tumidi efferuntur. Sequitur diſertiſſima illa hypotypoſis poetica tempeſtatis, cujus vi ad deſperationem adacti vectores, denique unius Dei ope evadunt, dum *ſtatuit procellam ejus in auram*, (v. 29.) mutat procellam in auram placidam, ſive, ut hebraica habent, in ſilentium.

3. In via peccatorum ſtare. Pſ. I. 1. Beatus, qui criminibus non aſſuevit.

Strator. De ſtratoribus laguncularum (Jer. XLVIII. 12.) dictum eſt in Voc. *Ordinator*.

Strideo. *Ecce ego ſtridebo ſubter vos*, (i. e. in terra veſtra, inter vos; hebraiſmus) *ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno*. Amos II. 13. Similitudo ex agro, quales amat paſtor Thecuites, Propheta Amos. Efficiam, ut veſtra ſupplicia longe lateque audiantur.

2. *Stridebunt cardines templi*. Amos VIII. 3. Profanum vituli templum pondere tanto malorum obruetur, ut diſruptis cardinibus & portis tota moles corruat.

Struthio. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum*. Job. XXX. 29. non tam ob ſolitudinem, quam Jobi plangorem, ejulatus, & ſibilos: ut e contextu & ſimili Michææ loco docui Voc. *Draco*, §. 2.

Stylus. Vox Domini ad Iſaiam: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis*, i. e. uſitatis & perſpicuis verbis. Iſ. VIII. 1. Obtemperat vates, & ſcribit glorioſum nomen Meſſiæ: Victor celer, Prædator felix orci. v. 3. Cujus rei (v. 6.) figura proponitur in Judææ hoſtibus Raſin & Phacee: quorum ille, Syriæ rex, ignaras veri Dei gentes ſignificat; hic, Iſraelis rex, perfidos Hebræos: in amborum ruinis victor Chriſtus trophæa conſtituit.

Suadeo. *In conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra*. I. Joann. III. 19. explebimus animum, acquieſcemus.

2. *Hominibus ſuadeo, an* Deo? Gal. I. 10. An hæc ideo ago, ut hominibus me probem, an uni Deo?

Sub. Pro in, ſtylo hebraico. Deum *exaltavi ſub lingua mea*. Pſ. LXV. 17. ore meo, lingua mea; ſeu, ut Hebræi loquuntur, in lingua mea. *Sub lingua ejus*, in lingua ejus, *labor & dolor*. Pſ. IX. 28.

Subjicio. *Ne ſubjicias te omni* (i. e. ulli) *homini pro peccato*. Eccli. IV. 31. Nemini hominum ad peccatum te impellenti pare.

Sublevo. Sacerdotes *peccata populi mei comedent*, *& ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum*, animos populi, & animos ſuos. Oſ. IV. 8. Veſcentur hoſtiis, quas populus pro peccato offert: hujus lucri ſtudio in hominum ſceleribus connivebunt, atque ita ſe & populum non paucis criminibus contaminabunt.

Subrideo. Judex Divinus *ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert*. Amos V. 9. Irridet ſceleſtorum robur & potentiam, illiſque vaſtitatem ac depopulationem infert.

Substantia. *Non eſt occultatum os meum a te quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ*. Pſ. CXXXVIII. 15. Non latebat te ullum meorum oſſium, quo tempore me intra corpus maternum formabas, cum intra illud ſolum natale occultabar. Pro *ſubſtantia* hebraice legitur poeticum vocabulum exquiſitiſſimum *rykkamti* ex conjugatione *Pyal* verbi *rakam*, quod ſignificat acu pingere, & quidem ſingulari ſolertia, ut illa conjugatio indicat: variabar ſubtiliſſime, ceu tela Phrygio opere diſtincta. quæ metaphora Divinum huma-

humani corporis artificium admirabiliter exprimit, & minutiſſimas fibras ac ſenſuum officinas tenuiſſimas pœne ipſis etiam oculis conſpiciendas exponit. Erudite obſervat alicubi vir æterna memoria dignus, Cornelius a Lapide, vocabulum hoc ex eorum numero eſſe, quæ ſenſim ex hebraico in linguas Europæas transmigraverunt. *Recamoth* Hebræis ſunt veſtes acu pictæ: *unde & Itali illud* veſtium genus RECAMATO *vocant*, inquit auctor laudatus in Ex. XXVI. 1. hodie *ricamato* ſcribunt.

2. Pro opibus. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*. Prov. III. 9. chaldaice, de mammona tuo. Partem facultatum illius honori conſecra. *Non inveniet fraudulentus lucrum*: hebraice eleganter: non aſſabit doloſus venationem ſuam: proinde nec ea veſcetur: *& ſubſtantia hominis erit auri pretium*. Prov. XII. 27. Fraudulentus etiam ex iis, quæ videtur tenere, lucrum non percipiet: at viri honeſti facultates, quantulæcunque ſint, prætioſæ ſunt contra aurum, ſummi & certiſſimi pretii ſunt: præſidio enim cœleſti proteguntur. Hanc explicationem præ ceteris mihi perſuadet antitheſis inter primum alterumque ſententiæ membrum, quæ in Proverbiis Salomonicis uſitata eſt.

3. Pro ævo, ſeu ætate. *Subſtantia mea tamquam nihilum ante te*. Pſ. XXXVIII. 6. Tempus vitæ meæ tam fugax & breve eſt, ut coram te, DEUS, inſtar nihili ſit.

4. Pro ſpe, ſeu expectatione. *Subſtantia mea apud te eſt*. Pſ. XXXVIII. 8. Quod præſtolor, Divinum eſt. Quidquid expecto, a DEO & in DEO ſolo expecto.

5. *Subſtantia inopis ſecundum cor ejus*. Eccl. XXXVIII. 20. In græco fonte pro *ſubſtantia* habetur *vita*. Quale hominis miſeri cor, talis vita eſt; ſi lætum & ſorte ſua contentum, læta; ſi triſte, ærumnoſa.

6. Non eſt ſubſtantia. *Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia*, ita ut non poſſim conſiſtere: *veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me*: tempeſtas in altum me ejecit, & oppreſſit. Pſ. LXVIII. 3

SUBTER. *Stridebo ſubter vos*. Amos II. 13. inter vos, in terra veſtra: ut modo admonui Voc. *Strideo*.

deo. Sic & Abd. v. 7. *Ponent inſidias ſubter te*. i. e. in terra tua.

SUFFICIENS. *Ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe*. Phil. IV. 11. Contentus eſſe meo ſtatu didici.

SUFFLATORIUM. *Defecit ſufflatorium*. Jer. VI. 29. Defecerunt folles. Totam ſimilitudinem collegi in Voc. *Probator*.

SUFFUSORIUM. *Suffuſoria ex auro*, Zach. IV. 12. ſeu ut v. 2. appellantur, *infuſoria*, ſunt inſtrumenta aurea, per quæ oleum in lucernas meat.

SULCUS. *Confringet ſibi ſulcos Jacob*. Oſ. X. 11. *Jacob* nominantur ii, qui ex reliquiis decem tribuum, hortatore Ezechia rege, vitulos reliquerunt, & ad vera ſacra Moſaica reverſi, in agro eccleſiæ jugum Domini tulerunt. Sulcos frangere, eſt arare: qua ſimilitudine etiam evangelii aſſeclas Chriſtus ipſe expreſſit Luc. IX. ult.

SUM. *Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi*, (Luc. III. 23. ſqq.) atque ita per majorum omnium ſeriem aſcenditur uſque ad Adamum, *qui fuit DEI*. Ibid. v. ult.) Latina conſuetudine diceretur: Joſeph erat genitus patre Heli, Heli Mathato, Mathatus Levi: ceteriſque enumeratis; Adamus, nullius filius, DEI ſolius opus fuit. Jam olim ſummo ſtudio quæſitum eſt, qua ratione Matthæus & Lucas inter ſe conciliari poſſint, dum ejuſdem Joſephi genealogiam texentes, diverſiſſimos majores percenſet. Gemina placet enodandæ difficultatis ratio; altera, ſi verbum *fuit* adoptivum & legalem filium ſignificet, ubi de Joſepho agitur v. 23. altera, ſi idem *fuit* indicet v. 23. & 27. generos, qui vulgo a ſoceris filii appellantur, viciſſimque ſoceros ipſi nomine patrum appellant. Prior harum explanatio ſemel omnia exponit, dum Joſepho patrem verum & naturalem tribuit Jacob: legalem vero, a quo Joſeph adoptatus ſit, Heli: his enim conſtitutis, tota utriuſque Evangeliſtæ genealogia deinceps e patribus veris & naturalibus conſtat. Poſterior explicatio ad generos bis refertur, ut indicavi: nam Neri Salathielis, & Heli Joſephi ſoceri in hac explanatione dicuntur. Exhibeo id in tabella, quæ

ta-

tamen, brevitatis gratia, omnes illos omittit, in quibus nihil eſt hic controverſum.

Adam.

Noe,
Sem.

Abraham,
Iſaac,
Jacob,
Juda.

David.

Salomon.	Nathan.
Jechonias, Salathiel.	Neri, Filia Neri unica, nupta Salathieli; proinde Salathiel gener ſeu filius Neri.

Salathiel,
Zorobabel,

Abiud	Reſa
Jacob, Joſeph.	Heli, qui & Joachim, MARIA, filia Heli unica, cujus vir Joſeph, gener ſeu filius Heli.

2. Eſt & non. Vide in Voc. *Eſt*, §. 2.

3. Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus. De his plura habes Voc. *Eſt*.

Summitas. Pro extremitate. Venire dicuntur reges & gentes *de terra procul, a ſummitate cæli*. Iſ. XIII. 5. ab extrema parte horizontis; ab ultima cæli parte, quæ oculis noſtris ſubjecta eſt. Quo modo & illud accipiendum, de Sole dictum: *A ſummo cælo egreſſio ejus:* *& oc-*

& occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. Pſ. XVIII. 7. Ab altera horizontis extremitate ad alteram uſque decurrit: ab ortu ad occaſum ſine requie fertur. *Turbo magnus egredietur a ſummitatibus terræ*, ab extremis ejus oris, hinc atque illinc: *& erunt interfecti Domini in die illa a ſummo terræ uſque ad ſummum ejus*; occiſi a Domino terram ab extremitate altera ad alteram uſque contegent. Jer. XXV. 32. ſq.

Summus. Vide modo dicta Voc. *Summitas*.

Super. Loco propter. *Nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua, & veritate tua*. Pſ. CXIII. 9. ſq. Propter nominis tui gloriam, propter miſericordiam tuam, tuarumque promiſſionum veritatem, deinceps quoque nos defende.

2. Pro juxta, ſeu prope. *Super ea*, prope illa fluenta, *volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces*, canent. Pſ. CIII. 12. Vinea *ſuper aquam plantata eſt*. Ez. XIX. 10. ad ripam. Talis eſt mater tua Synagoga, *in ſanguine tuo*, (ibid.) ex ſanguine regio Davidis orta. *Super* (juxta) *flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus*. Pſ. CXXXVI. 1. *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium*. Ex. XVI. 3. prope ollas Ægyptiacas. *Fixerunt tentoria ſuper Mare rubrum*. Num. XXXIII. 10. in ejus littore. *Jeroboam ſtante ſuper altare*, coram altari, *& thus jaciente*. III. Reg. XIII. 1. Chriſtus *ſtans ſuper illam*, juxta ſocrum Petri; *imperavit febri: & dimiſit illam*. Luc. IV. 39.

3. Pro poſt. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*. Amos I. 3. qui loquendi modus hoc & ſequenti Capite ſæpius iteratur. Certum peccatorum numerum diſſimulabo: ſi novum his addatur flagitium, poſt illud non jam parcam.

4. Pro ad. Qui Deo ſe conſecraverit, *ſuper mortuum non ingredietur*. Num. VI. 6. ad cadaver non ingrediatur.

5. Pro in. *Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum*. Pſ. CXLII. 4. Præ anxietate cor meum in me turbatum & afflictum eſt.

6. Pro erga. *Miſericordia motus ſuper eam*. Luc. VII. 13.

8. Pro contra. *Fornicata eſt igitur ſuper me Oolla*, i. e. Samaria. Ez. XXIII. 5. Me deſerto, inquit Deus, con-

contra me ſimulacra erexit, iiſque amorem ſuum addixit. *Si levavi ſuper pupillum manum meam.* Job. XXXI. 21. Si extenſa contra pupillum manu inique illum in judicio oppreſſi: intellige: opprimar ego cæleſti vindicta. *Munera ſuper innocentem non accepit.* Pſ. XIV. 5. contra inſontem, ejus inſectandi & evertendi cauſſa.

SUPERBIA. *Reddidit Dominus ſuperbiam Jacob, ſicut ſuperbiam Iſrael.* Nah. II. 2. Præteritum pro futuro; ut paſſim in prophetis. Ulciſcetur injurias, quas ſuperbus Sennacherib intulit tam duabus tribubus, quam decem jam tum captivis.

2. Superbia Jordanis. *Quaſi leo aſcendet de ſuperbia Jordanis ad pulcritudinem robuſtam: ---- & quis erit electus, quem præponam eis?* Jer. XLIX. 19. & verbis totidem Jer. L. 44. Sicut leo, quem intumeſcens Jordanis e caverna ſua expulit, in fertilem & abundantem agrum irrumpit, nullo reſiſtente paſtore: ſic hoſtis irruens urbes tuas ornatiſſimas & validiſſimas populabitur; nec erit rex, aut belli dux, quem regioni tutandæ præponam.

3. Superbia pro vera gloria. Eccleſiæ ſuæ promittit DEUS: *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum* Iſ. LX. 15. Magnitudinem & gloriam tuam omnia ſecula admirabuntur.

SUPERCADO. Scelerati, *ſicut cera, quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Pſ. LVII. 9. Inſtar ceræ, illapſo igne liqueſcentis, repente diſſolventur & ſubito non videbunt ſolem, i. e. vita & luce hac frui deſinent.

SUPERCERTOR. *Deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.* Judæ v. 3. Hortor & rogo vos, ut luctemini & contendatis, ut laboretis & certetis pro ea fide, quam cum ſanctis ceteris (Chriſtianis) ſemel traditam & immutabilem amplexi eſtis.

SUPERDUCO. Quemadmodum venter famelicus (uti dicitur Eccl. XXXVI. 23.) omnem cibum appetit, dummodo ſatiet: ita *omnem maſculum excipiet mulier: & eſt filia melior filia.* (ibid. v. 23.) puella nubilis omnem virum recipit, quemcumque occaſio obtulerit: at viro cavendum eſt, ne obviam quamque ducat: ingens enim

enim diſcrimen eſt, & aliæ aliis meliores ac deteriores ſunt. Si ſolam corporis formam reſpiciat, facile decipietur: nam *ſpecies mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium.* (v. 24.) pulcritudo muliebris virum exhilarat, neque ulla eſt cupiditas acrior, quam quæ hinc enaſcitur. Ergo ne oculorum illecebris potius, quam ratione ducatur, ſermones puellæ attendat. *Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis & miſericordiæ: non eſt vir illius ſecundum filios hominum.* (v. 25.) Si linguam habeat veluti medicam, quæ animorum vulnera ſanare poſſit: ſperari de illa poterit, mitigaturam viri dolores, & in ipſum ac alios miſericordem fore. Talem virginem qui uxorem legerit, hominum feliciſſimus cum ea erit.

Superexalto. *Superexaltat autem miſericordia judicium.* Jac. II. 13. Ex græco fonte ſenſus eſt hujuſmodi: gloriatur miſericordia de ſuperato judicio, videlicet ut victrix juſtitiæ.

Superextollo. Tanta erit terræ fertilitas, ut *firmamentum* (i. e. frumentum, unde confectus panis vires hominis confirmat) etiam *in ſummis montium* creſcat: & nominatim *ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus.* Pſ. LXXI. 16. hebraice: fluctuabit, trepidabit, ſicut Libanus. Sicuti vento agitante in Libano denſiſſimæ cedrorum ſylvæ commoventur & ſibilant, ita ſegetes copioſiſſimæ in eodem & aliis montibus.

Superior. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis.* Pſ. CIII. 13. Deus ex alto montes rore ac pluviis irrigat.

Superliminare. Contra eos, qui Jeruſalem novam, Chriſti eccleſiam, per injuriam infeſtaturi ſunt: *Ponam Jeruſalem ſuperliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: ſed & Juda erit in obſidione contra Jeruſalem.* Zach. XII. 2. Omnes populi, & inter hos etiam Judæi, ſi novam hanc Dei civitatem incurſare voluerint, ita impingent, & repulſi corruent, ut ebrii, qui per portam irrupturi elato capite offendunt.

Superpono. Precatus Deum fuerat Siracides ad finem Capitis XXII. uti ſe contra linguæ vitia ſeu lapſum labiorum præmuniret. Pergit idem rogare ſequen-

quenti Capite, dicens: *Ne derelinquas me in conſilio eorum, labiorum meorum: nec ſinas me cadere in illis*. ne effundam, quidquid in buccam venerit: ne labiorum & linguæ libidine potius, quam ratione, in loquendo agar. *Quis ſuperponet in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam ſapientiæ?* quis menti meæ imprimet, perpetuam memoriam flagellorum, quibus omnem culpam punis? quis cordi meo ſapientiæ diſciplinam infiget? Imo quis mihi det, *ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, & ne adincreſcant ignorantiæ meæ?* Eccl. XXIII. 1. ſqq. quis mihi det, ut in ſubitis eorum (labiorum) erroribus non ſinas me impunitum, nec flagella tua mihi parcant? ſic enim fiet, ut ſi qua labiorum delicta mihi obrepſerint, per pœnas has tuas expiata deleantur, neque deinceps alia nova veteribus accreſcant.

Supersubstantialis. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem* (in ſyriaco fonte eſt, indigentiæ noſtræ) *da nobis hodie*. Matth. VI. 11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Luc. XI. 3. Ea petere nos Dominus jubet, quibus ad ſubſtantiam vitamque noſtram tuendam quotidie indigemus.

Supervenio. Poſt demonſtratam vitæ humanæ brevitatem ac miſeriam, ait Pſaltes: *Supervenit manſuetudo, & corripiemur*. i. e. erudiemur, ut exponunt LXX. Pſ. LXXXIX. 10. D. Hieronymus vertit: tranſivimus cito, & avolavimus. Dum tam cito tranſimus, & præciſa vita hac avolamus: ſola nobis tua miſericordia ſolatio eſt, quæ nos erudit.

Supplantatio. *Homo pacis meæ*, familiaris meus, *in quo ſperavi*: *qui edebat panes meos*, menſæ meæ particeps, *magnificavit ſuper me ſupplantationem*. Pſ. XL. 10. multa & varia fraude me petiit. Davidis contra Achitophelem, Chriſti contra Judam querela.

Supplanto. *Galaad civitas operantium idolum, ſupplantata ſanguine*. Oſ. VI. 8. hebraice, a ſanguine; i. e. propter ſanguinem. Injuſte ſanguinem fudit, & ideo evertetur.

Supra. Pro juxta, propter, prope. *In campeſtribus Moab ſupra Jordanem contra Jericho*. Num. XXXVI. ult. ad ripam Jordanis e regione urbis Jericho.

Surgo. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Pſ. CXXVI. 2. Si Deus non faveat, labor quantumvis improbus erit caſſus: illo autem propitio, licebit quietem laboribus interponere, & ærumnoſo pane veſtro ſecure veſci.

Susanna. Hebraice lilium. Convenientiſſimum nomen matronæ caſtiſſimæ.

Suscipio. *Qui ſuſcipit* (hebr. qui capit, allicit) *animas, ſapiens eſt.* Prov. XI. 30. Qui ſive docendo, ſive exemplo, ſive alia quacunque ratione animos ad bonum attrahit.

2. Suſcipere pacem. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.* Pſ. LXXI. 3. Da populo tuo, Deus, tum per primores regni, tum per minores rerum adminiſtros, pacem & juſtitiam.

Suscito. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es.* Hab. III. 9. Hebraica vertuntur a quibuſdam, Nudans nudabis arcum tuum. Arcum, antea ſopitum ac veluti in theca ſeu vagina repoſitum, repente & cum impetu corripies & oſtendes: atque ita, ut juratus populo tuo ſæpius promiſiſti, hoſtes noſtros de medio tolles.

2. *Suſcitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies.* I. Mach. III. 49. Ritum Nazaræorum inſtauraverunt: conſecraverunt eos, quorum ætas id per inſtituta majorum ferebat.

Suspendium. *Elegit ſuſpendium* (hebr. & chald. ſtrangulationem) *anima mea, & mortem oſſa mea.* Job. VII. 15. Malim amittere ſpiritum, & oſſa ſepulcro tradere, quam inter cruciatus tam diros vivere.

Suspicor. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda.* Pſ. CXVIII. 39. Averte a me probrum, quod vereor, quod metuo. Probrum a ſe amoveri cupit vel hoſtile, vel, quod potius reor, peccati. Liberet me lex tua ſuaviſſima metu tam anxio & amaro.

Sustentatio. *Suſtine ſuſtentationes DEI.* Eccl. II. 3. Patere moram Dei, æquo animo fer dilationem auxilii Divini.

Sustineo. Pro operiri. *Suſtinuerunt animam meam.* Pſ. LV. 7. Expectarunt ac deſiderarunt meam mortem.

Suus.

Suus. *Accepit eam*, Mariam, Joannes *diſcipulus in ſua*. Joann. XIX. 27. Male quædam editiones habent, *in ſuam*: fons enim græcus apertiſſime oſtendit pluralem generis neutrius: in propria, in ſua.

Sycomorus. Zachæus *aſcendit in arborem ſycomorum*. Luc. XIX. 4. id eſt, in ficum fatuam, ut Patres interpretantur. Vox autem græca *moros*, quæ ſtultum ſignificat, priore ſua ſyllaba omega habet, natura longum: & in hoc ipſo loco Evangeliſta *ſycomoræa* ſcripſit, quod in optimis exemplaribus omega ſeu longum in tertia ſyllaba offert. *Sycomòrum* ergo non *ſycomorum*, pronunciet neceſſe eſt, qui altari Chriſtiano aſtans Lucæ verba recitat, non Dioſcoridis aut Athenæi, de quibus hoc loco non quæritur.

2. Sycomoros ſuccidere. Superbi Iſraelitæ, poſt ſupplicia ferociores, exclamant: *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus*. Iſ. IX. 10. Detrimenta, quæ hoſtis intulit, adeo nobis non oberunt, ut major etiam priore ſplendor noſter deinceps futurus ſit. Diruit ille domos noſtras lateritias: at nunc pro laterculis ſecto lapide, proque obvio ſycomori ligno trabibus ac tabulis e cedro in ædificia utemur. Deus autem arroganti Iſraeli prædicit v. 11. ſq. ſe tum contra ipſum, tum contra regem Raſin, quo potiſſimum nitebatur Iſraelis ſpes, hoſtes undique excitaturum.

Synagoga. Græcum: cœtus, conventus; quorumcunque hominum, bonorum, malorum: generale enim nomen eſt. *Synagoga populorum*, multi populi collecti, *circumdabit te*. Pſ. VII. 8. *DEUS ſtetit in ſynagoga deorum*, medius inter principes & judices populi. Pſ. LXXXI. 1. *Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas*. Eccli. III. 30. Cœtus ſuperborum incolumitate frui non ſinetur.

T

Tabernaculum. Deus *repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus*. Pſ. LXXVII. 60. *Repulit tabernaculum Joſeph: & tribum Ephraim*

phraim non elegit: ſed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit. ibid. v. 67. ſq. Tempore Judicum tabernaculum Domini collocatum fuerat in Silo, urbe ad tribum Ephraim filii Joſeph pertinente. Sed offenſus tot populi ſceleribus Deus, ablatum inde tabernaculum ſuum in montem Sion urbis Hieroſolymæ tranſtulit, & regiam dignitatem tribui Juda largitus eſt.

2. Pro cœlo. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſ. XVIII. 6. Eſt hypallage, pro, Solem poſuit in tabernaculo ſuo; in cœlo. Nam & alibi dictum eſt: *Extendens cœlum ſicut pellem*, ſicut ampliſſimum venuſtiſſimumque tentorium. Pſ. CIII. 2.

3. Pro corpore. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* II. Petr. I. 14. Mors vicina mihi impendet: peregrinationis meæ finis imminet.

4. Tabernaculorum urbes. Iſraelitæ in Ægypto addicti ſunt operibus regiis, *ædificaveruntque urbes tabernaculorum* (chald. theſaurorum; hebr. promptuariorum, vel etiam theſaurorum) *Pharaoni*. Ex. I. 11. in quibus frumentum, theſaurus regni, aliave ad uſum vitæ neceſſaria aut opportuna reponerentur.

Tabitudo. *Tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus.* Supple ex græco fonte, permane. Eccli. XXVIII. 7. Tabes ſeu corruptio tui corporis, & mors haud longe abſunt: fidelis ergo mandatis Dei perſiſte.

Taceo. *Nequando taceas a me.* Pſ. XXVII. 1. Noli tacitus perſeverare ad preces meas, ſed iis reſponde: quod niſi feceris, deſcendere me in ſepulcrum neceſſe eſt. *Taceant ad me inſulæ.* Iſ. XLI. 1. tacitæ me audiant.

2. Pro quieſco, ceſſo. *Neque taceat pupilla oculi tui.* Thren. II. 18. Ne flere deſine. Idem loquendi modus legitur. Jer. XIV. 17.

Talentum. Inter eruditiſſimos auctores convenit, talentum hebraicum ſiclos 3000. atticum 1500. continuiſſe. Recte igitur Matthæus Raderus in III. 3. Curtii, & alibi; ac Hieremias Drexelius in Animadv. ad Dedicat. Aurifodinæ ſuæ; talenti attici, nimirum argentei, pretium ſtatuunt 600. Philippeos: in quibus ne relinqueretur erroris occaſio, definit l. d. Drexelius: *Philippeus 20 Bazen ſeu victoriatos continet.* Eſt igitur talen-

lentum atticum argenteum rotunde 800. florenorum noſtratium; proinde hebraicum 1600. Quanto majus autem argenteo erat aureum? Cornelius a Lapide, de Menſur. & Ponderib. Hebr. & Græc. §. 1., ex utriuſque gentis Scriptoribus probat, aureum duodecies tanto valuiſſe, quam argenteum. Efficitur ergo, talentum atticum aureum æquaſſe non tantum (ut eſt apud Drexel. in Tobia, P. II. cap. XVI. ad §. 4.) 9000 florenos noſtros, ſed 9600., itaque hebraicum 19200. Quapropter cum David moriens Salomoni filio ad impenſas templi reliquit in paupertate ſua, ut loquitur I. Par. XXII. 14., auri talenta centies mille, argenti vero millies mille: ſecundum dicta aurum valuit florenorum noſtratium milliones, ut loquimur, 1920; argentum, 1600. unde prodit ſumma millionum 3520. Dubitarunt aliqui, an talentum hebraicum poſt Davidis ac Salomonis tempora ejuſdem pretii fuerit. Fuiſſe cenſet, ac argumentis confirmat Tirinus in Prolegom. de Ponderib. & Monet. §. ult.

Tanis. *Coram patribus eorum fecit* Deus *mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos*. Pſ. LXXVII. 12. Erat urbs Ægypti, regum olim ſedes, ad unum e Nili oſtiis, quod inde Tanicum ſeu Taniticum appellatum eſt. Nominatur a Pſalte, quia ex hac urbe Moyſes prodigia & plagas in univerſam Ægyptum oſſudit.

Tav. Signum ſalutare in frontibus electorum, Ez. IX. 4. *Omnem autem, ſuper quem videritis Tav, ne occidatis*, ait vox cœleſtis ad ſex interfectores in eodem viſo Ezechielis, v. 6. Hæc ultima eſt alphabeti hebraici litera, cujus figuram peritiſſimus Hieronymus ait Ezechielis ſeculo fuiſſe talem, qualis eſt hodie literæ T apud Græcos Latinoſqae; nimirum crucis, non immiſſæ quidem, ſed commiſſæ. Eadem figura Ægyptiis quoque Vitam ſignificabat.

Tela. *Præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes*. Iſ. XXV. 7. Poſt extremum & generale judicium, de quo egerat Propheta Capite ſuperiore, de cœleſti monte Sion eccleſiæ triumphantis projiciet Deus graviſſimum vinculum peccati,

quod *actuale* dicimus, & telam *originalis* peccati, quod ab Adamo in omnes extendit.

Templum. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*. Jer. VII. 4. templum maximum, ſanctiſſimum, ſummum omnium.

Temporaneus. Deus *dat nobis pluviam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis*. Jer. V. 24. Pluvia *temporanea* dicitur, quæ agros ſtatim poſt ſationem rigat; *ſerotina*, quæ frugibus ultimam maturitatem impertit.

2. Pro præcoci. *Temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aſpexerit videns, ſtatim ut manu tenuerit, devorabit illud*. Iſ. XXVIII. 4. LXX. præcoces ficus. Fructus præmaturi, ſolito citius perfecti, quibus cupide veſci ſolent plerique.

Tempus. *Fecit lunam in tempora*. Pſ. CIII. 19. ut tempora diſtingueret: ut viciſſitudines temporum ex ea cognoſci poſſent. Id Hebræis præſertim accidit peropportunum, qui anno utebantur lunari, & menſium initia, dies feſtos, & ipſum paſcha lunæ curſu metiebantur.

2. Pro anno. *Tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Dan. VII. 25. & XII. 7., ac Apoc. XII. 14. Annus, biennium, ſex menſes. proin univerſe anni tres cum dimidio.

3. Pro calamitate. Obſervat Euthymius, temporis nomen ab Hebræis & Syris in malam partem ſolere accipi, pro ærumnis & pœnis. *Inimici Domini mentiti ſunt ei*, fidem datam violarunt: *& erit tempus* (i. e. ſupplicium) *eorum in ſecula*, vitæ præſentis, & futuræ. Pſ. LXXX. 16. quod in perfidis Judæis poſt tot ſecula impleri videmus.

Tenebræ. *Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis ejus*. Job. XX. 26. Omnes tenebræ non ſufficient ad occulta impii ſcelera abſcondenda: proferentur in lucem omnia.

Tenebreſco. *Antequam tenebreſcat ſol*, cet. Eccli. XII. 2. Juvat hoc loco, uti ſæpius in hoc Lexico ſparſim promiſi, totam colligere ingenioſiſſimam illam Senii Hypotypoſin, quam Salomon Capite ultimo Eccleſiaſtæ reliquit. *Memento Creatoris tui in diebus juven-*

juventutis tuæ; antequam veniat tempus afflictionis, tempus ſenectutis, *& appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent*: (v.1.) *antequam tenebreſcat ſol, & lumen, & luna, & ſtellæ, & revertantur nubes poſt pluviam*. (v.2.) caligantes oculi ſatis jam percipere lucem non poterunt: diſtillationes aliæ alias conſequentur. *Quando commovebuntur cuſtodes domus*, manus & brachia trement: *& nutabunt viri fortiſſimi*, vacillabunt pedes: *& otioſæ erunt molentes in minuto numero*: dentes pauci, iique hebetes: *& tenebreſcent videntes per foramina*, oculi aciem amittent. (v. 3.) *Et claudent oſtia* ſenſuum *in platea*, in facie, & circa illam; *in humilitate vocis molentis*, dum vox erit tenuis, debito adjumento dentium carens: *& conſurgent ad vocem volucris*: ad galli cantum fugiet ſomnus: *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*: aures, quæ carminibus paſci ſolent, officio ægre fungentur. (v. 4.) *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via*: timebunt ardua ſcandere, imo & viam planam propter gradiendi moleſtiam reformidabunt. *Florebit amygdalus*: caput ambientes cani ſpeciem præſeferent amygdali florentis: *impinguabitur locuſta*: intumeſcet venter, qui locuſta dicitur, eo quod hæc animans tota venter ſit: *& diſſipabitur capparis*, appetentia cibi & voluptatis elangueſcet: *quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes*, amici, & funeris aſſeclæ. (v.5.) *Antequam rumpatur funiculus argenteus*: memento Auctoris tui, antequam ſpina dorſi candida & ejus medulla candidiſſima deſinat firmare corpus: *& recurrat vitta aurea*: meninges, ſeu panniculi pretioſiſſimi, cerebrum undique circumdantes, eo fatiſcente ac recedente, corrugabuntur: *& conteratur hydria*, vaſa ſanguinem vehentia, *ſuper fontem*, jecur: *& confringatur rota ſuper ciſternam*: deficiet caput, quod ſpiritus vitales e cordis ciſterna haurit. (v.6.) *& revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum*. (v.7.)

Tenebrosus. Denſa & caliginoſa nubes, qua ſe Deus celat, dicitur *tenebroſa aqua in nubibus aeris*. Pſ. XVII. 12

Teneritudo. De Nabuchodonoſore ita conqueritur Jeroſolyma: *Replevit ventrem ſuum teneritudine mea*.

hebr. deliciis meis. Jer. LI. 34. Theſauris meis pretioſiſſimis ærarium ſuum implevit. Imprecatur deinde: *Iniquitas adverſum me*, injuriæ mihi illatæ, *& caro mea*, civium meorum ſanguis & funera, ſint *ſuper Babylonem*! v. ſq.

Tentatio. *Secundum diem* (ſicuti die illo) *tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri*. Pſ. XCIV. 9. Nomen proprium loci, hebraice *Maſsd*. Ex. XVII. 7.

Tentorium. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*. Hab. III. 7. Vidi tentoria Æthiopum propter eorum iniquitatem diruta; & Madianitarum, qui ſunt orientales Æthiopes, tabernacula turbata atque disjecta. Allegorice, de malis dæmonibus & hominibus, a Chriſto fractis.

Teraphim. Oſ. III. 4. Vel deorum inanium ſimulacra expone, vel cum Hieronymo cælaturas templi, & ſacerdotalium veſtium ornamenta. Priorem ſenſum Vulgata ipſa offert Jud. XVII. 5. *Fecit Ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola*.

Terminus. *Uſque ad terminum emiſerunt te*. Abd. v. 7. Alloquitur regionem Idumæorum, ſive Edom, poſteros Eſau, perpetuos Hebræorum hoſtes, quibus pœnam cœleſtem indicit. E finibus tuis te in exilium expellent ipſi Chaldæi, *viri fœderis tui*, fœderati; *viri pacis tuæ*, amici tui: *qui comedunt tecum, ponent inſidias ſubter te*: convictores tui ex inſidiis te petent in terra tua: *non eſt prudentia in eo*: nullum evadendi conſilium Idumæo ſupereſt. ibid.

Terra. *Priuſquam .... formaretur terra & orbis*. Pſ. LXXXIX. 2. Terram intellige deſertam & incultam, ſeu nudum ſolum; orbem vero ab hominibus habitatum. Antequam tellus crearetur, & habitaretur.

2. Terra pro incolis. Deus... *vocavit terram*, i. e. omnes terræ cives. Pſ. XLIX. 1.

3. Terra viventium. *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Pſ. XXVI. 13. in terra hac, in qua vivimus. Exul David ſperare ſe dicit, fore, ut redux cum ceteris ſuis civibus Hieroſolymæ bonis a Domino promiſſis lætus & incolumis fruatur. De cæleſti patria, ſenſus eſt anagogicus: de proprio enim ſenſu optime pronun-

nunciavit Laurentius Villavicentinus: *Simpliciſſimo tropo Scripturæ nihil aliud eſt terra viventium, quam hæc præſens vita, in qua nos vivimus, & habitamus.* De Phraſib. Divin. Scripturæ, Voc. *Terra*. Sic impii de Meſſia; *Eradamus eum de terra viventium.* Jer. XI. 19. Nec deſtiterunt, donec *abſciſſus eſt de terra* numeroque *viventium*. Iſ. LIII. 8. Sic & Ezechias, morbi vi ad extrema deductus: *Dixi: Non videbo Dominum DEUM*, in templo habitantem, *in terra viventium*, cum aliis viventibus. Iſ. XXXVIII. 11. De ſalute corporis diffidebat: æternam enim vitam quo modo deſperaret rex ille religioſiſſimus? Hac ex parte ita confidit, ut ad ipſum Deum dicere ibid. v. 3. non dubitet: *Memento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.*

4. Iracundia terræ. *Mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* Pſ. XXXIV. 20. Mihi quidem ſimulatione amicitiæ imponere conabantur: inter ſe vero non pacem loquebantur, ſed dolos, quibus me alioſque, homines quietos & innoxios, inter tumultus & ſciſſiones terræ involverent. Sic hebraica cum noſtris conciliantur.

5. *Terra, quæ non ſatiatur aqua.* Prov. XXX. 16. Avaritia. Totum contextum habes in *Sanguiſuga*.

6. *Terra, terra, terra.* Jer. XXII. 29. Terra ſancta, terra omnium præſtantiſſima.

Terrigena. *Omnes, qui habitatis orbem: quique terrigenæ*, terræ filii, ignobiles, *& filii hominum*, nobiles; ut ex hebraico liquet. Pſ. XLVIII. 2. ſq.

Tertius. *Lingua tertia*. Eccl. XXVIII. 16. Chaldaiſmus. Lingua occulte maledicendo diſſenſiones concitans. *tertia*, quia inter duas inſidioſe fraudes & odia ſerit. *Lingua tertia mulieres viratas*, virili animo præditas, *ejecit*, non valentes obſiſtere hoſti per cuniculos ſe oppugnanti. ibid. v. 19.

Testamentum. Pro fœdere ſeu pacto inter Deum & hominem, vel etiam inter ipſos homines. *Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce. Ne manſeris* (græce, ne mireris) *in operibus peccatorum.* Eccl. XI. 21. Perſevera in fide Deo

 da:a:

data : cum ejus lege delibera : hanc ad ſenectutem uſque cuſtodi. Crimina autem, etſi magna eſſe ac felicia videbuntur, nec imitare, nec admirare; quia ſemper miſera. *Dedit illi*, Deus Davidi, *teſtamentum regni*. Eccl. XLVII. 13. Poſteritati Davidicæ perpetuitatem Hebraici regni promiſit. *Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim hujus mundi morte morietur*. Eccl. XIV. 12. Memento, quotidie propius te ad mortem accedere, & certam tibi eſſe legem ac decretum ſepulcri: ſcis enim, te hoc pacto a natura intromiſſum in vitam, ut ſuo tempore moriaris. *Eamus & diſponamus teſtamentum cum Gentibus, quæ circa nos ſunt*. i. e. fœdus cum vicinis ſanciamus. I. Mach. I. 12.

Testificatio. Pro tabulis Decalogi. Ex. XXV. 16.

Testimonium. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus*. Pſ. CXVIII. 2. voluntatem nimirum & mandata Dei, quæ ſæpe, in præſtantiſſimo illo totius pſalterii carmine, ejus teſtimonia appellantur. Liber quoque legis IV. Reg. XI. 12. & II. Par. XXIII. 11. teſtimomonium dicitur. Tabulæ quoque lapideæ Decalogi eodem nomine indicantur illis verbis: *Poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis infra vectibus, & oraculum deſuper*, i. e. propitiatorium. Ex. ult. 18.

2. Teſtimonium Iſrael *Illuc enim*, in montem Sion, *aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini*. Pſ. CXXI. 4. Ad arcam, inquiunt aliqui, venerandam. Sed licet etiam ſimplicius intelligere: Hieroſolymam aſcenderunt plurimæ tribus fidelium, quæ vivum ſunt teſtimonium Iſraeli (eſt enim in fonte hebraico caſus dandi) quam laudabile ſit nomen Domini.

Testis. *Inſtauras teſtes tuos contra me*. Job. X. 17. plagas mihi alias ſuper alias infligis, quibus iram tuam ac delicta mea teſtaris.

Tetrarcha. Græcum. Princeps quartæ partis: qui quartam regni partem imperio tenet. Per catachreſin tamen ad alios quoque principes hoc nomen traducitur.

Thabor. *Sicut Thabor in montibus --- veniet*. Jer. XLVI. 18. Vide in Voc. *Carmelus*.

2. *Re-*

2. *Rete expanſum ſuper Thabor*. Oſ. V. 1. Explicatum eſt Voc. *Speculatio*.

Thallus. Alcimus regi Demetrio offert *coronam auream*, *& palmam*, *ſuper hæc & thallos*, *qui templi eſſe videbantur*. II. Mach. XIV. 4. ramos oleæ; nimirum aureos. Imitatus eſt gentium ritus, olivam prætendentium.

Tharsis. Pro mari, & maritimis urbibus. *Naves Tharſis*, i. e. naves maris. Iſ. II. 16. atque ita poſuerunt aperte LXX. imo & noſter Iſ. XXIII. 1. *Ululate naves maris*. ubi in hebraico eſt idem *Tharſchiſch*, ſeu Tharſis, quod loco priore. Naves autem maris appellat naves magnas & firmas; non quales in Nilo, Euphrate, vel mari Tiberiadis, quod ſtagnum duntaxat erat; ſed fluctibus & ventis in alto pares. Veruntamen & hæ peribunt.

2. Reges Tharſis. Conjunguntur Pſ. LXXI. 10. cum regibus Arabum & Saba, ac inſulis; cumque Æthiopibus, qui v. 9. & omnibus regibus populiſque orbis terrarum, qui v. 11. Meſſiam adoraturi dicuntur, dum *dominabitur a mari uſque ad mare*. v. 8. quæ omnia regi Salomoni aptare nullus unquam conatus Talmudicorum poterit ingeniorum. Nominantur autem certæ gentes, ut ſignificentur omnes: quemadmodum fit Iſ. LX. 6. ſq. ubi *inundatio camelorum*, & *dromedarii Madian & Epha*, & Sabæi aurum ac tus deferentes, & Cedar, & Nabajoth. Recte locus uterque ab Eccleſia de Magis uſurpatur Chriſtum adorantibus: primi enim ex gentibus implere vaticinium utrumque cœperunt.

Thav. Quære *Tav*.

Theman. Idumæa eſt, ut ex Jer. XLIX. 7. & 20. patet. Provincia hæc ab Eſau ruſo Edom ſive Idumæa, ab ejus nepote vero Themane Theman eſt nuncupata. Inde Job. II. 11. ſæpiuſque deinceps eo libro, Eliphaz, unus e tribus Jobi amicis dicitur Themanites, quia regionis illius princeps.

Theraphim. Seu *Teraphim*: de quo paulo ante.

Theristrum. Græcum. Pepli aut amiculi muliebris genus, æſtivo ſolum tempore uſitati. Gen. XXXVIII. 14. Iſ.

14. Iſ. III. 23. Ubi noſter Gen. XXIV. 65. Rebeccæ, & Cant. V. 7. Sponſæ tribuit *pallium*, LXX. habent theriſtron. Extat & apud Tertullianum jocus in Herculem: *Qualis ille Hercules in theriſtro Omphales*. lib. de Pallio, c. 4.

Thesaurus. Vox Domini ad avaros & iniquos: *Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena*. Mich. VI. 10. Adhuc domi ſervat impius theſauros inique partos, qui ceu ignis eum conſument: & menſura juſto minor iram meam in ipſum provocat.

2. Abyſſi in theſauris. Deus *congregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos*. Pſ. XXXII. 7. *Abyſſos* græco more vocat immenſam aquarum copiam, *theſauros* autem receptacula illa, quæ a phyſicis hydrophylacia appellantur. Ex his ille fontes & fluvios, ut vir opulentus e theſauro opes profert.

3. Theſauri nivis & grandinis. Job. XXXVIII. 22. Poetice dictum. cæli quædam armamentaria, *quæ præparavi in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli*, inquit ibidem Deus v. ſq. Ita contra inimicos ſuos pugnavit Ex. IX. 23. ſqq. Joſ. X. 11. Pſ. LXXVII. 47. ſq. Pſ. CIV. 32. Sap. XVI. 16. & 22. Eccl. XLVI. 6.

4. *Diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*. Oſ. XIII. ult. Meſſias victor animas patrum e limbi receptaculo eductas liberabit: poſtquam fontem mortis, peccatum originis, exhauſerit; & ejus venas, peccata cetera, exſiccarit; ut ibid. dicitur.

Thogorma. Ez. XXVII. 14. Quibuſdam Phrygia eſſe viſa eſt; Vatablo Germania. Chaldaica certe habent: ex provincia Germaniæ.

Thopheth. Ezechiel pæne toto Capite XIX. diras horrendas obnunciat loco huic, qui & *gehenna* ſeu vallis filiorum Ennom dictus eſt. Sita erat haud procul ab urbe Hieroſolyma: in ea, ejuſque luco immolare liberos Molocho ſolebant, perſtrepentibus tympanis, & pereuntium ejulatum celantibus. Inde nomen loco: *toph* enim ſive *thoph* Hebræis eſt tympanum. *Sepelient in Thopheth, eo quod non ſit locus*. Jer. VII. 32. ſeu, ut dicitur Jer. XIX. 11. *eo quod non ſit alius lo-*

cus

cus ad ſepeliendum. Tanta erit ſtrages, ut in ipſo luco ſepeliri acervatim cadavera debeant, quod alibi ſatis ſpatii futurum non ſit.

2. Pro inferis, ſeu æterno damnatorum incendio. Iſ. XXX. ult. Dicitur flamma hæc impiis parata *ab heri*, jam olim, ab ipſo mundi principio. Alterum autem hujus vallis nomen, *gehenna*, inferis paſſim tribuitur; ipſius Chriſti exemplo, Matth. V. 22. ſqq. & alibi.

Thubal. *Græcia*, *Thubal*, i. e. Hiſpania, *& Moſoch*, ſeu Cappadocia. Ez. XXVII. 13.

Thyinus. *Ligna thyina* celebrantur III. Reg. X. 11. ſq. II. Par. IX. 10. ſq. & Apoc. XVIII. 12. Thyam arborem, apud Græcos quoque ac Romanos pretioſam, laudat Theophraſtus lib. de Plantis: e quo tranſcribens pleraque C. Plinius Hiſtor. Natur. XIII. 16. inter alia commendat ſtructas ex ligno hoc *templorum veterum contignationes, quandamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ*.

Thymiamaterium, & Thymiaterium. Jer. LII. 19. & II. Par. IV. ult. Græca. Acerra, ſive turibulum, in quo thymiama ſeu odores Deo incendebantur.

Tibia. Inſtar tibiæ lugubris conqueri ſe dicit Jeremias, & vaſtationem Moabitarum deplorat, XLVIII. 36. Eos appellat *viros muri fictilis*, quod urbes ſuas muris lateritiis muniiſſent. Cur autem Jeremias hoc loco, & Iſaias XV. 5. & XVI. 11. tantopere doleant provinciæ Moabiticæ vicem, ea cauſſa eſt, quod inde oriturum ſciunt Agnum Dominatorem terræ (Iſ. XVI. 1.) inter cujus majores Ruth Moabitis fuit.

Tibicen. Dum mortua Jairi filia a domeſticis & amicis defletur, comparent & *tibicines*. Matth. IX. 23. Dixi de his Voc. *Plango*.

Timor. *Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac*. Gen. XXXI. 53. id eſt, per Deum patris ſui: ipſe enim eſt amor noſter, & timor noſter. Sic ibid. v. 42. *timor Iſaac* eſt Deus verus, quem Iſaac timuit.

Tineo. Purpura & murex, quibus dii gentium ornantur, *ſupra illos tineant*. Bar. VI. 71. a tineis eroduntur.

Titan. Judith in cantico poſt occiſum Holofernem

nem ait: *Nec filii Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi, ſed Judith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſolvit eum*. Judith. ult. 8. Titanes Titanis filii, ut in profanis fabulis traditur, Saturnum oppugnaverunt, quemadmodum deinde Gigantes Jovem. Iſta commemorat Judith, non ex animi ſui ſententia, ſed Holofernis & hoſtium opinionem irridens.

Titulus. Legitur in pſalmorum aliquot inſcriptionibus. *Tituli inſcriptio ipſi David*. Pſ. XV. 1. *In tituli inſcriptionem*, Davidi, ſeu pro Davide. v. 1. Pſalmi LV. & quatuor proxime ſequentium. Ad memoriam perpetuam, monumentum perenne.

Tollo. *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum*. Oſ. ult. 3. Afferte ad Deum, & coram illo effundite ſermones, animi pœnitentis indices.

2. Pro ſuſpendo. *Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam*. Joann. X. 24. Quid ſuſpenſos nos tenes? quid nos tentas? *Nolite quærere; quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in ſublime tolli*. Luc. XII. 29. Nolite animo propter hæc ſuſpenſo eſſe, nolite ſollicitudine cruciari.

Tonsio. *Poſt tonſionem regis*. (non *gregis*, ut male quidam legunt.) Amos VII. 1. Poſtquam rex Aſſyrius cum ſuo exercitu ita nos depaſtus fuerat, ut locuſtarum agmina vaſtant agros, ac veluti tondent. cetera dixi in Voc. *Fictor*.

Topheth. Vide *Thopheth*.

Torcular. *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda*. Thr. I. 15. Vinum iræ ſuæ ac ſuplicii graviſſimi exhaurire Jeroſolymam coegit.

2. *Pro torcularibus*. In titulo Pſalmi VIII. & aliorum. Vel genus quoddam inſtrumenti muſici ſignificatur, in decantando pſalmo hoc adhibendi: vel gratiarum actio pro ubere vindemia indicatur.

Torrens. Reprehenduntur *immolantes parvulos in torrentibus*. Iſ. LVII. 5. Damnat abominanda ſacrificia, quibus in valle Ennom ad torrentem Cedron Molocho liberos immolabant. Idcirco *filii auguratricis --- & fornicariæ* (ibid. v. 3.) a Propheta dicuntur, Synagogæ nimirum a Deo vivo ad deos inanimos averſæ:

ſæ:

ſæ: cui hæc ipſa perfidia ſub adulterii metaphora exprobratur ibid. v. 7. ſq.

2. Torrens ſpinarum. Vocationem gentium ad religionem veram & ſalutem æternam imaginibus amœniſſimis illuſtrans Joel, etiam *torrentem ſpinarum* nominat, III. 18. Spinæ hæ ſunt arbores viriditatis jucundiſſimæ, & ligni nunquam putreſcentis.

Torris. Jeſus pontifex maximus a Deo *torris* appellatur *erutus de igne*. Zach. III. 2. Sicuti torris, ne omnino conſumatur, ex igne extrahitur: ita ſummus hic ſacerdos e captivitate Babylonica cum ſuis eductus eſt, ne & ipſe, & ſpes tota populi electi penitus interiret.

Trado. *Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: ut tradas eos in manus tuas*. Pſ. IX. 35. Intueris impios, Judex æquiſſime, & conſideras omnem moleſtiam ac dolorem, quibus innocentes vexant: & nunc quidem diſſimulas, ſed conſtituto tempore illos juſtitiæ tuæ puniendos ſubjicies.

Traductio. De plaga tenebrarum, quæ Ægyptiis triduo toto incubuit, Salomon ita ſcribit: Paſſi ſunt *impotentem vere noctem*, plane inſuperabilem, nullius luminis ope depellendam; *& ab infimis, & ab altiſſimis inferis ſupervenientem*, enatam velut ex ipſo orco, & quidem e profundiſſimo ejus barathro: *eundem ſomnum dormientes*, i. e. attoniti, & eodem omnes defixi ſtupore; *aliquando monſtrorum exagitabantur timore*, (ſpectris animalium & ſerpentum ſibilis commoti, ut v. 9. dixerat;) *aliquando animæ deficiebant traductione*, animi defectione, viribus deſtituti. Sap. XVII. 13. ſq.

Traho. *Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet*. poetice dictum Job. XXXIV. 14. Si Deo placuerit, animam & anhelitum homini aufert.

Transcensus. *Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon*. Iſ. XVI. 2. Torrens ſeu fluvius Arnon in finibus erat Moabitidis. Hoſtibus late omnia populantibus, Moabiticæ ſeu puellæ fugitivæ, ſeu oppida in limite ſita ad Arnonis ripam haud aliter trepidabunt, quam aves & avium pulli e nido aufugientes.

Transeo. *Tranſite vobis habitatio pulcra, confuſa igno-*

mi-

minia. Mich. I. 11. *Vobis* eſt pleonaſmus hebraicus, ſoli elegantiæ ſerviens. Exulatum abite, cives regni quondam pulcerrimi, nunc ignominia cooperti.

2. Tranſire in affectum cordis. Pſ. LXXII. 7. Indulgere genio, cupiditates ſuas quaslibet explere.

3. *Lingua eorum tranſivit in terra*. Pſ. LXXII. 9. Quemadmodum *poſuerunt in cœlum os ſuum*, (ibid.) ipſius Dei opera criminantes: ita nulli hominum generi parcunt, terram univerſam carpendi licentia pervagantes.

4. Tranſire & reverti. Hebraiſmus illi ſimilis, quo dicunt, Ingredi & Egredi; aut noſtri, *Handeln und VVandeln*. De hoſtibus a Deo in Judæam immiſſis legimus: *Terra deſolata eſt ab eis, eo quod non eſſet tranſiens & revertens*. Zach. VII. ult. *eo quod* pro *ita ut*: ſic enim fons hebraicus, & res ipſa oſtendit. Terra nudata eſt incolis, ita ut urbibus habitatores deeſſent.

5. Tranſire & corruere. Qui verbis meis non auſcultaverint, inquit Propheta Evangelicus, *non erit eis matutina lux*, veritatis lux eis non orietur. *& tranſibit per eam, corruet, & eſuriet*. unuſquiſque illorum, dum per terram tranſibit, ruet præ laſſitudine; nec inveniet, quo vires reficiat. quapropter iratus *maledicet regi ſuo, & deo ſuo* falſo: *& ſuſcipiet ſurſum. Et ad terram intuebitur*; utrumque incaſſum: nam neque cœlum, neque terra auxilium feret. Iſ. VIII. 20. ſqq.

Transitus. *Pavebit Aſſur virga percuſſus: & erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & citharis*. Iſ. XXX. 31. ſq. Non dicitur tranſitus iræ, quaſi cito receſſuræ: ſed erit ira ſtabilis ac ſolida: virga Domini, cum ad Aſſur tranſierit ac pervenerit, inhærebit, ac perſeveranter eum cruciabit, plaudentibus bonis omnibus. Allegorice, de Antichriſto, Satana, omnibuſque impiis ultimo illo judicii die, de quo Capitis hujus pars ſuperior egit.

Transmigratio. Pro ipſis exulibus, qui tranſmigrarunt. *Locutus ſum ad tranſmigrationem omnia verba Domini*. Ez. XI. ult. Sic & Zach. VI. 10., ubi chaldaica diſerte: *a filiis tranſmigrationis*.

2. *Tranſmigratio exercitus hujus*. Abd. v. 20. De Meſſiæ exercitu loquitur, ac præſertim de illius ducibus

Apo-

Apoſtolis. Hi (ibid. v. 19. ſq.) omnes orbis terræ provincias, quarum aliquæ pro omnibus enumerantur, Chriſti imperio ſubjicient, uſque ad Sareptam, & ultra Boſphorum; i. e. uſque ad Galliam, & Hiſpaniam; ut viri doctiſſimi cum ipſis Hebræis interpretantur.

Transmigro. Aliquando active, pro expello, in exilium ago. *Gaude nunc, & lætare filia Edom - - -* inſulta mihi, in captivitatis meæ malis tabeſcenti: ſed ſcito, *ad te quoque perveniet calix* ſimilium calamitatum. Thr. IV. 21. Tu vero erige animum, o patria! *Completa* (expiata per captivitatem hanc) *eſt iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra ut tranſmigret te.* v. ſq. Nunquam deinceps in exilium Dominus te amandabit.

Tres. Interdum numerus certus pro incerto. *Tribus vicibus*, i. e. ſæpius. Job. XXXIII. 29. Diſſimulat & connivet Dominus *ſuper tribus ſceleribus Damaſci*, aliarumque urbium & gentium, Amos I. 3. ſqq. II. 1. ſqq. certum quendam numerum tacitus ac patiens prætermittit: ſed menſura impleta ſupplicium de reis ſumit.

Tribulo. *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei ejus ſalvavit eos.* Iſ. LXIII. 9. Humano more de Deo loquens, Non eſt, inquit, in ſublevandis populi ſui ærumnis defatigatus: indefeſſo amore cœleſtem genium, qui coram eo aſtat, defenſorem & liberatorem miſit. Allegorice angelus hic eſt Chriſtus, Facies & Imago Patris.

Trico. *Hora ſurgendi non te trices.* Eccl. XXXII. 15. Noli moram producere, ubi tempus erit ſurgendi, non mane e lecto, ut commatici meditantur; ſed de convivio: præcepta enim convivalia toto hoc loco Siracides tradit.

Trieris. Græcum, triremis. *Neque trieris magna tranſgredietur eum*, locum domicilii tui. Iſ. XXXIII. 21. Tentare te nec audebunt, nec poterunt hoſtes externi ſuis claſſibus. Eandem eccleſiæ ſecuritatem ac perpetuitatem ſignificant *laxati - - - funiculi*, ibid. v. 23. Tabernaculum tuum ampliſſimum eſt, late extenditur: nec ullus hoſtium id expugnabit: *& non prævalebunt*. ibid.

Tri-

Triplicitér. Pro valde, vehementer. *Tripliciter ſol exurens montes*. Eccl. XLIII. 4.

Triplico. Ez. XXI. 14. Expoſui in Voc. *Duplico*.

Tristega. Græcum; trium contignationum. Gen. VI. 16. Ez. XLII. 6.

Tritura. Populus electus dicitur *tritura mea*, & *filii areæ meæ*. Iſ. XXI. 10. Labor meus, frumentum meum. Baptiſta quoque ait, de Chriſto loquens: *purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in borreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Luc. III. 17

Trituro. Syris, quorum urbs præcipua Damaſcus erat, denunciatur pœna crudelitatis, *eo quod trituraverint in plauſtris ferreis Galaad*. Amos I. 3. Sciderant & concerpſerant Syri Galaaditas plauſtris, quorum rotæ ferratæ ac dentatæ erant: ut ergo frumenti tritura plauſtris peragebatur illis temporibus, & noſtris quoque alicubi peragitur: ita ſæviſſimi hoſtes cruentam humanorum corporum trituram exercuerant.

2. Pro comminuo, frango, in nihilum redigo. *Triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur paleæ in* (i. e. a) *plauſtro*. Iſ. XXV. 10. Allegorice, impii in extremo judicio ſub pedibus juſtorum peribunt, quod eo loco per plures metaphoras declaratur. Sic Hieroſolyma ſub imagine vitulæ robuſtiſſimæ evocatur ad trituram, i. e. ad conterendos populos, Mich. IV. 13. de quo dictum Voc. *Fœnum*, §. 2.

Trulla. Viſio Prophetæ Amos: *Ecce Dominus ſtans ſuper* (i. e. juxta, prope) *murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarii*. Amos VII. 7. Similitudo ducitur a pariete, qui calce, bitumine, vel etiam luto incruſtatur, & adverſus aeris injurias munitur. Minatur Deus: *ponam trullam ---- non adjiciam ultra ſuperinducere eum*, parietem Iſraelis. ibid. v. 8. deſinam populum meum protegere.

Tumultus. Rex Ægypti Jer. XLVI. 17. vocatur Tumultus, quem *adduxit tempus*, deſtinatum a Deo tum ipſi, tum regno toti plectendo. Genus vaticinii onomaſtici, cujus exempla habes in Voc. *Nomen*, §. 6.

Turba. Eccl. XVIII. 32. Locus non parum impeditus: quem enodavi in Voc. *Commiſſio*.

Tur-

Turbo. Deus *in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri*. Zach. IX. 14. Hoſtes Eccleſiæ ſuæ debellabit, & proſternet, ut turbo a meridie irruens.

Turris. *Et tu, turris gregis nebuloſa, filia* (non *filiæ:* nam & fons hebraicus, & LXX. habent *filia*) *Sion, uſque ad te veniet poteſtas prima, regnum filiæ Jeruſalem*. Mich. IV. 8. Urbem Jeruſalem ac templum nuncupat turrim, propter altitudinem & firmitatem; gregis, propter populum ei obedientem; nebuloſam, propter miſeriarum & errorum caliginem. Redibit ad te, inquit, poteſtas prima, ſive, ut habet Chaldæus, priſca, dum per Chriſtum, ſedis Davidicæ hæredem, & Regem domus Jacob æternum, ſumma dignitas obtinget urbi Hieroſolymæ: eam enim Meſſias & in templo publice docens, & prodigiis admirandis beneficus, & in cruce moriens, & reſurgens e tumulo, & in cœlum aſcendens, Spiritumque Divinum e cœlo mittens nobilitavit.

Typus. David, capta urbe Rabbath, ſeverum ſupplicium Ammonitis conſtituit: *Populum quoque ejus adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta; diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon*. II. Reg. XII. ult. *Fecit ſuper eos tribulas, & trabas, & ferrata carpenta tranſire, ita ut diſſecarentur, & contererentur*. I. Par. XX. 3. Ex quibus ſatis apparet, quis ille typus laterum ſit: nempe plauſtra & vehicula alia ferrata, & cultris armata, ſuper eorum corpora circumduci David juſſit: quorum pondere, & ferri acie, inſtar laterculorum diſcindebantur.

Tyrus. *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine*. Oſ. IX. 13. Si Ephraim ſeu regnum Iſraelis reſpiciebam, videbam illud non minus florens & opulentum, quam Tyrus erat. Sed quia a religione vera deſcivit, *educet ad interfectorem filios ſuos*. ibid. orbitate, & graviſſimis in captivitate malis caſtigabitur.

V.

VACCA. *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ*. Amos IV. 1. Sub hac metaphora optimates regni Iſrael alloquitur, & minatur: *levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus*. v. 2. in fruſta vos concident, capita & artus haſtilibus infixa circumferent, carnes in lebetibus coquent. *Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon*. v. 3. Superſtites autem per diruptas undique ſepes abigentur diverſæ, & ultra montes Armeniæ expellentur. Denunciatur aliis cædes, exilium aliis.

VACUITAS. *Per vacuitatem ſuam*. Sap. XIII. 13. per otium.

VACUUS. Cavenda linguæ vitia: *quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit*. Sap. I. 11. Sermo pravus, etſi clandeſtinus, impune non abibit.

2. *Habui menſes vacuos*. Job. VII. 3. omnis boni & ſolatii expertes. In vita hac, quam ago, nihil ineſt optabile.

VADO. *In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient: ablatus eſt ab eis*. Oſ. V. 6. Hoſtiis eum placare aggredientur, ſed conatu inutili: deſeruit enim ſimulacra ſectantes.

VAGINA. Nabuchodonoſorem Ezechiel XXI. 28. appellaverat Mucronem Domini, quod juſſu DEI pœnas de Hebræis expetiturus eſſet. Quoniam vero ille abuſus erat poteſtate conceſſa, inquit idem Propheta: *Revertere ad vaginam tuam*, redi in patriam: *in loco, in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te*. ibid. v. 30. Tibi quoque pœnæ debitæ irrogabuntur: domi te cum tuis Darius & Cyrus conſument.

VAH. Pro hinnitu equi generoſi. Job. XXXIX. 25 Contextum dedi in Voc. *Sorbeo*.

VALLIS. Amplitudinem Hieroſolymæ prænuncians Jeremias, ait: *Ædificabitur civitas Domino*. XXXI. 38. cujus limites dum deſignat, nominat etiam *vallem cadaverum, & cineris, & univerſam regionem mortis*. v. 40 Vallis cadaverum eſt ea, ubi percuſſi Aſſyrii CLXXXV.

M. cui

M. cui explicationi favent chaldaica. Vallis cinerum, quo templi cineres, rudera, aliaque purgamenta egerebantur. Regio mortis dicitur locus, ubi ultimo ſupplicio rei afficiebantur. Hos ceteroſque urbis ſanctæ terminos, ab Jeremia hic memoratos, qui explicare literali ſenſu conati ſunt, & ad Hadriani tempora vaticinium hoc retulerunt, vix ac ne vix quidem conſiſtere potuerunt. Alii ad Antichriſti tempora confugientes, tunc eam fore Hieroſolymæ magnitudinem ſperant. Joannes Mariana, hiſtoricus idem & Paginæ Sacræ interpres excellens, hoc loco ait: *Numquam ea amplitudine murum Hieroſolymitanum fuiſſe puto; ſed ea loca ſuburbiis occupata urbi annumerari*. Allegorice, de Chriſti Eccleſia, quæ vere eſt; *Sanctum Domini*, quæque *non deſtruetur ultra in perpetuum*, ut ibidem dicitur.

2. Vallis conciſionis. *Populi populi in valle conciſionis: quia juxta eſt dies Domini in valle conciſionis*. Joel. III. 14. Omnes populi in valle Joſaphat prope Hieroſolymam: appropinquat dies, qua Deus ibi hoſtes ſuos exſcindet, & ad internecionem delebit.

3. *Onus vallis viſionis*. Iſ. XXII. 1. LXX, vallis Sion. Cum ergo in valle Sionis montis urbs Hieroſolyma ſita fuerit, indicatur vaticinium contra eam urbem.

4. Vallis *montium meorum*. Zach. XIV. 5. ubi alii legunt *montium eorum*. Vallis eſt, quam mons templi & mons Sion proprie dictus efficiunt, uti dixi Voc. *Mons*, §. 3.

Vanitas. *Mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum*. Pſ. LXI. 10. ut decipiant fraudulenter univerſi ſimul.

2. Accipere in vanitate. *Si occideris DEUS peccatores: viri ſanguinum declinate a me: quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas*. Pſalm. CXXXVIII. 19. ſq. Quando impios occides Deus, dicam eis: Recedite a me, viri ſanguinarii: vos enim ad Dominum intra vos ipſos ſcelerate dicitis: Servi tui incaſſum occupabunt poſſeſſionem urbium, a te ipſis deſtinatarum, quippe a nobis brevi iiſdem exturbandi. Ex hebraico fonte poſſis etiam de impiis ul-

tima intelligere: Abuſi ſunt ad vanitatem & crimina bonis a Deo ſibi impertitis.

3. Vanitates pro impiis falſorum deorum religionibus. Baaſa & Ela, reges Iſraelis, *peccaverunt, & peccare fecerunt Iſrael, provocantes Dominum* Deum *Iſrael in vanitatibus ſuis*. III. Reg. XVI. 13. *Ambulavitque* rex Iſraelis Amri *in omni via Jeroboam filii Nabath, & in peccatis ejus, quibus peccare fecerat Iſrael: ut irritaret Dominum* Deum *Iſrael in vanitatibus ſuis*. ibid. v. 26 adorando nimirum vitulos a Jeroboamo erectos. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra, miſericordiam ſuam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi*. ita Jonas in ventre ceti, II. 9. ſq. Qui deorum ſimulacra inutili labore ſectantur, auxilium ipſi ſuum refugiunt, Dei veri miſericordiam & favorem deſerentes: ego autem, quod ſolum hoc loco poſſum, tibi immolò, Deus, preces & laudes. *Secutique ſunt vanitates, & vane egerunt: & ſecuti ſunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum*. IV. Reg. XVII. 15. Vicinarum gentium deos ſecuti, ſuperſtitioſe eos venerati ſunt, & proximorum populorum ſcelera æmulati.

Vapor. *Dabo prodigia . . . . ignem, & vaporem fumi*. Joel. II. 30. Totus locus extat Voc. *ſanguis*, §. 1.

Varietas. Regina ad ſponſi dexteram aſtat *in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Pſ. XLIV. 10. auro optimo ac puriſſimo (eſt enim hebraice aurum ex Ophir) & omni ornamentorum genere illuſtris.

Vario. *Contracta eſt anima mea in eis: ſiquidem & anima eorum variavit in me*. Zach. XI. 8. Piguit me populi hujus, quandoquidem & ipſum piguit mei. Chaldaice: anima eorum deteſtata eſt cultum meum. In mei locum ſubſtituit vitulum.

Vas. Hebræis omne inſtrumentum dicitur Vas. *Unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua . . . . uniuſcujuſque vas interitus in manu ejus*. i. e. telum, quo perimat. Ez. IX. 1. ſq. *Conſtituebat eas*, urbes, *ut eſſent vaſa munitionis*, i. e. munimenta. I. Mach. XIV. 10. *Vaſa mortis*, letiferæ Dei ſagittæ. Pſ. VII. 14. *Confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam*. Pſ. LXX. 22. VA-

22. vario inſtrumento muſico eam laudabo. *In vaſis cantici David*. II. Eſdr. XII. 35. Supellectili muſica in Davidicis carminibus uſitata. *Vaſa tranſmigrationis*. Jer. XLVI. 19. Apparatus viatorius, neceſſarius exulatum abeuntibus. *Vas electionis*, Paulus. Act. IX. 15. Lectiſſimum proferendæ Divinæ gloriæ inſtrumentum.

2. Vaſa pro humanis corporibus. *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore*, I. Theſſ. IV. 4. *Fuerunt vaſa puerorum ſancta*, inquit David: famulorum, qui me ſequuntur, corpora munda ſunt. & addit: *porro via hæc polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis*. i. e. expiabitur immunditia legalis, quam corpora noſtra ex hac via contraxerunt. I. Reg. XXI. 5.

3. *Vaſa iniquitatis bellantia*. Gen. XLIX. 5. Hebraice legitur: Vaſa iniquitatis gladii eorum. Simeonis videlicet ac Levi, qui Sichimitas armati contra jus & fas oppreſſerunt. Gen. XXXIV. 25. ſqq.

4. *Vas caſtrorum*, luna. Eccli. XLIII. 9. Luna eſt inſtrumentum præſtans in Dei caſtris, ſeu in militia cœleſti: ſic enim ſtellas Divinus Codex appellat. Si, ut quidam volunt, ſtellæ ipſæ ſignificarentur, non diceretur *vas*, ſed hebraico more *vaſa caſtrorum*.

5. Vaſa virtutis. *Coronavit eum*, Deus Aaronem, *in vaſis virtutis*. Eccli. XLV. 9. Circumdedit eum veſtibus poteſtatem Pontificiam declarantibus.

6. Vaſa papyri. *Mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas*. Iſ. XVIII. 2. Probabilius ſermo eſt de Æthiopia, ut monui Voc. *Cymbalum*. Mittit hæc legatos in navibus junceis. LXX. habent epiſtolas papyraceas; quas nimirum legati deferunt.

Vastitas. Iſraelitis fugam in Ægyptum meditantibus Propheta obnunciat: *Quid facietis in die ſolemni, in die feſtivitatis Domini?* neque enim celebrare illum poteritis, abſque templo, abſque altari & legitimo ſacrificii apparatu. *Ecce enim profecti ſunt a vaſtitate:* propter patriæ vaſtationem fugerunt; ſed non reverſuri: nam *Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos*, Oſ. IX. 5. ſq.

VATICINATIO. *Formido, & laqueus facta eſt nobis vaticinatio, & contritio.* Thren. III. 47. Prophetarum, qui mala hæc nobis prænunciarunt, vaticinia primum terrori mihi fuere; nunc laqueus, & interitus mihi facta ſunt. Idcirco *diviſiones aquarum deduxit oculus meus.* v. ſq. rivos lacrymarum profudi.

VECTIS. *Conteram vectem Damaſci* Amos. I. 5., i. e. omnem robur, ut arcere jam hoſtem non poſſit. *Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus uſque ad Segor vitulam conternantem.* Iſ. XV. 5. Ex animo doleo & gemo propter gravia Moabitarum mala: vectes enim ejus, i. e. propugnatores, fugient uſque ad urbem ſegor, florentem & petulantem inſtar vitulæ trium annorum. Nominantur hoc Capite & aliæ plures regni Moabitici urbes.

2. Serpens vectis. Iſ. XXVII. 1. Satanas ibi appellatur Leviathan, ſeu cetus, quaſi vaſtiſſimus quidam ſerpens; & quidem vectis, ideo, quia valide includit eos, quos cepit.

VENATOR. *Univerſi venatores.* Ez. XXXII. 30. prædones, tyranni. Hebraice & Chaldaice, Sidonii.

VENDO. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Pſ. XLIII. 13. Permiſiſti, ut hoſtes noſtri levi brachio nos vincerent, pœne abſque ullo labore: illi autem exiguo pretio ceu mercem viliſſimam nos addixerunt.

VENTER. Cum dicitur metaphorice, ejuſdem omnino ſenſus & elegantiæ apud Hebræos eſt, cujus apud Latinos pectus & præcordia. *Verba bilinguis, quaſi ſimplicia: & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Prov. XVIII. 8. alte in animum penetrant. *Audivi, & conturbatus eſt venter meus,* i. e. animus. Hab. III. 16. *Venter meus ad Moab, quaſi cithara ſonabit.* Iſ. XVI. 11. Dolor e præcordiis carmen hoc lugubre mihi extorquet, adeo me miſeret pereuntis Moab. *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Jer. IV. 19. Totum pectus laceratur mœrore, intimo dolore conficior; ob imminentem Chaldæorum irruptionem, quos jam audire ac videre identidem mihi videor.

VENTILO. *Non ventiles te in omnem ventum, & non*

eas

eas in omnem viam: ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Eccli. V. 11. Noli cuivis cupiditatis vento agitandum te ultro permittere, & omnem viam ſectari: ex hac enim mobilitate & inconſtantia homo pravus agnoſcitur.

Ventus. *Elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valide*. Job. XXX. 22. Sublimem me vento ferendum dediſti, quo repente deſtitutus, toto pondere ex alto decidi, & eliſus ſum. In excelſo fortunæ gradu me collocaſti, ut lapſu graviore ruerem.

2. Quatuor venti. *Fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cœli diſperſi vos*. Zach. II. 6. Fugite e Babylone! in quatuor enim orbis terrarum latera, in omnes plagas, a me disjecti eſtis: ſed inde vos colligam, & reducam. *O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis*. v. ſq. quæ in Babylone exulas, redi in ſedem patriam. Sic & Ezechiel, ut animentur oſſa arida, jubetur clamare: *A quatuor ventis*, a quatuor mundi plagis, undique, *veni ſpiritus*! Ez. XXXVII. 9.

3. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent*. Oſ. VIII. 7. Dum ſimulacra ſua adorant, uberem ab eis mercedem & proventum ſperant: ſed nil niſi perturbatio & ſupplicia ex impietate hac enaſcentur.

4. Ventus urens, de deſerto aſcendens. Oſ. XIII. ult. Meſſias ex oppido Bethlehem: ut in totius loci illius explanatione dictum eſt Voc. *Morſus*.

Venundo. Elias ad impium regem Achab: *Inveni, eo quod venundatus ſis* (hebraice, vendidiſti te) *ut faceres malum*. III. Reg. XXI. 20. *Non fuit alter talis ſicut Achab, qui venundatus eſt* (hebr. vendidit ſe ipſe) *ut faceret malum*. ibid. v. 25. ſervituti ſcelerum ultro ſe ipſe addixit. Idem ſenſus eſt. I. Mach. I. 16.

2. Cæcus venundatus. *Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini?* Iſaias XLII. 19. Cæcitatis arguitur populus Dei, & venundatus dicitur, ſive quia criminum erat mancipium, ſive quod immortalibus prorſuſque inſolubilibus beneficiis obligatus Domino eſſet.

3. *Gratis venundati eſtis*. Iſ. LII. 3. Tam Ægy-

prii, quam Chaldæi & Aſſyrii, ſine cauſſa ſatis juſta populum meum, inquit Dominus, ſervituti addixerunt: *Aſſur abſque ulla cauſſa calumniatus eſt eum*. ibid. v. ſq.

Verbum. Paſſim apud Hebræos ſignificat rem. *Quod eſt verbum, quod factum eſt? indica mihi*. II. Reg. I. 4. Indica rem, ut geſta eſt. *Poſt hæc autem verba congregavit Timotheus exercitum alium*. I. Mach. V. 37. id eſt, poſt eas res peractas: neque enim ſermones ulli, ſed mera facta ſuperioribus verſiculis narrata erant. *Feceruntque verba peſſima*, cum tamen vetuiſſet Dominus, *ne facerent verbum hoc*. IV. Reg. XVII. 11. ſq. Perpetrarunt res peſſimas... ne rem hanc committerent. *Non fuit verbum*, non fuit res ulla, nihil fuit, *quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua*. Iſ. XXXIX. 2. *Paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt*. Luc. II. 15. Haud ſane Verbum Divinum, quod caro factum eſt: tantum enim myſterium rudes illi nondum tum aſſequebantur: ſed videre cupiebant rem geſtam, quam cœleſtis Nuncius indicarat. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*. ibid. v. 17.

2. Sapientia verbi. I. Cor. I. 17. Eloquentia, ſermo diſertus.

3. *De verbo ſociorum* 3. *& viatorum*. Eccli. XLII. 3. Connecte ex v. 1., Non te pudeat, Noli erubeſcere: quod per octo primos hujus Capitis verſiculos intelligendum eſt. Non te pudeat negotia ſociorum & peregrinorum tractanda ſuſcipere; *& de datione hæreditatis amicorum* (ibid.) & amicorum hæreditatem juſte diſtribuere, ſi officium hoc tibi committatur.

Veritas. Pro æquitate, & fidelitate. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem*. Joann. III. 21. qui æquitatis tenax eſt. *Non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam*. Iſ. XXXVIII. 18. Mortui, qui tumulo inferuntur, Divinam tuam fidelitatem in promiſſis exolvendis, ſeu, ut eſt in græco, miſericordiam tuam, jam non expectant. *Benedictus Dominus* Deus *domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam a domino meo*. Gen. XXIV. 27.

qui

qui miſericors & fidelis ea præſtat, quæ domino meo Abrahamo pollicitus eſt. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates a filiis hominum*. Pſ. XI. 2. Noli cum multis interpretari de veritatibus æternis, quas quia pauci meditantur, ideo pauci ſancti ſunt. Certum id quidem: ſed vera hujus loci ſententia eſt hujuſmodi: Eripe me periculis his, quandoquidem nemo jam, aut vix quisquam, ſupereſt ſanctus, nulla pœne fidelitas reperitur. Quapropter pergit v. ſq. *Vana locuti ſunt unuſquisque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde, & corde locuti ſunt*, i. e. duplici & fallaci animo.

2. Veritatem auctori concedere. Machabæorum ſcriptor de ſe ita profitetur: *Veritatem quidem de ſingulis, auctoribus* (græce, auctori, ſcriptori) *concedentes, ipſi autem ſecundum datam formam brevitati ſtudentes*. II. Mach. II. 29. Qui Divinam auctoritatem libris Machabæorum detrahere conantur, verba hæc ita torquent, ſcriptorem nihil certi habere de rebus, quas narrat, ſed fidem penes auctores primos relinquere. Sed veram ſacri Hiſtorici mentem fons græcus demonſtrat, in quo pro noſtro *veritatem de ſingulis* aperte habemus, *accuratam ſingulorum deſcriptionem, minutam ſingulorum narrationem*. Idque exigit, quod ſequitur, *brevitati ſtudentes*: inepte enim brevitatem opponeret veritati certæ & exploratæ, quæ conſiſtere cum brevitate maxima poteſt. Hoc ergo dicit, inſtituti ſui non eſſe, ut ſingula quæque diſtincte & explicate percenſeat; id a ſe relinqui hiſtoriæ plenæ & abſolutæ auctoribus, qualem eſſe dixerat Jaſonem Cyrenænm, v. 24. ſe vero in epitomen res conferre, & omiſſis ceteris illuſtriſſimos quoſque eventus excerpere. Sicut architecti eſt, ut v. 30. inquit, ſingulas ædium partes curare, & perficere; pictoris autem, præcipuas tantum & maxime conſpicuas in tabella proponere.

Vermiculus. Pro cocco ſeu coccino. Interpres noſter promiſcue utrumque uſurpat. Sicut Lev. XIV. 4. dixerat *lignum cedrinum, vermiculumque, & hyſſopum*: ita v. 6. ait: *cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo*.

ſopo. Apud Iſaiam I. 18. peccata dicuntur *ut coccinum* & *quaſi vermiculus* rubra: ubi pro coccino hebraice eſt dibaphum, ſeu purpura bis tincta.

2. *Tenerrimus ligni vermiculus*. II. Reg. XXIII. 8. Non hoc dictum eſt de Davide, ut perperam aliqui opinantur: ſed nomen eſt primi e tribus Davidis heroibus, qui fuit Adino Aſonæus, alio nomine Jesbaam: duo reliqui ſunt; ut ſequitur, Eleazar & Semma. Poſitum eſt nempe hic, ut alibi ſæpius, ab interprete nomen appellativum loco proprii.

Vermis. *Noli timere, vermis Jacob*. Iſ. XLI. 14. popule meus, contempte, imbellis, quem hoſtes conterere ſe pedibus poſſe putant.

Vertex. *DEUS confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli*, verticem commatum, *perambulantium in delictis ſuis*. Pſ. LXVII. 22.

Verto. *Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lucem*. Job. XVII. 12. Curæ meæ ac dolores vigilare me totas noctes cogunt: quo tempore diem ſolatii cauſſa anxie expecto. Vides, quam longe a ſanctiſſimi viri ſenſu abeant commatici illi, qui verbis his in pervigilationes comeſſantium ac ludentium inveluntur.

Vestigium. *Lux DEI, veſtigium ejus eſt*. Eccl. L. ult. Cœleſtis ſapientiæ Divina lux viri boni greſſum dirigit, ut dicere poſſit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Pſ. CXVIII. 105.

2. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris*. Eccl. XXI. 7. Juſtam reprehenſionem odiſſe, indicium eſt pravi animi. Græce eſt, in veſtigio. i. e. in via peccati ambulat.

Vestimentum. In graviſſimo illo regni motu, fluctuantibus rebus omnibus arripient obvium quemque, dicentes: *Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua*. Iſ. III. 6. Siquem ſplendide veſtitum conſpexerint, principatum ei deferent, ut bonum publicum ſua manu ſuſtentet, & ruinam prævertat. Ille autem (v. ſq.) prudenter abnuet, negans, afferre ſe medicinam poſſe tantis reipu-

reipublicæ malis, aut opibus ad id neceſſariis valere.

2. Veſtimenta abominantia. *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea*. Job. IX. 30. ſq. Quantacunque diligentia manus lavero, ſanies tamen interior corporis per veſtes emanat, quæ morbum latentem produnt, ut omnes me abominentur & fugiant. Sic, etſi opera mea coram te excuſem, Divina tamen tua cognitio etiam intimos nævos detegit, & in lucem profert.

3. Veſtimentum iniquitate opertum. Malachias Capite II. graviſſime reprehendit eos, qui mera libidine incitati uxores legitimas paſſim repudiabant. Inter alia inquit: *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus DEUS Iſrael: operiet autem iniquitas veſtimentum ejus*. Mal. II. 16. *ejus* in hebraico generis eſt maſculini, ac proinde ad virum repudiantem, non ad conjugem repudiatam trahendum eſt. Veſtimentumm pro corpore dicitur, ut magnus Hieronymus annotavit. Primam verſiculi partem ironice quidam accipiunt: Age, dimitte, quam averſaris: ſed expecta ultoris Dei manum. Alii affirmate ac ſerio dictum cenſent, & odium juſtum intelligunt, e mulieris adulterio ortum, propter quod eam repudiare per legem viro licebat. Eadem utrinque ſententia naſcitur: Si ob aliam cauſſam, quam quæ lege permittitur, uxorem rejeceris, peccatum & pœna totum corpus tuum contaminabit & obruet.

4. Veſtimenta lacerare. Doloris maximi ſignum erat, quod legimus Joſ. VII. 6. Jud. XI. 35. II. Reg. I. 11. & alibi. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*. Joel. II. 13. Non externa doloris indicia, ſed verum intimum pœnitentis animi dolorem a vobis poſco.

Vestis. Caſtigabuntur a Deo *omnes qui induti ſunt veſte peregrina*. Soph. I. 8. qui deos gentium externarum adorant, veſtitu ipſo peregrinitatem religionis profeſſi. Ita D. Hieronymus, & chaldaica.

Veterasco. *Auxilium eorum veteraſcet in inferno a gloriam eorum*. Pſ. XLVIII. 15. Impiis poſt mortem non jam proderit ſua potentia, & omnis eorum gloria conſeneſcet.

Ve-

Vetustas. *Ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur uſque ad vetuſtatem*. Iſ. XXIII. 18. Tyrus Sacerdotibus & Levitis templi Hieroſolymam dona mittet adeo copioſa, ut & ad victum, & ad veſtitum diuturnum ſufficiant.

Via. Tria ſibi difficilia, & quartum ignotum eſſe fatetur Salomon; *viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia*. Prov. XXX. 19. Incitatus quidem eſt lapſus aquilæ per aerem, ſerpentis in rupe, navis per mare; nec ullum ſui relinquit veſtigium: incitatior tamen & occultior eſt cupiditas juvenis, quæ cum ætatis flore celeriter præterit, & lætitiæ ſuæ veſtigium ſupereſſe non ſinit. Hanc Salazarii expoſitionem in ſenſu literali ceteris etiam ideo antepono, quia protinus addit Salomon: *Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit: Non ſum operata malum*. v. ſq. En libidinem libidini, occultationem occultationi comparatam: *Talis eſt*. Allegorice magni auctores de Chriſto interpretantur: & poteſt, ſi verba ſola ſine contextu reſpicimus, via viri in adoleſcentia, ſeu adoleſcentula, ut aliqui vertunt, aptari Chriſto concepto a Virgine, & in ætate tenerrima viro perfecto; via navis, eidem in immenſo dolorum mari vitam finienti; via ſerpentis, e ſepulcrali ſaxo ad vivos redeunti; via aquilæ, in cœlum aſcendenti.

2. Via cum genitivo loci. Hebraice pro via ad eum locum ducente uſurpatur. *Via maris*, Iſ. IX. 1. & Matth. IV. 15. eſt via ad mare, quod mediterraneum appellamus. Via Ephratæ, Gen. XLVIII. 7. eſt *via quæ ducit Ephratam*, ut conſtat ex Gen. XXXV. 19. Via Aegypti, Auſtri, Aquilonis, eſt via verſus eam plagam.

3. Via pro conſuetudine ſeu more. *Arrognatiam, & ſuperbiam, & viam pravam*, i. e. mores malos *& os bilingue deteſtor*. Prov. VIII. 13. Sic paſſim in Divino Codice viæ hominum pro illorum moribus, & viæ Dei pro Divino agendi modo dicuntur. Huc revocari ſolet illud Iſ. X. 24. & 26. ubi Aſſyrius dici-

dicitur elaturus baculum contra Judam *in via Aegypti*; ſed flagellandus a Deo *juxta plagam Madiam in petra Oreb*, & *in via Aegypti*. Eadem crudelitas in Sennacheribo fuit, quæ olim fuerat in Pharaone: utrique propoſitum erat, Hebræos delere. Sed a Deo ipſe cum ſuis deletus eſt, ut Madianitæ cum ſuo principe Oreb, & Aegyptii cum rege ſuo Pharaone.

4. *Vivit deus tuus Dan, & vivit via Berſabee*. Amos VIII. ult. Exclamatio impia Iſraelitarum, vitulis ſuis plaudentium, qui in Dan & Berſabee adorabantur. Berſabee urbs in finibus regni Iſrael verſus Auſtrum ſita erat. Itaque laudatur *via Berſabee*, ſeu peregrinatio eo ſuſcepta, utpote longior; imo & periculoſior, videlicet per regnum Juda, ſæpe hoſticum: quapropter hæc profectio, quanto plus habebat incommodi, tanto religioſior ab inſanis vitulorum clientibus ducebatur.

Viator. *Interrogate quemlibet de viatoribus*. Job. XXI. 29. quemvis de vulgo, de trivio. q. d. nemo eſt tam vilis, quin hæc intelligat.

Vice. Joannis Baptiſtæ pater Zacharias, ſacerdos erat *de vice Abia*. Luc. I. 5. Sacerdotales familiæ numerabantur quatuor & viginti, quæ mutatis inter ſe vicibus in templo miniſtrabant. Stirps ſeu poſteritas Abiæ inter has erat ordine octava, ut ex I. Par. XXIV. 10. diſcimus.

2. *Per vicem hanc*. Jer. XVI. ult. hac vice. LXX. hoc tempore.

Vicinus. *Putaſne DEUS e vicino ego ſum, dicit Dominus, & non DEUS de longe?* Jer. XXIII. 23. Tune cœleſtia tantum, non etiam humana intueri me putas? aut ea tantum ſcire, quæ palam geruntur, non quæ clanculum? *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum? dicit Dominus. nunquid non cælum & terram ego impleo?* v. ſq.

Victima. *Domus plena victimis*. Prov. XVII. 1. id eſt, epulis: peracto enim ſacrificio, niſi holocauſtum eſſet, quod totum cremabatur, victimæ carnibus veſcebantur.

Victus. Pro vita. *Vir reſpiciens in menſam alienam*,

nam, otioſus paratus, aliena tantum quadra vivere cupiens, *non eſt vita ejus in cogitatione victus*. Eccl. XL. 30. Fons græcus habet: in ratione ſeu computatione vitæ. Vita ejus non eſt digna vitæ nomine: inſtar mortui enim torpet, nihil agens. *Vir autem diſciplinatus, & ſapientia eruditus cuſtodiet ſe* ab otio. ibid. v. ſq.

Videns. Olim nomen erat Prophetæ: *qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*. I. Reg. IX. 9.

Video. Hoſtes mei *dixerunt*: *Euge, euge! viderunt oculi noſtri*. Pſ. XXXIV. 21. *viderunt*, nimirum quod cupiebant, pereuntem Davidem. *Oculi mei videbunt in eam*. Mich. VII. 10. videbunt eam pœnas dantem, quas meretur.

2. Pro audire. Cum lex daretur in monte Sina, *populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ*. Ex. XX. 18. Flammas videbat, voces & buccinam audiebat.

3. Pro inviſere. *Si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur*. Pſ. XL. 7. Si me ægrotantem viſitabat, ficta humanitate me ſolabatur: *egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum*: v. ſq. redibat a me ad ſuos, & eadem mihi imprecabatur, quæ illi, nempe interitum.

4. Videre ſe mutuo. Amaſias rex Juda nunciat regi Iſrael Joas: *Veni, videamus nos mutuo*. II. Par. XXV. 17. Collatis ſignis pugnemus, vires mutuo experiamur.

5. *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda*. Amos VII. 12. Abi, o Videns, o Propheta: fuge in Judæam.

Viduo. *Non fuit viduatus*, derelictus, *Iſrael & Juda a DEO ſuo Domino exercituum*: *terra autem eorum repleta eſt delicto a Sancto Iſrael*, i. e. dum ab eo receſſit, dum ab eo averſa eſt. Jer. LI. 5.

Vigilo. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum*: *in manu ejus convolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo*. Thr. I. 14. Expectarunt me peccata mea, quæ vigili oculo Deus reſpexit, donec menſura impleretur, & ille ſcelerum cumulus inſtar jugi graviſſimi me opprimeret.

Vinacia. Inanes uvarum foliculi, qui ſucco expreſſo relinquuntur. Elegantiſſime pro falſis diis, Oſ. III. 1. *Reſpiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia uvarum*.

Vinctus. Ad Meſſiam dicitur: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*.

aqua. Convertimini ad munitionem, vincti ſpei: hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi. Zach. IX. 11. ſq. Electos a te e peccati vinculis & limbi fovea liberaſti per ſanguinem tuum, quo novum fœdus cum Patre ſanxiſti. Reſpicite, o vincti ſperantes, munimentum invictum Eccleſiæ, ac turrim fortiſſimam, nomen Domini. Polliceor vobis hodie DEI nomine, multo majora laboribus & ærumnis præmia vos recepturos. *Quoniam extendi mihi Judam quaſi arcum, implevi Ephraim: & ſuſcitabo filios tuos Sion ſuper filios tuos Græcia*. ibid. v. 13. Ex Hebraica gente miniſtros Evangelii eligam, per quos vana Græcorum numina debellabo, tanquam per arcum validiſſimum, totis eum viribus tendens, quoad reduci poteſt: hoc enim eſt, implere arcum.

VINCULUM. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum*. Iſ. V. 18. Chaldaica dilucide: Væ qui incipiunt paulatim peccare, & peccata augent, ut creſcant & roborentur tanquam vinculum plauſtri. Craſſum funem intellige, nectendo jugo aptum.

VINEA. *Maledicta ſit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum*. Job. XXIV. 18. per viam cultam, amplam, fertilem; proinde & hilarem, commodam, ac utilem.

VINUM. *Vinum damnatorum bibebant*. Amos II. 8. Vide *Pignoratus*.

2. Pro ira ac pœna Divina. *Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit, ſuper quem ſtillatur, populus iſte*. Mich. II. 11. Dictabo ſententiam, eamque ſeveriſſimam: & hic ipſe meus populus erit infelix ille, cui mala tanta accident.

VIR. Pro unuſquiſque; vel ſi ſententia ſit negans, pro nemo. *Ut intereat vir de monte Eſau*. Abd. v. 9. ut omnes pereant, ut unuſquiſque incolarum intereat. *Revertatur vir in domum ſuam*. III. Reg. XII. 24. omnes redeant. *Ceciditque vir ad proximum ſuum*. Jer. XLVI. 16. Cecidere paſſim innumeri, alii ſuper alios; coram amicis, cumque illis proſtrati. *Dixit vir ad collegam ſuum*, i. e. unuſquiſque ad ſocium. Jon. I. 7. *Convertatur*

tatur vir, unuſquiſque, *a via ſua mala*. Jon. III. 8. *Vir non eruet eam de manu mea*. Oſ. II. 10. nemo eam mihi eripiet. *Torcular calcavi ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum*. Meſſiæ verba apud Iſaiam, LXIII. 3. ex uniniverſis Gentibus nemo me adjuvat. Antiquus aſceta, nequaquam imi ſubſelii, ad Matris Virginis gloriam traducere hunc locum tentavit, dicens, virum quidem Chriſto adfuiſſe nullum, ſed mulierem unam, quæ crucis torculari aſtitit. Sed optimus ille ſenex neque ſermonis hebraici veſtigium dignoſcere potuit; & Divi Joannis Evangeliſtæ, diſcipuli ad crucem uſque fidiſſimi, in illo pietatis æſtu oblitus videtur.

2. Vir ſanguinum. II. Reg. XVI. 7. & alibi. Crudelis, ſanguinarius.

3. Viri virtutis. I. Mach. V. 50. Viri fortes, generoſi bellatores.

4. Viri divitiarum. Pſ. LXX. 6. Divites.

5. Vir rixæ. Jeremias ipſe ſe appellat *virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra*. XV. 10. quippe qui propter vaticinia ſua, pleriſque exoſa, in moleſtiſſimas contentiones, & omnium odia incidiſſet. De contextu dictum Voc. *Fœnero*.

6. Vir dexteræ Divinæ. Pſ. LXXIX. 18. Filius hominis, Chriſtus, quem Pater dextera ſua protegit. Chald. cui juraſti in dextera tua.

7. *Viri ſeniorum Iſrael*. Ez. XIV. 1. Quidam e ſenioribus Iſraelitarum.

8. Viri fortiſſimi. Eccle. XII. 3. Metaphorice de pedibus, qui totam corporis molem geſtant. Tota illa hypotypoſis Senii extat apud me Voc. *Tenebreſco*.

Virago. Adam de Eva inquit: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt*. Gen. II. 23. Cave craſſum errorem eorum, qui nomen *virago* & *virgo* confundentes, vocabulum *Eva* ſignificare virginem rati ſunt. *Heva*, ſeu *Eva*, ut ex Gen. III. 20. in Voc. *Eva* docui, vitam ſeu matrem viventium indicat. *Virgo* ab illibata corporis integritate, *Virago* ab animi magnitudine ac fortitudine commendatur. Hoc tamen loco non virtus prædicatur, ſed origo tantum oſtenditur, ortam eam a viro eſſe. In hebraico vir eſt *iſch*, femina

ſia *iſchſcba* : quam nominum affinitatem imitari cupientes Latinorum aliqui *vir* & *vira* repoſuerunt, ex antiquiſſima latinitate repetito vocabulo. Interpres noſter pro inuſitata hac voce nomen *voraginis* ponere maluit, quod a *viri* nomine ſic diſcendit, ut tamen horrore ſuo ac vetuſtate aures non lædat.

VIRATUS. *Mulieres viratas*, i. e. viriles. Eccli. XXVIII. 19.

VIRGA. Pro ſceptro. *Sedes tua*, ſolium tuum regium, DEUS, *in ſeculum ſeculi* : *virga directionis*, *virga regni tui*, ſceptrum tuum eſt ſceptrum juſtiſſimum. Pſ. XLIV. 7. *Virgam virtutis tuæ*. Pſ. CIX. 2. Potens tuum ſceptrum.

2. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ*. Pſ. LXXIII. 2. Liberaſti populum tuum, cujus ſceptrum ſeu regnum tibi uni ſacrum & hæreditarium eſt; cujus ſtirpem ex omnibus aliis gentibus tu tibi poſſidendam elegiſti: nam *virga* Hebræis interdum etiam tribum ſeu ſtirpem ſignificat. Tertium ſenſum addit ſolertiſſimus Villalpandus T. II. in Ezech. P. II. L. III. c. 8. Liberaſti portionem hæreditatis tibi partite dimenſam, montem Sion, & terram tibi ſanctam. nam veteres illi, ut funiculo, ita virga ſeu arundine & pertica hæreditates metiri, ac dividere ſortito ſolebant.

3. Pro paſtorali pedo. *Paſce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ habitantes ſolos in ſaltu*, diſſipatos, & ſparſim degentes in captivitate Babylonica: tu eos, Paſtor ſupreme, reduc, & paſce *in medio Carmeli* : *paſcentur* in *Baſan & Galaad juxta dies antiquos*. Mich. VII. 14. *Aſſumpſi mihi duas virgas*, *unam vocavi Decorem*, *& alteram vocavi Funiculum* : *& pavi gregem*. Zach. XI. 7. Decor, ſeu Decus, ut paulo poſt appellat, eſt providentia DEI communis omnibus populis, quæ ejus bonitatem decebat & commendabat: Funiculus eſt providentia peculiaris, qua poſteros Abrahami elegit, ut eſſent populus ejus, & funiculus hæreditatis ejus. (Deut. XXXII. 9.) Pergit apud Zachariam DEUS v. 8. Suſtuli tres paſtores, Moyſen, Aaronem, Mariam, quibus uno tempore mortem denunciavi. Faſtidium mihi hic populus movit, tanta levitate a me deficiens.

Propterea (v. 9.) calamitatibus variis, & mutuis cladibus atteri eos & conſumi permiſi. Tum (v. 12.) de Chriſto prædicitur, eum a Juda venditum iri, & (v. 14.) germanitatem omnem inter veros Judæos, Divini ſcilicet Davidis aſſeclas, & perfidos Iſraelitas, in perpetuum perituram: hi enim, qui Chriſti imperium detrectarunt, Antichriſtum ducem ad extremum ſequentur: de quo agit, quod ſupereſt hujus Capitis,

4. Pro ſupplicio Divino. *Floruit virga, germinavit ſuperbia: iniquitas ſurrexit in virga impietatis; non ex eis, & non ex populo; neque ex ſonitu eorum*. Ez. VII. 10. ſq. Prope maturitatem eſt veſtræ ſuperbiæ & iniquitatis pœna, qua vos afficient hoſtes, non quia hoſtes ſunt, nec quia multi ſunt, nec quia armis probe muniti & animoſi ſunt; ſed quia virga ſunt, mea manu vibranda.

5. Virga oris. Judex Divinus *percutiet terram virga oris ſui*, LXX. & Chaldæus, verbo oris ſui: *& ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiam*. Iſ. XI. 4. Antichriſtum videlicet, ut habetur. II. Theſſ. II. 8. Virga hæc eſt ſententia tremendi Judicis.

Virtus. Sæpiſſime non pro habitu animi, qui bonum facit habentem; ſed pro potentia & robore. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui . . . ne ſpernas eum in virtute tua*. Eccli. III. 14. ſq. *Ibunt de virtute in virtutem*, hebraice, de robore in robur. Pſ. LXXXIII. 8. Quotidie illorum robur augebitur. *Fiat pax in virtute tua*, intra munimenta tua, o Jeruſalem, *& abundantia in turribus* & magnificis ædificiis *tuis*. Pſ. CXXI. 7. *In virtute ſua faciebant hæc populo Iſrael*. I. Mach. I. 61. Crudelitatem barbaram in Hebræos exercebant, quod potentia tum præſtarent.

2. Pro militia: quæ potentia regum eſt. Alexander magnus *congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis*. I. Mach. I. 4. robur copiarum, & exercitum prævalidum. *Verbo Domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Pſ. XXXII. 6. Chaldaica: omnis exercitus eorum. Stellas autem Divina Pagina militiam cœli appellat. Multi Angelos hic intelligunt: de quo ſenſu mox dicetur. *Non ſalvatur rex per multam virtutem: & gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ*. Pſ.

XXXII.

XXXII. 16. Nec regi ſuus exercitus, nec ingentes ſuæ vires giganti ſalutem afferent. *Non egredieris* Deus, *in virtutibus* (Hieronymus, exercitibus) *noſtris*. Pſ. XLIII. 10. Non aderis præliantibus noſtris, militem noſtrum non adjuvabis.

3. Pro Angelorum exercitu: qui militia Dei ſunt. *Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus*, omnes ordines cæleſtis militiæ. Pſ. CXLVIII. 2. *Dominus virtutum*, hebraice, Deus Dſevaoth ſeu Sabaoth, *ipſe eſt rex gloriæ*. Pſ. XXIII. ult. Dominus exercituum angelicorum.

4. Pro operibus admirandis. Chriſtus, cum eſſet in patria, *non fecit ibi virtutes multas*, non multa patravit prodigia, *propter incredulitatem illorum*. Matth. XIII. ult. Damnati interrogabunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo .... virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem*. Matth. VII. 22. ſq. Huc revocari poteſt Prophetæ dictum: *Ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam*, fructus ſuos; illa ficus, hæc uvas. Joel. II. 22.

5. Pro corpore humano. Figulus, dum laborat, *ante pedes ſuos curvabit virtutem ſuam*. Eccli. XXXVIII. 33. corpus ſuum ad terram uſque curvabit.

6. Veſtire virtute. Deus *creavit de terra hominem .... & iterum convertit illum in ipſam*, poſt mortem in ſepulcro: *& ſecundum ſe veſtivit illum virtute*. Eccli. XVII. 1. ſq. *Secundum ſe*, pro cujuſque natura & indole: in græco enim fonte eſt, ſecundum ipſos; homines nimirum. Unumquemque donis convenientibus & ipſi propriis exornavit.

Viscera. De Tito ſcribit Paulus: *Viſcera ejus abundantius in vobis ſunt*. II. Cor. VII. 15. Mirifico vos amore proſequitur. *Induite vos ... viſcera miſericordiæ*. Col. III. 12 Aſſueſcite veræ & intimæ erga indigentes miſericordiæ. Ipſi Deo hæc *viſcera miſericordiæ* tribuuntur. Luc. I. 78.

Visio. *Hoc ſecundum hoc viſio ſomniorum*. Eccli. XXXIV. 3. Contemnere nos jubet ſomnia, quia non ſunt res, ſed tantum imago rei, ſeu hoc ſimile huic. Sicut arboris umbra vel imago relucens in proximo ſtagno non eſt arbor, ſed ſecundum arborem.

Viſito. Cum Deus nos viſitare dicitur, in utramque partem id accipitur pro ratione materiæ: nam & amans viſitat, ut beneficia largiatur; & iratus, ut injurias ulciſcatur. Primi generis eſt illud: *Reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.* Pſ. LXXIX. 15. Alterius generis eſt, quod minatur Deus: *In gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam.* Jer. XXVII. 8.

2. *Viſitaſti ſcelus adoleſcentiæ tuæ.* Ez. XXIII. 21. Recordata es, & rurſum perpetraſti antiqua ſcelera.

Vita. *Vitam manus tuæ inveniſti, propterea non rogaſti.* Iſ. LVII. 10. LXX. non rogaſti me. Labore manuum tuarum comparaſti tibi neceſſaria ad vitam: ideo auxilium meum non imploraſti.

2. Vita comite. Angelus ad Abrahamum: *Revertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara.* Gen. XVIII. 10. Et repetit: *Revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* ibid. v. 14. Redibo ad te vivum, inveniam te ſalvum & incolumem. Eliſeus quoque Sunamitidi filium ſic promittit: *In tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium.* IV. Reg. IV. 16. Particula *ſi* hoc loco non habet vim conditionis (neque enim dubitat Propheta Divino lumine colluſtratus) ſed affirmat ſimpliciter: vives enim illo tempore; eris enim tunc ſuperſtes & ſalva. Hebraice & græce eſt, vivens tu; chaldaice, ſuperſtites eritis.

3. Vita ſpiritus mei. Ezechias ægrotans ait: *Domine ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & vivificabis me.* Iſ. XXXVIII. 16. Locus eſt e difficilioribus: unde varia interpretum ſenſa. Optime omnium, ſpectato præſertim contextu, Vulgata & hebraica inter ſe conciliari hunc in modum videntur. Dixerat ſuperiore verſu: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ita culpas totius vitæ confeſſus, addit: Domine, quoniam *ſic* vivitur, inter multiplices nimirum culpas, quarum & ego me reum agnoſco; quoniam tamen etiam *in talibus*, inter hæc delicta, & perpetua labendi pericula, vita animæ meæ ſalva perſtitit, nullo unquam peccato lethali extincta: ideo

ideo *corripies me* per hujus morbi dolores, propter delicta quotidiana; & *vivificabis me* depulſo morbo, propter innocentiam gratiamque tuam perpetuo conſervatam. Pro noſtro *corripies*, in hebraico legitur, ſomnium immittes: quo loquendi modo comparat morbum ſomnio gravi & anxio, ſed celeriter diſcutiendo. Conſecutus optata, exclamat: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* v. 17. Amariſſima ſollicitudo, & mortis proximæ metus, ſanitate momento reddita, in ſecuram proſperitatem & gaudium vertit.

4. *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.* Pſ. LXII. 4. Cur *vitas* plurali numero dixerit, perexpedita eſt ratio, abſque ullo altiore myſterio: nomen *vita* apud Hebræos, ut *caſtra* & *mœnia* apud Latinos, numero ſingulari caret.

Vitalis. Pro animali ſeu animante. Eccl. XVI. ult. Locum habes in *Denuncio.*

Vitrum. Job. XXVIII. 17. Pro cryſtallo, vel etiam adamante: nec enim vulgare vitrum intelligere nos ſinit vel ſapientiæ pretium, de quo ibi agitur; vel aurum, & vaſa aurea, inter quæ vitrum illud nominatur.

Vitta. Quid ſit recurrens vitta aurea Eccle. XII. 6. dixi in Voc. *Tenebreſco.*

Vitula. *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſivi ſuper pluchritudinem colli ejus: aſcendam ſuper Ephraim, arabit Judas, confringet ſibi ſulcos Jacob. Seminate vobis in juſtitia, & metite in ore miſericordiæ: innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos juſtitiam.* Oſ. X. 11. ſq. Ephraim ſeu regnum Iſrael eſt vitula, quæ arandi laborem refugit, ſed ad trituram convertitur, ubi famem explere affatim poſſit, i. e. Deo vero ſervire cum labore & fructus futuri ſpe recuſat: ſed præſentia bona captans, a falſis diis ea impetraturam ſe putat. Verum ego vitulam hanc domabo, & per captivitatem omnino opprimam. Regnum Juda vero arabit, i. e. fidele mihi erit: & Jacob, ſive illa pars decem tribuum, quam Ezechias rex ad ſaniora revocabit, exemplum Judæ imitabitur. Seminate & colite juſtitiam, & metetis uberrime. Evellite ſpinas & lolium, ut purum novale conſeratis.

Tempus autem quærendi Dominum tunc erit opportuniſſimum, cum juſtitiæ doctor Meſſias aderit.

Vitulamen. *Spuria vitulamina*. Sap. IV. 3. Helleniſmus. D. Auguſtinus l. II. de Doctr. Chriſtiana c. 12. vertit: adulterinæ plantationes.

Vitulus. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*. Oſ. ult. 3. vitulos, quos Deo vovimus; & ſublimiore ſenſu, *hoſtiam laudis ---- id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus:* ut loquitur Paulus Hebr. ult. 15. alludens ad verba LXX. quorum interpretationem ubique ſequuntur Apoſtoli & Evangeliſtæ. LXX. autem Oſeæ l. d. poſuerunt, fructum labiorum.

Vivifico. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*. Hab. III. 2. *illud* eſt pronomen pleonaſticum, ſeu redundans. *in medio annorum*, i. e. intra tempus conſtitutum, intra ſpatium a te præfixum. *vivifica*, metaphorice, pro exequere, perfice. Domine, perage ſuo tempore magnum illud opus, quod tuum unius opus eſt, liberationem generis humani per Meſſiam.

Vivo. Quam diutina futura eſſet Hebræorum captivitas, ingenioſe Ezechiel indicavit, dicens: *Qui vendit, non lugeat ---- quia qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum*. Qui bona ſua vendit, ne doleat: nam & ſine venditione amiſſurus omnia erat, rapiente hoſte. Nec proderit annus ſabbaticus ſive ſeptimus, quo ad poſſeſſiones priſtinas reverti cuique per legem licet: quia hoc legis beneficio uti nemo poterit in exilio, etiamſi venditores ſint diu ſuperſtites, & vita cum ceteris viventibus fruantur. *Viſio enim ad omnem multitudinem ejus non regredietur*: viſionis hujus veritatem univerſum regnum perſentiſcet, nemo effugiet: *& vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur:* nullus iniquorum tam potens & validus erit, ut hoſti reſiſtere, aut eripere ſe his malis poſſit. Ez. VII. 12. ſq.

2. Vivit Dominus. Jurantium erat. Quam vere Deus vivit. Ipſius etiam Dei nomine dictum legitur. *Vivo ego, dicit Dominus*. i. e. quam vere vivo. Ez. V. 11. ac deinceps ſæpius.

3. *Vivit Dominus, & vivit anima tua*. IV. Reg. II. 2. Quam

2. Quam vere Deus vivit, & quam certo tu ipſe vivis.

4. *Si ſic vivitur*. Iſ. XXXVIII. 16. Vide paulo ante Voc. *Vita*, §. 3.

Ulai. *Super portam Ulai*. Dan. VIII. 2. Erat porta fluminis Eulæi, qui arcem illius regiæ alluit. *Audivi vocem viri inter Ulai*. ibid. v. 16. inter ripam fluvii, & portam modo dictam.

Ultimus. Ezechias rex *Spiritu magno vidit ultima*. Eccli. XLVIII. 27. Magno animo periculum mortis excepit. Imo, ſi græca attente conſideramus, vidit ſeu prævidit tempora Meſſiæ.

2. Terra ultima. Ez. XXXI. 14. Sepulcrum. Idem eſt lacus, qui protinus additur, videlicet fovea ſepulcralis. Eodem ſenſu repetitur terra ultima ibid. v. ult.

Ultio. *Ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis*. Iſ. XXXV. 4. Chriſtus, de cujus naſcente Eccleſia initium illius Capitis vaticinatur, vindicabit damna, a ſtygio hoſte generi humano illata.

Umbra. *Ini conſilium, coge concilium: pone quaſi noctem umbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas*. Iſ. XVI. 3. Proſpice tibi, o Moab, & remedium para adverſus hæc mala, quæ tibi prædixi. Venient ad te fugitivi Judæi, ab hoſtibus patria ejecti, & receptum apud te quærentes. Hos tu humaniter excipe, & e ſummo æſtu calamitatis accurrentes ac fatigatos ſecuræ quietis umbra tege. Sine apud te latere exules, noli hoſtibus eos prodere: ſic tui quoque in ſimili clade ac fuga Dominus miſerebitur.

Umbraculum. Ninive, a Nabuchodonoſore obſeſſa, *recordabitur fortium ſuorum*, eorum opem requirens: & ſuccurrent illi quidem celeriter, ſed eorum alii *ruent in itineribus ſuis*, primo impetu ab hoſte dejecti: alii *velociter aſcendent muros ejus, & præparabitur umbraculum*: pugnabunt e muris contra obſidentes, & contra aeris injurias tabernacula in ipſis mœnibus figere cogentur, adeo pertinax ac diuturna oppugnatio erit. Nah. II. 5.

Uncinus. *Ecce uncinus pomorum*. Amos VIII. 1. Sicut hic etiam altiſſimos ramos detrahit, & poma ſpolianti præbet: ſic Aſſyrius aſſequetur & capiet etiam celſiſ-

ſimos & ſecuriſſimos quoſque e populo Iſraelitico: *quia non adjiciam ultra ut pertranſeam eum*, dicit Dominus, ibid. v. 2. jam non diſſimulabo, nec impunitum patiar.

Unguis. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino*. Jer. XVII. 1. ſtylo ferreo, cujus graphium ſive cuſpis ex adamante ſit. vel, ſi mavis, cum D. Hieronymo, in tabella adamantina, quæ propter nitorem ab unguis humani ſimilitudine unguis appelletur.

Ungula. Malus & falſus paſtor (Antichriſtus) non modo gregem negliget, ſed ipſe *carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet*, i. e. pedi ſui ictibus eas diffringet. Zach. XI. 16.

2. Ungula odoramentum. Inter alia, quæ odoratum recreant, numeratur *ungula* Eccl. XXIV. 21. græce, onyx. Unguem hominis colore refert: unde illi & nomen. Ex his ipſis aromatibus, quæ Siracides l. d. recenſet, thymiama componi Dominus juſſerat Ex. XXX. 34. permiſcere enim oportebat *ſtacten*, i. e. lacrymam myrrhæ, *& onycha* ſeu ungulam, *galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum*, quod in Eccleſiaſtico ididem dicitur *libanus non inciſus:* nam thus atomum, ut appellant, præſtantius eſt entomo ſive inciſo: libanos autem Græcis thus eſt, & thuris arbuſcula.

Unicornis. Deus *ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum*. Pſ. LXXVII. 69. Seu rhinocerotum, ſeu monocerotum cornua intelligamus, ſimilitudinis eadem vis eſt; ſanctuarium videlicet Dei tam pulcritudine, quam firmitate maxima fuiſſe conſpicuum.

2. *Deſcendent unicornes cum eis*. Iſ. XXXIV. 7. Irati Dei gladius non tantum agnos & hircos cædet, i. e. plebejos; ſed etiam unicornes, ſeu, ut habent LXX. & Chaldaicus, potentes, abundantes. Omnes impii, nobiliſſimi etiam ac ditiſſimi, ſupremo illo judicii die in igneum æternumque barathrum deſcendent: eodemque præcipites haurientur *tauri cum potentibus*. ibid. arietes & tauri, legunt LXX. & Chald. clare, Principes cum ducibus.

Unigenitus. Salomon de ſe: *Filius fui---- unigenitus coram matre mea*. Prov. IV. 3. nimirum cariſſimus (LXX. dilectus) quaſi ſi eſſet unicus. Alioquin enim Bethſabeæ filios fuiſſe præter Salomonem qua-

tuor

tuor alios conſtat ex Reg. XI. ult. & I. Par. III. 5.

2. Luctus unigeniti. Jer. VI. 26. Luctus acerbus, qualem unici filii mors excitare ſolet.

Universus. *Veruntamen univerſa* (LXX. & D. Hieronymus, omnia) *vanitas, omnis homo vivens* Pſ. XXXVIII. 6. Profecto omnia humana ſunt vanitas.

2. *Aſcendet quaſi fluvius univerſus*. Amos VIII. 8. Expoſitum eſt in *Aſcendo*.

Unus. *Unam petii a Domino, banc requiram, ut inhabitem in domo Domini*. Pſ. XXVI. 4. Unum petii, hoc unum requiram, ut in domo Dei habitem. Hebræi, qui neutro genere carent, ejus loco maſculinum aut femininum uſurpant.

2. Unus pro Deo. Malachias objurgat eos, qui repudiarant uxores *pubertatis ſuæ* (II. 14.) i. e. in adoleſcentia ductas. *Nonne unus fecit, & reſiduum ſpiritus ejus eſt? Et quid unus querit, niſi ſemen DEI?* (ibid. v. 15.) Nonne idem Deus feminam & marem condidit? nonne animam ei inſpiravit immortalem æque ac viro? nonne ſanctum Deoque dignam ſobolem idem ipſe deſiderat a matre non minus, quam a patre? Aequalis ergo conditionis cum ſitis coram illo, qui unus idemque eſt omnibus: qua ratione tantam inferre injuriam uxoribus viri audetis?

3. Unus pro primo. *Factum eſt in vigeſimo & ſeptimo anno, in primo, in una menſis*. Ez. XXIX. 17. hoc eſt, primo die menſis primi. *Tertio menſe, una*, i. e. prima die, *menſis*. Ez. XXXI. 1. *In menſe ſexto, in die una menſis*. Agg. I. 1. die prima ſexti menſis. Nam deſignato jam menſis nomine, quo res accidit, dicere uno aliquo die factam, eſt nihil dicere. Eodem modo una ſabbati, & una ſabbatorum, eſt prima poſt ſabbatum, ſeu dies noſtra dominica.

Voco. Deus ad Moyſen: *Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te*. Exod. XXXIII. 19. Legunt nonnulli *vocabor*: ſed fons hebraicus & LXX. activam vocem habent. Spectandum tibi me præbebo, moneboque te, me adeſſe, quod fieri potuit dicendo, Ecce Dominus; vel, Dominus adeſt.

2. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*. Pſ. XLVIII.

12. Vi-

12. Viri principes & opulenti terras ſuas, & quæ in illis ædificaverant, ſuo nomine inſignierunt, perennitatem ſcilicet nominis aucupantes.

Volo. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Matth. IX. 13. ex Oſ. VI. 6. Malo illam, quam hoc: magis illa, quam iſto delector. Figura epitaſis, de qua dictum in Voc. *Nolo*.

2. *In mandatis ejus volet nimis*. Pſ. CXI. 1. Qui Dominum timet, ejus mandata plurimum diligit, impenſiſſime iis delectatur.

3. Volare in humeros Philiſthæorum. Iſ. XI. 14. Involabunt ut ſtrenui bellatores in cervicem & humeros Philiſthinorum, qui ad mare habitant. Apoſtolorum expeditiones & victoriæ per omnes gentes eo loco memorantur, earumque nonnullæ Hebræis notiores a Propheta nominantur.

Voluntarius. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Pſ. CXVIII. 108. Benevole accipe, quæ os meum tibi ſponte offert: placeant tibi laudes meæ, vota, ac pia deſideria verbis prolata.

Vomens. *Verba Congregantis filii Vomentis*. Prov. XXX. 1. Nomina appellativa loco propriorum, ut ſæpius alibi in Divina Pagina. Verba Agur, filii Jake.

Votum. *Quotidie mane vota populus offerebat*. Ex. XXXVI. 3. hebraice, ſpontanea munera.

Vox. Tribuitur etiam vita carentibus. *Dedit abyſſus vocem ſuam*. Hab. III. 10. Mare inſonuit, infremuit. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ*. Nah. III. 2. pro eorum ſono & ſtrepitu. *Vox molæ*. Apoc. XVIII. 22. *Vocem molæ*. Jer. XXV. 10. de ejus ſtrepitu. Niſi forte cantum intelligere præſtat verſatiles molas trudentium.

2. Vox Dei pro tonitru. *Vox Domini*, de tonitru & fulmine, Pſ. XXVIII. 3. ſqq. *Voces*, tonitrua, & *pluvias*. I. Reg. XII. 17. ſq. In eumdem ſenſum dicitur: *Vocem dederunt nubes*. Pſ. LXXVI. 18. Tonitrua e nubibus eruperunt.

3. *Vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni*. Thren. II. 7. Chaldæi in capto templo lætis clamoribus victoriam celebrarunt: templum barbarorum

cla-

clamoribus reſonabat, quantum diebus feſtis reſonare canticis Divinis ſolebat.

Vrbs. *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in urbem pergere*. Eccli. X. 15, Neſciunt ad propoſitum ſibi finem, qui felicitas eſt, pervenire. Vel accipe inſtar adagii: notiſſima ignorant.

2. Urbs fortitudinis. i. e. munitiſſima. *Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum, egeſtas eorum*. Prov. X. 15. Diviti ſuæ facultates ſunt velut urbs vallata: opum enim ſuarum fiduciæ nititur. at pauper ipſa egeſtatis ſuæ conſcientia timidus eſt. *Urbs fortitudinis noſtræ Sion Salvator*. Iſ. XXVI. 1. Meſſias ipſe eſt munimentum noſtrum, urbs noſtra validiſſima, Sion & Jeruſalem noſtra.

Usque. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Pſ. XIII. 1. & 3. hebraica rotunde: ne unus quidem.

Usquequo. *Uſquequo veniant populi*, cet. Zach. VIII. 20. Sequentia ſi reſpicias, pendere ſenſus videbitur: ſed cum prioribus necte: Tollentur veſtra jejunia, & in lætitiam mutabuntur, ſive ob Machabæorum victorias, ſive alios ob eventus proſperos *uſquequo*, i. e. donec, felicitas omnibus numeris abſoluta oriatur per Evangelium, cum omnes populi ad Meſſiam confluent.

Uterus. Eliú ad Jobum ait: *Coarctat me ſpiritus uteri mei*. Job. XXXII. 18. hebraice, ventris mei. Nomen hoc apud Hebræos tantum abeſt ut craſſum aliquid habeat, cum metaphorice adhibetur, ut inter venuſtates etiam numeretur, quemadmodum apud Latinos *pectus & præcordia*.

2. *Ex utero ante luciferum genui te*. Pſ. CIX. 3. Vox eſt Patris æterni ad Filium, indicans, *eſſe genitum ex ſubſtantia ejus, qui dicitur genuiſſe ex utero, & eſſe verum & naturalem filium ejus:* ut inquit doctiſſimus Benedictus Pererius T. IV. Select. Diſput. in S. Script. in C. I. Evang. Joann. Diſp. XLII. n. 158., additque exempli cauſſa illud ejuſdem Davidis de Abſalone: *Filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo*. II. Reg. XVI. 11.

Uva. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*. Ez. XVIII. 2. Proverbium hoc verbis propriis Chaldæus reddit: Patres peccaverunt, & fi-

& filii percuſſi ſunt. Legitur hoc adagium etiam Jer. XXXI. 29.

Vultus. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, Pſ. XX. 10. Tempus vultus eſt judicii dies, quo cum iratum Domini vultum homines perditi intuebuntur, inſtar furni ſuccenſi æſtuabunt.

2. *Tenet vultum ſolii ſui*. Job. XXVI. 9. Deus faciem ſeu aſpectum ſolii ſui, nobis occultat, dum & ſuperficiem cœli nubibus tegit, & ſolium ſuum cœleſte homini in hac vita peregrinanti celat.

Uxor. *Fugit Jacob in regionem Syriæ*, Meſopotamiam, *& ſervivit Iſrael in uxorem*, pro uxore, propter uxorem, *& in uxorem ſervavit*, uxoris amore greges Labani cuſtodiit. Oſ. XII. 12. Codd. quidam pro vocabulo ultimo habent rurſum *ſervivit*, ſed eos corruptiſſimos vocat Hieronymus. Sane hebraica poſcunt *ſervavit*, Hoc vero quia religionis cauſſa Jacobus fecit, ne uxorem duceret ex alienigenis: Deus quoque peregrinantes ejus poſteros, ex Ægypto eductos, *in propheta* (ibid. v. ſq.) ſeu per prophetam Moyſen ſervavit.

Z.

Zabulon. q. d. habitator. Sic enim ſextum filium appellavit Lia, dicens: *Etiam hac vice mecum erit* (hebraice, mecum habitabit) *maritus meus, eo quod genuerim ei ſex filios*. Gen. XXX. 20.

Zelo. *Neque zelaveris facientes iniquitatem*. Pſalm. XXXVI. 1. Noli invidere fortunis impiorum.

2. *Nolite zelare mortem*. Sap. I. 12. Nolite ultro mortem vobis accerſere, ea agendo & ſectando, quæ mortem afferunt.

Zelus. *Auferetur zelus Ephraim*. Iſ. XI. 13. Ceſſabit æmulatio regni Iſraelitici, ſeu decem tribuum, a regno Juda diſſidentis.

2. *Auris zeli audit omnia*. Sap. I. 10. Audit omnia auris Dei, qui eſt *fortis, zelotes*. Ex. XX. 5. *Dominus zelotes nomen ejus*, Deus *eſt æmulator*. Ex. XXXIV. 14.

3. *Idolum zeli ad provocandam æmulationem*. Ez. VIII. 3. Simulacrum Baalis, quod vindicem Deum ad iram & pœnam provocabat.

SUM-

SUMMARIA

Capitum omnium Divinæ Paginæ.

SUMMARIA
INSTRUMENTI VETERIS.

Series Librorum Legis antiquæ.

Geneſis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteronomium.
Joſue.
Judices.
Ruth.
Regum libri IV.
Paralipomenon libri II.
Eſdræ libri II.
Tobias.
Judith.
Eſther.
Job.
Pſalterium.
Proverbia.
Eccleſiaſtes.
Cantica.
Sapientia.
Eccleſiaſticus.
Iſaias.
Jeremias.
Threni.
Baruch.
Ezechiel.
Daniel.
Oſeas.
Joel.
Amos.
Abdias.
Jonas.
Michæas.
Nahum.
Habacuc.
Sophonias.
Aggæus.
Zacharias.
Malachias.
Machabæorum libri II.

Caput GENESIS.

I. Creatur cælum & terra. opera ſex dierum.
II. Sanctitas ſabbati. v. 8. Paradiſus. v. 21. Evæ origo.
III. Lapſus primorum parentum, & pœna.
IV. Abel a Caino fratre occiſus.
V. Genealogia ab Adamo ad Noe.
VI. Corruptio generis humani. v. 14. Arca Noe.
VII. Diluvium.

VIII.

Caput
VIII. Noe ex arca egreditur, & ſacrificat.
IX. Arcus cæleſtis. v. 20. Noe ebrius.
X. Genealogia filiorum Noe.
XI. Turris Babel. v. 7. Linguarum confuſio. v. 10. Genealogia a Sem ad Abram.
XII. Abræ peregrinatio in Chanaan, & Ægyptum.
XIII. Abram & Loth ſeparantur.
XIV. Abram victor Lothum liberat. v. 18. Melchiſedec Abramo bene precatur.
XV. Promittitur Abræ hæres & hæreditas opulentiſſima.
XVI. Iſmael ex Abra & Agare naſcitur.
XVII. Nomen *Abram* mutatur in *Abraham*. v. 10. Circumcidendi lex.
XVIII. Angeli tres hoſpites filium ex Sara promittunt. v. 20. Abrahami pro Sodomis ſupplex.
XIX. Crematur Pentapolis, excepta Segor pro Lotho incolumi: cujus uxor fit ſtatua, filiæ ex patre gravidæ.
XX. Abimelech rex Geraræ Saram tollit, & reſtituit.
XXI. Natus Iſaac. v. 9. Pulſus Iſmael. v. 22. Abrahami fœdus cum Abimelech.
XXII. Abrahamus Iſaacum immolare parat. v. 20. Nachoris filii.
XXIII. Saræ mors, & ſepultura.
XXIV. Rebecca Iſaaci uxor.
XXV. Poſteri Abrahæ, & Iſmaelis: utriuſque mors. v. 21. Eſau & Jacob ex Rebecca. v. 29. Eſau vendit jus primogeniti.
XXVI. Geraritarum invidia primum, tum fœdus cum Iſaaco.
XXVII. Iſaac Jacobo bene precatur.
XXVIII. Scala Jacob.
XXIX. Lia & Rachel uxores Jacob.
XXX. Jacob liberis & pecoribus augetur.
XXXI. Fuga Jacobi, Rachelis furtum.
XXXII. Jacob timet fratrem Eſau. v. 23. Luctatur cum Angelo.
XXXIII. Jacob fratri occurrit, & in Chanaan habitat.
XXXIV. Injuria Dinæ illata, a fratribus vindicata.
XXXV. Altare in Bethel. v. 16. Moriuntur Rachel & Iſaac.
XXXVI. Poſteri Eſau.
XXXVII. Joſeph venditus.
XXXVIII. Judæ filii ex uxore, & nuru Thamare.
XXXIX. Joſeph in domo Putipharis, deinde in carcere.
XL. Joſeph ſomnia captivorum exponit.

XLI.

Caput
XLI. Joſeph ſomnii regii interpres, Ægypto præficitur.
XLII. Fratres Joſephi frumentum ex Ægypto petunt.
XLIII. Fratres ad Joſephum redeunt, & cum eo epulantur.
XLIV. Joſephus fratres furti arguit.
XLV. Joſeph a fratribus agnoſcitur.
XLVI. Jacob cum omnibus ſuis in Ægyptum deſcendit.
XLVII. Regio Geſſen Jacobi poſteris tradita. v. 13. Fames Ægypti regibus lucroſa.
XLVIII. Jacob Manaſſe & Ephraim bene precatur.
XLIX. Jacobi de ſua poſteritate vaticinium.
L. Jacobi exequiæ, & Joſephi mors.

EXODUS.

I. Populi electi in Ægypto multiplicatio, & oppreſſio. v. 15. Obſtetricum miſericordia.
II. Moyſes e Nilo extractus, & a Pharaonis filia adoptatus. v. 11. fugit in Madianitidem.
III. Moyſi, viſo rubo, imperatur liberatio populi.
IV. Moyſis vocatio prodigiis confirmata. v. 10. Additur ei frater, & filius in itinere ad Ægyptios circumciditur.
V. Moyſes & Aaron DEI imperium denuntiant Pharaoni: qui iratus populum acrius premit.
VI. DEUS nomen ſuum ſacroſanctum (*Jehóva*) Moyſi aperit; per eumque ſolatur populum. v. 14. Genealogia Ruben, Simeonis, & Levi.
VII. Virga mutatur in ſerpentē, aqua in ſanguinē.
VIII. Plaga ranarum, ſciniphum, muſcarum.
IX. Plaga peſtis in pecore, ulcerum, grandinis.
X. Plaga locuſtarum, & tenebrarum.
XI. Indicitur Pharaoni cædes omnium primo genitorum.
XII. Phaſe, ſtrages primo genitorum, exitus Iſraelis.
XIII. Ritus paſchatis & primitivorum. v. 21. columna nubis & ignis.
XIV. Tranſitus per mare rubrum, pereunte cum ſuis Pharaone.
XV. Canticum Moyſis & populi. v. 22. Aquæ Mara ex amaris dulces.
XVI. Coturnices, & Manna.
XVII. Aquæ ex petra Horeb. v. 8. Victi Amalecitæ.
XVIII. Jethronis conſilium.
XIX. Acta ad montem Sinai.
XX. Decem præcepta divina.
XXI. Leges de ſervitiis, homici-

Caput

micidio, talione, bove cornupeta.

XXII. Leges de furtis, aliiſque damnis.

XXIII. Leges de judiciis, feſtis, ſacrificiis. v. 20. Promittitur angelus dux in terram ſanctam.

XXIV. Fœdus Dei cum populo.

XXV. Sanctuarii ſtructura imperata.

XXVI. Tabernaculi deſcriptio.

XXVII. Altare, atrium, lucerna.

XXVIII. Veſtes ſacerdotales.

XXIX. Conſecratio ſacerdotum, & ſacrificium quotidianum.

XXX. Altare thymiamatis, labrum æneum, oleum ſanctum, thymiama.

XXXI. Beſeleel & Ooliab artifices. v. 12. Sabbatum cuſtodiendum.

XXXII. Vitulus aureus.

XXXIII. Luctus populi, DEI in Moyſen benignitas.

XXXIV. Novæ tabulæ & leges. v. 28. Moyſis facies poſt 40. dierum jejunium cornuta.

XXXV. Sabbatum, collecta pro ſanctuario, artifices.

XXXVI. Tabernaculum conſtruitur.

XXXVII. Conficitur arca cum menſa ſua & vaſis; itemque thymiama cum ſuo altari.

XXXVIII. Altare holocauſtorum, cum labro æneo. v. 9. Atrium. v. 24. Metalli oblati ſumma.

XXXIX. Parantur veſtes ſacerdotales.

XL. Erigitur tabernaculum. v. 32. Nubes gloriæ apparet.

LEVITICUS.

I. Holocauſtum ex armento, grege, avibus.

II. Quomodo offerenda ſimila, panes, ſpicæ.

III. Hoſtiæ pacificæ.

IV. Victima pro peccato per ignorantiam commiſſo.

V. Sacrificia pro diverſis delictis.

VI. Leges de holocauſto & aliis ſacrificiis.

VII. Sacrificiorum varia genera & ritus.

VIII. Aaron & filii ſacerdotio initiantur.

IX. Primæ Aaronis victimæ, igne cæleſti conſumptæ.

X. Nadab & Abiu pereunt. v. 8. Sacerdotibus vinum & ſicera non bibenda; victimarum reliquiæ comedendæ.

XI. Animalia munda & immunda.

XII. Puerpera quomodo mundanda.

XIII. Cognitio lepræ.

XIV.

Caput
XIV. Lepra quomodo expianda.
XV. Fluxionum genera.
XVI. Feſtum Expiationis.
XVII. Soli DEO ſacrificandum; & ubi. v. 10. Non veſcendum ſanguine aut morticino.
XVIII. Damnantur gradus conjugii illiciti, ſpurcitia carnis varia, & ritus Moloch.
XIX. Varia ad mores & ritus, tum e ſuperioribus repetita, tum nova.
XX. Pœna mortis conſtituta in graviora quædam ſcelera.
XXI. Leges pro ſacerdotibus.
XXII. Quid obſervandum in edendis victimis, iiſdemque eligendis.
XXIII. Dies feſti.
XXIV. De lucernis, & panibus ſanctis. v. 10. Pœna blaſphemi, & talionis.
XXV. Leges anni ſubbatici ſive ſeptimi, & jubilæi.
XXVI. Prædicuntur bona morigeris, mala non obtemperantibus.
XXVII. De votis ac decimis.

NUMERI.

I. Numerantur tribus Hebræorum.
II. Ordo caſtrorum.
III. Enumerantur Levitæ.
IV. Miniſteria Levitarum.
V. Immundi a caſtris arcentur. v. 5. Imperatur ſatisfactio. v. 11. Lex Zelotypiæ.
VI. Lex Nazaræorum. v. 22. Bene precandi ritus ſacerdotalis.
VII. Munera duodecim principum.
VIII. De candelabro. v. 5. De Levitis.
IX. Paſcha mundorum & immundorum. v. 15. Columna nubis & ignis.
X. Lex tubarum. v. 11. Mota caſtra.
XI. Spiritus Moyſis in LXX. ſenes diviſus, & coturnices miſſæ.
XII. Mariæ & Aaronis querelæ contra Moyſen.
XIII. Terræ promiſſæ exploratores XII.
XIV. Populi murmurantis pœna.
XV. Ritus ſacrificantium, & primitiæ. v. 32. Sabbati violator. v. 37. Veſtium fimbriæ.
XVI. Core, Dathan, & Abiron
XVII. Aaronis virga florens.
XVIII. Sacerdotum ac Levitarum officia & alimenta.
XIX. Vacca rufa, & aqua emundans.
XX. Aqua Contradictionis. v. 14. Denegatus tranſitus ab rege Edom. v. 23. Mors Aaronis.
XXI. Victus Chananæus. v. 6. Serpentes ignei. v. 21. Sehon & Og cæſi.

Caput

XXII. Aſina Balaami loquens.

XXIII. Balaam imprecari mala Hebręis non poteſt.

XXIV. Balaami vaticinatio.

XXV. Madianitides populum ad peccandum inducunt. v. 7. Phinees ultor libidinis.

XXVI. Numerantur iterum Tribus omnes.

XXVII. Lex de hæreditate. v. 12. Moyſi prædicitur mors & ſucceſſor.

XXVIII. Sacrificia quotidiana, ſabbati, neomeniæ, paſchatis, pentecoſtes.

XXIX. Feſta menſis ſeptimi.

XXX. Quæ vota reſcindi poſſint.

XXXI. Debellantur Madianitæ.

XXXII. Hæreditas tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe.

XXXIII. Enumerantur ſtationes omnes Hebræorum per deſerta. v. 50. Jubentur extirpare Chananæos.

XXXIV. Terræ promiſſæ fines, & partitores.

XXXV. Levitarum urbes. v. 16. Lex de homicidiis.

XXXVI. De nuptiis inter tribules.

DEUTERONOMIUM.

I. Oratio Moyſis ad populum, quæ repetit geſta uſque in Cadesbarne.

II. Eadem oratio continuatur uſque ad acta in Baſan.

III. Eadem Moyſis oratio uſque ad ſtationem in Phogor.

IV. Reſiduum ejuſdem orationis. v. 41. Tres urbes refugii.

V. Moyſes decalogum repetit, & exponit.

VI. Adhortatio Moyſis ad amorem timoremque DEI.

VII. Familiaritas cum alienigenis prohibetur.

VIII. Beneficia DEI in populum tempore diuturnæ peregrinationis.

IX. Culpæ a populo in itinere commiſſæ a Moyſe reprehenduntur.

X. Legis tabulæ novæ, & ſtimuli ad ſerviendum DEO.

XI. Promiſſa & minæ in montibus Garizin & Hebal reponendæ.

XII. uſque ad XXVIII. Præcepta varia, antiqua repetita, addita nova.

XXVIII. Bona fidelibus, mala impiis conſtituta.

XXIX. Fœdus Iſraelis cum Domino.

XXX. Pœnitentibus oblata venia, obedientibus promiſſa beneficia.

XXXI. Moyſes animos addit populo & Joſuæ ſucceſſori, ſcribit legem & canticum.

XXXII.

Caput

XXXII. Canticum Moyſis ante mortem.

XXXIII. Moyſes ſingulis tribubus bene precatur.

XXXIV. Moyſis mors.

J O S U E.

Heptateuchi liber ſextus.

I. Joſue a DEO confirmatus, ingreſſum in terram ſanctam tribubus omnibus indicit.

II. Exploratores a Rahab occultati.

III. Tranſitus per Jordanem.

IV. Lapides XII. in alveo Jordanis erecti.

V. Hebræi circumciſi, paſcha celebrant. v. 13. Princeps exercitus Domini ad Joſuam venit.

VI. Jericho everſa.

VII. Achanis furtum, ejuſque pœna.

VIII. Urbs Hai capta. v. 30. Ædificatum altare, & Deuteronomium lapidibus inſcriptum.

IX. Fœdus cum Gabaonitis.

X. Stante ſole, victi hoſtes Gabaonitarum, pluresque alii.

XI. Jabin, aliique reges & populi vincuntur.

XII. Reges XXXI. a Moyſe ac Joſua ſuperati.

XIII. Terræ diviſæ partitio. v. 15. Recenſetur hæreditas tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe.

XIV. Hebron hæreditas Calebi.

XV. Hæreditas tribus Judæ.

XVI. Hæreditas tribus Ephraim.

XVII. Hæreditas reliquæ tribus Manaſſe.

XVIII. Deſcribitur, quod ſupereſt terræ. v. 11. Hæreditas tribus Benjamin.

XIX. Hæreditas ceterarum ſex tribuum, & ipſius Joſuæ.

XX. Sex urbes refugii.

XXI. Levitarum urbes.

XXII. Altare ad Jordanem exſtructum a tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe.

XXIII. Oratio Joſuæ ſenis ad populum.

XXIV. Joſuæ mors.

J U D I C E S.

Heptateuchi liber ultimus.

I. Multæ Hebræorum victoriæ.

II. Ingratus populus, ſæpe punitus, ſæpe liberatus.

Caput
III. Othoniel, Aod, Samgar, judices gentis.
IV. Debbora Siſaræ victrix.
V. Canticum Debboræ & Barac.
VI. Gedeon vocatur, & miraculis confirmatur.
VII. Gedeon Madianitas vincit.
VIII. Res ceteræ Gedeonis, & mors.
IX. Abimelech.
X. Thola & Jair.
XI. Jephtæ votum; & victoria.
XII. Ephrathæorum clades. v. 8. Abeſan, Ahialon, Abdon.
XIII. Contra Philiſthæos Samſon divinitus conceditur.
XIV. Samſonis conjugium, & ænigma.
XV. Samſonis vulpes. v. 9. Maxilla aſini.
XVI. Samſon portas Gazæ tollit. v. 4. Ejus cæcitas, & mors.
XVII. Michæ ſimulacrum.
XVIII. Idem in Lais translatum.
XIX. Gabaonitarum injuria in uxorem Levitæ.
XX. Strages tribus Benjamin.
XXI. Ejuſdem Tribus inſtauratio.

RUTH.

I. Noemi & Ruth Bethlehemum proficiſcuntur.
II. Ruth in agro Booz ſpicas legit.
III. Booz de jure propinquitatis monetur.
IV. Ex Booz & Ruth ortus Obed, avus Davidis.

LIBER I. REGUM.

I. Naſcitur ex Anna Samuel.
II. Canticum Annæ. v. 12. Scelera filiorum Heli.
III. Samuel domui Heli perniciem vaticinatur.
IV. Capta arca fœderis, mors Heli & filiorum.
V. Dagon ab arca proſternitur, Philiſthæi damnis afficiuntur.
VI. Arca remiſſa; Bethſamitarum clades.
VII. Hebræi pœnitentes victoria potiuntur.
VIII. Hebræi petunt regem.
IX. Saul aſinas quærens, regnum invenit.
X. Saul ungitur, & in Maſpha rex promulgatur.
XI. Saul Ammonitas domat.
XII. Samuelis innocentia palam facta.
XIII. Saul male ſacrificans. v. 19. Iſrael inermis.
XIV. Jonathas victor, ob mel guſtatum in capitis periculum adducitur.
XV. Bellum contra Amalec,

Caput

lec, in quo Saul non obtemperans a DEO rejicitur.

XVI. David ungitur, & coram Saule citharam pulſat.

XVII. Goliat a Davide ſternitur.

XVIII. Davidis & Jonathæ amicitia. v. 6. Saulis invidia & furor. v. 7. Michol Davidis uxor.

XIX. Saul a Jonatha placatur. v. 8. Denuo in Davidem furit. v. 11. Michol virum liberat. v. 19. Saul inter prophetas.

XX. Jonathas Davidem ſagittarum indicio monet.

XXI. David fugiens ad Abimelechum & regem Achis venit.

XXII. David exilii locum ſæpius mutat. v. 9. Sacerdotes a Saule occiſi.

XXIII. Ceilam David liberat, & a Ziphæis proditur.

XXIV. David Sauli parcit, ora chlamydis abſciſſa.

XXV. David a Nabaale offenſus, Abigailem ducit.

XXVI. Saulis haſtam & ſcyphum David aufert.

XXVII. David in Siceleg habitat.

XXVIII. Saul pythoniſſam conſulit.

XXIX. Philiſthæi opem Davidis contra Hebræos recuſant.

XXX. Siceleg incenſam David ulciſcitur.

XXXI. Saul cum filiis occumbit.

LIBER II. REGUM.

I. Nuncius de Saulis morte perimitur. v. 17. Davidis lamentatio.

II. Juda Regem Davidem, Iſrael Isboſethum agnoſcunt.

III. Abner a Joabo interficitur.

IV. Puniuntur interemptores Isboſethi.

V. Toto regno potitur David, & arcem Sion capit. v. 10. Ejus felicitas, liberi, & novæ victoriæ.

VI. Percuſſio Ozæ. v. 12. David coram arca ſaltat, irridente Michole.

VII. Domum Domini non a Davide, ſed ab ejus filio ædificandam eſſe.

VIII. Aliæ Davidis victoriæ.

IX. Davidis beneficentia in Miphiboſethum.

X. Plectuntur Ammonitæ ob violatos Davidis legatos.

XI. Davidis adulterium, & homicidium.

XII. David pœnitens, v. 26. Expugnata Rabbath.

XIII. Amnon propter læſam Thamarem ab Abſalone occiditur.

XIV. Thecuitis Davidem Abſaloni conciliat.

XV. Abſalone invadente imperium, David fugit.

Caput

XVI. Sibæ fraus. v. 5. Semei convicia. v. 15. Abſalonis impudentia Hieroſolymæ.

XVII. Chuſai & aliorum in Davidem fidelitas, Achitophelis mors.

XVIII. Abſalonis interitus.

XIX. Davidis luctus, & cetera victoriam conſecuta.

XX. Amaſa, & Seba pereunt.

XXI. Saulis filii a Gabaonitis in crucem ſublati. v. 15. Bella IV. Philiſthina.

XXII. Davidis carmen, quo gratias DEO agit.

XXIII. Canticum Davidis ultimum, & viri ejus illuſtres.

XXIV. Peſtis ob numeratum populum.

LIBER III. REGUM.

I. Abiſag electa. v. 5. Adonias regnum affectat. v. 28. Salomon ungitur.

II. Mors Davidis, Adoniæ, Joabi, & Semei.

III. Salomonis conjugium, & ſapientia. v. 16. Lis duarum mulierum de infante.

IV. Salomonis miniſtri, ſplendor, opes, & ſapientia.

V. Operarii Tyrii & Iſraelitæ.

VI. Templi fabrica.

VII. Regia Salomonis, domus ſaltus Libani, domus Reginæ, Templi ſupellex & ornamenta.

VIII. Templi dedicatio.

IX. DEUS exhortatur Salomonem. v. 10. Urbes Hiramo datæ, & novæ ædificatæ. v. 26. Claſſis in Ophir miſſa.

X. Regina Sabæ. v. 14. Opulentia & magnificentia Salomonis.

XI. Salomonis uxores ex alienigenis, & mors.

XII. Roboam duarum, Jeroboam decem Tribuum rex.

XIII. Jeroboami impietas, & pœna. v. 11. Propheta a leone occiſus.

XIV. Filius Jeroboami, & ipſe Jeroboam moriuntur. v. 21. Roboami & populi ſcelera per Seſacum caſtigata.

XV. Abjam, Aſa, Joſaphat, reges Juda: Nadab, & Baaſa, reges Iſrael.

XVI. Mortuo Baaſa, reges Iſraelis Ela, Zambri, Amri, Achab.

XVII. Elias a corvis paſcitur, Sareptanam mulierem alit, ejus filium excitat.

XVIII. Elias Achabum increpat, & Baalis ſacerdotes necat.

XIX. Elias in Horeb monte. v. 19. Eum ſequitur Eliſeus.

XX. Bellum Syriacum, & victo-

Caput

victoria Achabi.

XXI. Nabothi vinea, domino pernicioſa.

XXII. Achab & Joſaphat vincuntur a Syriis: illi Ochozias, huic Joram ſuccedit.

LIBER IV. REGUM.

I. Elias ignem e cœlo in milites Ochoziæ devocat: huic mortuo ſuccedit Joram.

II. Elias curru igneo rapitur. v. 19. Eliſei prodigia.

III. Regnum Moab vaſtatum.

IV. Multiplicatum oleum, puer Sunamitidis redivivus, alia mira.

V. Mundatus Naaman, Giezi eodem morbo punitus.

VI. Ferrum natans, currus ignei, Syri excæcati, fames Samariæ.

VII. Repentina Samariæ abundantia.

VIII. Septennis fames. v. 7. Hazael rex Syriæ. v. 16. Jorami ſucceſſor in regno Juda Ochozias.

IX. Exitium Jorami, Ochoziæ, & Jezabelis.

X. Jehu progeniem Achabi & ſacerdotes Baalis extinguit. v. 31. Hazael Iſraelis victor. v. 35. Mortuo Jehu ſuccedit Joachaz.

XI. Athaliæ tyrannis, & nex.

XII. Joas, & Amaſias, reges Juda.

XIII. Poſt Joachaz rex Iſrael Joas. v. 20. Eliſei cadaver mortuo vitã reddit.

XIV. Res geſtæ ab Amaſia, & Joas. v. 21. Azarias rex Juda, Jeroboam rex Iſrael.

XV. Azariæ ſuccedit Joatham. v. 8. Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceja, Phacee, Oſee, reges Iſrael.

XVI. Achaz rex Juda.

XVII. Captivitas Aſſyria Iſraelis.

XVIII. Ezechiam, religioſiſſimum regem Juda, invadit Sennacherib.

XIX. Sennacherib, CLXXXVM. ſuorum amiſſis, fugit, & perit.

XX. Ægrotanti Ezechiæ prorogatur vita. v. 12. Theſauri Babyloniis oſtenſi.

XXI. Manaſſes, & Amon, reges Juda.

XXII. Joſias templum inſtaurat. v. 8. Liber legis repertus.

XXIII. Joſias prælegit librum legis, & fœdus novum cum Domino init. v. 30. Succeſſores Joachaz & Joakim.

XXIV. Diripitur terra Juda. v. 6. Joachin, & Sedecias, reges Juda.

XXV. Sedecias a Nabuchodonoſore in captivitatem Babylonicam cum ſuis abducitur.

Caput

LIBER I. PARALIPOMENON.

I. Genealogia ab Adamo ad Abrahamum. v. 35. Poſteri Eſau.
II. Genealogia Judæ patriarchæ uſque ad Davidem.
III. Genealogia Davidis.
IV. Genealogia filiorum Judæ, & Simeonis.
V. Genealogia Ruben, Gad, Manaſſe trans Jordanem.
VI. Genealogia Levi, cum officiis & urbibus Levitarum.
VII. Genealogia Iſſachar, Benjamin, Nephthali, Manaſſe cis Jordanem, Ephraim, & Aſer.
VIII. Genealogia Benjaminitarum.
IX. Primi incolæ urbis ſanctæ. v. 35. Gabaonitarum & Saulis familia.
X. Saulis mors.
XI. David omnium Tribuum rex. v. 4. Capit arcem Sion. v. 12. Heroes Davidis ſocii.
XII. Viri fortes ceteri Davidem ſecuti.
XIII. Arca fœderis reducta, & percuſſio Ozæ.
XIV. Davidis felicitas, ſoboles, victoriæ.
XV. Hieroſolymam introducitur arca, ſaltante coram ea Davide, quem Michol irridet.
XVI. Miniſtri arcæ ac tabernaculi, & laudes DEI.
XVII. Promittitur Davidi filius Templum ædificaturus.
XVIII. Novæ Davidis victoriæ.
XIX. Vindicatur injuria, legatis Davidicis ab Hanone illata.
XX. Ammonitis expilata, profligati ſæpius Philiſthæi.
XXI. Numeratur populus: unde trium dierum peſtilentia.
XXII. Davidis apparatus ad ædificandum a filio Templum.
XXIII. David Salomonem regem deſignat, & Levitarum miniſteria diſtribuit.
XXIV. Familiarum Eleazar & Ithamar vices.
XXV. Muſicorum ordines.
XXVI. Cuſtodes portarum ac theſaurorum.
XXVII. Militum ac Tribuum duces, miniſtri regii.
XXVIII. Comitia regni, in quibus David Salomonem ſucceſſorem proponit, & ædificationem templi commendat.
XXIX. Davidis ad populum ac DEUM verba ultima, & mors.

LIBER II. PARALIPOMENON.

I. Salomonis ſacrificium in Gabaon, ſapientia, & gloria,
II. Architecti, & operarii pro Templi ſtructura collecti.
III. Templum, porticus, ſanctuarium, velum, columnæ ad fores.
IV. Altaria & multiplex inſtrumentum Templi.
V. Arca Templo illata.
VI. Salomonis oratio.
VII. In Templi dedicatione favor Dei, & hominum gaudium.
VIII. Urbes a Salomone ædificatæ, conſtituta Levitarum miniſteria, navigatio in Ophir.
IX. Regina Sabæ. v. 13. Salomonis divitiæ, gloria, & mors.
X. Roboamum Jeroboam imperio decem Tribuum privat.
XI. Res geſtæ a Roboamo.
XII. Seſac prædator.
XIII. Abia rex Juda.
XIV. Aſa rex urbes ædificat & munit, Zaram vincit.
XV. Azariæ vaticinium. v. 8. Aſa & populus religionis ſtudioſus.
XVI. Res ceteræ regis Aſa.
XVII. Regis Joſaphat in DEUM pietas, & gloria.
XVIII. Joſaphat & Achab juncti fœdere. v. 6. Michææ vaticinium. v. 28. Prælium in Ramoth Galaad.
XIX. Joſaphat a propheta reprehenſus, judices & ſacerdotes ſapienter hortatur.
XX. Joſaphat ſine pugna victor. v. 35. Fœdus ejus cum Ochozia.
XXI. Joram.
XXII. Jehu, Athalia.
XXIII. Joas a Jojada elatus in ſolium.
XXIV. Extrema regis Joas non reſpondent initiis.
XXV. Amaſias.
XXVI. Ozias.
XXVII. Joathan.
XXVIII. Achaz.
XXIX. Ezechiæ religio.
XXX. Solemne paſcha ſub Ezechia.
XXXI. Simulacra dejecta: Levitarum miniſteria, & alimenta.
XXXII. Sennacherib depulſus.
XXXIII. Manaſſes, & Amon.
XXXIV. Joſias Divinæ legis amantiſſimus.
XXXV. Paſcha ſolemne alterum ſub Joſia. v. 20. Bellum Ægyptiacum, & Joſiæ mors.
XXXVI. Joachaz, Joakim, Joachin, Sedecias.

LI-

Caput

LIBER I. ESDRÆ.

I. Cyrus Judæos e captivitate dimittit, redditis Templi vaſis.
II. Numerus & nomina remigrantium, duce Zorobabele.
III. Extructum altare, fundamenta Templi locata.
IV. Samaritani fabricam Templi impediunt.
V. Aggæus & Zacharias ædificationem Templi urgent, obnitentibus incaſſum Samaritis.
VI. Darius ædificium adjuvat. v. 14. Templi abſolutio ac dedicatio, & primum paſcha.
VII. Edictum regium ab Eſdra allatum.
VIII. Eſdræ comites, & apportata vaſa ac pecuniæ.
IX. Uxores Judæorum externæ contra legem.
X. Eadem matrimonia reſciſſa.

LIBER II. ESDRÆ.

I. Nehemiæ triſtitia, & pro ſua gente ſollicitudo.
II. Nehemias a rege facultatem obtinet inſtaurandæ urbis ſanctæ.
III. Enumerantur, qui muros, turres, ac portas ædificarunt.
IV. Hebræorum vigilantia contra hoſtes.
V. Nehemias avaritiæ ſe opponit, in omnes ipſe liberaliſſimus.
VI. Vitatis hoſtium inſidiis, murus Jeruſalem perficitur.
VII. Recenſentur, qui e captivitate rediere.
VIII. Eſdras legem promulgat.
IX. Fœdus novum cum Domino.
X. Signatores fœderis.
XI. Incolæ Hieroſolymæ & urbium Juda.
XII. Nomina ſacerdotum ac Levitarum: muri dedicatio.
XIII. Lectum volumen Moyſis, & opere impleri cœptum.

TOBIAS.

I. Utriuſque Tobiæ virtus.
II. Tobiæ patris cæcitas.
III. Tobiæ & Saræ preces.
IV. Tobiæ ad filium oratio.
V. Tobiæ filii iter in Mediam.
VI. Raphaelis præcepta de piſce, & conjugio.
VII. Tobiæ & Saræ matrimonium.
VIII. Malus dæmon a Raphaele abactus.
IX. Recepta a Gabelo pecunia.

X. To-

Caput
x. Tobias cum uxore ad anxios parentes revertitur.
xi. Tobias filius patri oculorum uſum reſtituit.
xii. Raphael ſe manifeſtat.
xiii. Tobias pater DEUM laudat, & Jeroſolymæ proſpera vaticinatur.
xiv. Ultima Tobiæ ſenis monita.

JUDITH.

i. Nabuchodonoſor, victo Arphaxado, regnorum omnium imperium ambit.
ii. Holofernis exercitus metum omnibus incutit.
iii. Provinciæ paſſim Holoferni ſe dedunt.
iv. Hebræi humana Divinaque præſidia contra hoſtem parant.
v. Achioris narratio de Hebræorum gente.
vi. Achior a Judæis liberatus.
vii. Betulia obſeſſa.
viii. Judith ſacerdotibus animos addit.
ix. Judith pro populo DEO ſupplex.
x. Ad Holofernem adducitur Judith.
xi. Holofernes non intellectis Judithæ verbis decipitur.
xii. Judithæ amore flagrat Holofernes.
xiii. Judith Holofernis caput Bethuliæ infert.
xiv. Hebræorum eruptio.
xv. Hoſtium fuga.
xvi. Judithæ canticum.

ESTHER.

i. Aſſueri convivium, Vaſthi repudiata.
ii. Eſther Aſſueri conjux, & regina. v. 21. Mardochæus conjurationis index.
iii. Aman Judæis omnibus exitium molitur.
iv. Mardochæi conſilium, & Eſtheris præparatio.
v. Eſtheris convivium. v. 9. Crux Mardochæo parata ab Amane.
vi. Honor publicus Mardochæo habitus.
vii. Aman ab Eſthere accuſatus, in crucem agitur.
viii. Edictum Aſſueri contra Judæorum hoſtes.
ix. Judæi inimicos trucidant: unde feſtum ſortium.
x. Mardochæi ſomnium.
xi. Ejuſdem ſomnium aliud, præcedens Amanis inſidias.
xii. Repetitur ex C. II. conjuratio a Mardochæo patefacta.
xiii. Decretum regium de exſcindenda Judæorum gente; referendum ad C. III.

Caput

C. III. poſt v. 14. Mardochæi precatio ; ſubjungenda, aut intexenda Capiti IV.

XIV. Luctus & preces Eſtheris, ante ingreſſum ad regem.

XV. Eſther Aſſuerum non vocata accedit : quod C. V. narratum brevius.

XVI. Edictum regium contra Judæorum hoſtes, memoratum Cap. VIII. v. 13.

J O B.

I. Jobus divitias liberoſque amittit.

II. Jobus corporis doloribus obrutus, a conjuge irridetur, ab amicis inviſitur.

III. Miſeriæ hominis viventis.

IV. Eliphaz criminatur Jobum, negans, innocentes a DEO percuti.

V. Idem argumentum ab Eliphazo pertexitur.

VI. Exponit Jobus dolorum ſuorum vim, mortem optat, & amicorum humanitatem deſiderat.

VII. Calamitoſa hæc vita faſtidium ſui parit.

VIII. Baldad inique contendit, ſolis bonis bona, mala ſolis malis evenire.

IX. Reſpondet Job, infinitam eſſe DEI juſtitiam, ut ſapientiam & potentiam ; flagellari ab eo innocentes & impios, neque poſſe ab homine conſilia ejus indagari.

X. Oſtendit Jobus, dolorum ſuorum cauſſam non eſſe peccata ſua, nec DEI ignorantiam, qui hominis intima perſpicit. Tantis tamen impar doloribus, mori cupit.

XI. Sophar objicit, peccaſſe Jobum, & pœnitentiam ſuadet.

XII. Reponit Jobus, non ignorare ſe DEI ſapientiam, ſummumque in res omnes dominatum.

XIII. Injuſtis amicorum de ſe judiciis pœnam DEI minatur. v. 20. DEUM ipſum rogat, ut cauſſam tot ærumnarum ſibi aperiat.

XIV. Spectata humana fragilitate, admiratur DEI providentiam, animal tam infirmum tam ſedulo curantis.

XV. Eliphaz inſtat, neminem eſſe mundum, & ſceleſtos a DEO torqueri.

XVI. Cruciatus ſuos commemorat Jobus, ſuæque innocentię teſtem DEUM invocat.

XVII. Tumulum ait eſſe miſeriarum omnium terminum, ab eoque ſe proxime abeſſe.

XVIII. Baldad amplificat impio-

Caput

piorum ſupplicia, ut oblique ſignificet, Jobum quoque ex eorum numero eſſe.

XIX. Job inter mala graviſſima ſe ipſe conſolatur ſpe vitæ futuræ, etiam corpori obventuræ.

XX. Sophar Jobum perſtringit, dum flagitioſos interire demonſtrat.

XXI. At Jobus contra affirmat, impios diu florere, ſed ſervari ad ſtatutum certo die ſupplicium.

XXII. Eliphaz Jobo immiſericordiam in egenos exprobat. v. 12. Jubet eum venerari majeſtatem Divinam, eamque propitiare.

XXIII. Job ad Divinum judicium modeſte provocat.

XXIV. Multiplex peccatorum genus, nullum tamen impunitum.

XXV. Baldad negat, juſtum eſſe hominem cum DEO collatum.

XXVI. Reſpondet Job, omnipotentem DEUM humana opera non indigere.

XXVII. Jobi in virtute conſtantia. v. 8. Improborum infelicitas certa.

XXVIII. Sapientiæ cæleſtis elogium.

XXIX. Job vitam ſuam ſuperiorem commemorat.

XXX. Calamitatem ſuam præſentem felicitati priori opponit.

XXXI. Virtutes Jobi omnigenæ.

XXXII. Eliu Jobum reprehendit.

XXXIII. Idem Jobum eſſe juſtum negat.

XXXIV. Rurſum Eliu impugnat Jobum.

XXXV. Non DEO, ſed nobis, noſtram ſeu virtutem prodeſſe, ſeu malitiam nocere.

XXXVI. Juſtiſſima DEI providentia.

XXXVII. Solus DEUS gubernat omnia.

XXXVIII. Vox DEI ad Jobum de ſumma ſua potentia.

XXXIX. Enumerat DEUS alia potentiæ ſuæ opera.

XL. De Behemoth, & Leviathan.

XLI. Reliqua de Leviathan.

XLII. Job a DEO laudatus, & in felicitatem priſtinam reſtitutus.

PSALTERIUM.

I. Sola hominis felicitas, DEI amor & obſequium.

II. Regnum Chriſti per totum orbem, fruſtra obluctantibus hoſtibus.

III. Chriſtus (& juſtus quilibet) patiens, moriens, reſurgens.

IV. Qui pervenire ad regnum volunt, DEUM invo-

invocent.

v. DEUS præſidium contra hoſtes omnes, tum homines, tum maxime dæmones.

vi. Dominus animarum debilium medicus.

vii. Innocentiæ defenſorem DEUM implorat.

viii. Sublimiſſima hominis conditio.

ix. Epinicion, victis hoſtibus: & novi contra eoſdem auxilii imploratio.

x. Juſtum DEI judicium, & pœnæ nefariis hominibus infligendæ.

xi. In corruptos illius (& noſtri) ſeculi mores.

xii. Quatuor ſuſpirandi cauſſæ; DEUS hominis juſti oblitus, dilata conſolatio, mali exaltati, iidem inſultantes.

xiii. Depravationis humanæ emendatio per Meſſiam.

xiv. Quis recipiatur in domum DEI.

xv. De Chriſti gloria, & vita poſt mortem nova.

xvi. Graviter periclitantis ſuſpiria.

xvii. Gratiarum actio pro liberatione ab hoſtibus.

xviii. Lex Chriſti ubique promulgata.

xix. Vota populi pro rege ad bellum proficiſcente.

xx. Regis victoria.

xxi. Chriſti morientis ad Patrem verba.

xxii. Dominus paſtor gregis ſui.

xxiii. Arcæ fœderis in ſanctuarium deportatio.

xxiv. Aſcendere ad DEUM cupiens, peccata, impedimenta viæ, deteſtatur.

xxv. Incontaminatum eſſe oportet, qui aſſiſtere altari velit.

xxvi. Expectemus per fidem, quæ promiſſa ſunt.

xxvii. Orat, ne innocentem ſe DEUS perire cum nocentibus ſinat.

xxviii. Vocis Divinæ potentia.

xxix. Soteria, gravi ſuperato morbo.

xxx. In ſummis periculis ſumma DEI miſericordia.

xxxi. Beati, quibus venia peccatorum a DEO tribuitur.

xxxii. Gaudium de operibus infinitæ potentiæ & bonitatis Divinæ.

xxxiii. DEUS adjutor ſuorum fidiſſimus.

xxxiv. Væ impiis.

xxxv. DEUS origo luminis ſempiterni.

xxxvi. Brevis & minime invidenda ſceleratorum felicitas.

xxxvii. Peccatorum pœnas deprecatur.

xxxviii. Humanæ naturæ vilitas.

xxxix. Chriſtus Servator, cruciatuum & mortis victor.

xl. Chriſtus ab Juda familiari ſuo proditus, & ab Judæis popularibus ſuis oppugnatus.
xlı. DEI præſentiam, ut cervus fontem, expetit.
xlıı. Sacra Davidis exulis deſideria.
xlııı. Inter quotidiana mala ſuperamus per eum, qui dilexit nos.
xlıv. Epithalamium Chriſti & Eccleſiæ.
xlv. DEUS perturbationes & bella ſedat.
xlvı. Chriſti in cœlum aſcendentis triumphus.
xlvıı. Spiritus Divini vis in Eccleſia.
xlvııı. Vanitas divitiarum.
xlıx. Sacrificiis ſuis fruſtra confidit, qui legi non obtemperat.
l. Pœnitentis Davidis oratio.
lı. Quantum lingua prava noceat aliis, & ſibi.
lıı. Depravatio eorum, qui nullum eſſe DEUM credunt.
lııı. Domini tantum armis adverſus impios utitur.
lıv. Contra perfidos amicos inſidiantes, & hoſtes aperte irruentes.
lv. DEO confiſus, inimicum hominem non timet.
lvı. Preces fugientis hoſtem, ſed certam ſibi DEI opem pollicentis.
lvıı. Contra malos judices.
lvııı. Juſtus, ab hoſte circumſeſſus, a DEO liberatur.
lıx. In DEO faciemus virtutem, quæ clauſula eſt hujus ipſius pſalmi.
lx. De exilio educi optat.
lxı. DEO ſubjecta ſit anima noſtra.
lxıı. Peregrinantis exulis vota, patriam deſiderantis.
lxııı. Etiam inter diſcrimina, lætabitur juſtus in Domino.
lxıv. Eccleſiæ ſolum fertiliſſimum.
lxv. Per ignem & aquam ad refrigerationem tenditur.
lxvı. Propagatio Eccleſiæ inter gentes.
lxvıı. Chriſtus exaltatus, & exaltans Eccleſiam
lxvııı. Chriſtus, ab hoſtium oppreſſione liberatus, eosdem plectit, & Patri grates agit.
lxıx. Chriſtus Servator, cruciatuum & mortis victor.
lxx. Ab adoleſcentia ad ſenectutem uſque DEUS ſuos non deſerit.
lxxı. Regis (Meſſiæ) imperium, a mari uſque ad mare, & a flumine (Jordane) uſque ad terminos orbis terrarum.
lxxıı. Cur in hac vita ſæpe probis improbi ſint fortunatiores.
lxxııı. Contra vaſtatores Eccleſiæ.
lxxıv. Dialogus inter DEUM & prophetam: hic laudes promittit, ille impiis & ſuperbis minatur.

lxxv. Eccleſiæ de inimicis ſuis triumphi.
lxxvi. Sancta animi delectatio ex operum DEI mirabilium recordatione.
lxxvii. Certamen DEI benefici, & populi ingrati.
lxxviii. Lamentatio ob detrimenta Eccefiæ illata.
lxxix. Eccleſiæ vinea.
lxxx. Invitatio ad celebrandos dies feſtos.
lxxxi. DEUS ſupremus omnium judicum judex.
lxxxii. Fœderati contra DEI populum plures hoſtes, ut ſtipula ab ipſo difflantur.
lxxxiii. Templum DEI amabile.
lxxxiv. Per ſolam Domini benignitatem terra noſtra dat fructum ſuum.
lxxxv. DEUS ſolatium inopis, & lætitia pauperis.
lxxxvi. Civitas DEI glorioſa.
lxxxvii. In ærumnis gravibus fortitudo & ſpes.
lxxxviii. Perennitas regni, Davidi a DEO promiſſi, per Meſſiam implenda.
lxxxix. Anni hominis inanes & pauci.
xc. Aſyli Divini ſecuritas.
xci. Judicia DEI adorat.
xcii. Tempeſtatum moderator DEUS.
xciii. DEUS ultionum Dominus.
xciv. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.
xcv. Idololatria per Meſſiam profliganda.
xcvi. Chriſtus judex ab hominibus & Angelis adorandus.
xcvii. De primo & ſecundo Chriſti adventu.
xcviii. Venerari terribile & ſanctum DEI nomen, jubent nos exempla patrum.
xcix. Servite Domino in lætitia.
c. Officia principis, & patrisfamilias cujusvis.
ci. Pauper & anxius in conſpectu Domini effundit preces.
cii. Ut pater filiorum, ſic DEUS miſeretur timentium ſe.
ciii. Dominus in opificio ſuo & gubernatione admirabilis.
civ. DEUS populi ſui dux in terram promiſſam.
cv. Quanta DEI a ſuis offenſi clementia.
cvi. Dominus ſe invocantes ex omni diſcrimine eripit, & bonis omnibus auget.
cvii. In DEO faciemus virtutem.
cviii. In Judam proditorem; & omnes ejuſdem perfidiæ hæredes.
cix. Chriſtus ad dexteram Patris ſedens, & Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.
cx. Omnia opera Domini magna

gna

gna in conſilio juſtorum.
cxi. Vera gloria, & jucunditas, ex DEI timore, & in homines miſericordia.
cxii. Modeſtiam, & laudem DEI commendat.
cxiii. Non nobis, Domine, ſed nomini tuo da gloriam.
cxiv. Vox juſti, qui poſt diuturnos labores denique a DEO ſuſcipitur.
cxv. Sacrificium gratiarum actionis promittit.
cxvi. Ob miſericordiam honorandus DEUS.
cxvii. In ſolo Chriſto ſalus.
cxviii. Legis Divinæ elogium ornatiſſimum.
cxix. Contra linguas hominum conſtantia & auxilium petitur.
cxx. Ad DEUM querimonias noſtras afferamus.
cxxi. Gaudium in exilio a ſpe reditus in patriam.
cxxii. Levandi ad DEUM oculi.
cxxiii. Noſter in bello imperator DEUS.
cxxiv. Firmitudo animi in homine juſto.
cxxv. Poſt dolores non diuturnos libertas lætiſſima nos manet.
cxxvi. Nulla ſecuritas, nulla fœcunditas, niſi per DEUM.
cxxvii. Beati, qui timent Dominum.
cxxviii. Sæpe difficultates paſſi, ſæpe liberati, nunc quoque ſperemus.
cxxix. De profundo peccati barathro nos eripit DEUS.
cxxx. Animi elationem condemnat.
cxxxi. Divina promiſſio de poſteritate Davidis, præſertim de Meſſia.
cxxxii. Eccleſiæ conſenſio, ſuavis, & frugifera.
cxxxiii. Viros DEO conſecratos præ aliis decent ejus laudes.
cxxxiv. Supremum dominium DEI, qui omnia, quæcunque voluit, fecit.
cxxxv. In æternum miſericordia ejus.
cxxxvi. Recordatio patriæ in terra aliena.
cxxxvii. Dominus humilia reſpicit.
cxxxviii. DEI immenſa ſcientia, omnia intuens.
cxxxix. Contra fraudulentiam, & maledicendi audaciam.
cxl. Candorem ſuæ orationis & cogitationis probandum DEO proponit.
cxli. Imminente morte, juſti ad DEUM precatio.
cxlii. Verba pœnitentis, moleſtas peccati reliquias & ad idem incitamenta in animo ſentientis.
cxliii. Victoriæ præteritæ docent nos, etiam futuras ſperare.
cxliv. Solis Domini laudibus vacandum.
cxlv. Alleluja, id eſt, laudate

date DEUM; quia ſolum adjutorem.
cxlvi. Laudate DEUM, ſolum admirabilem.
cxlvii. Laudate DEUM, ſolum largitorem.
cxlviii. Laudate DEUM, ſolum conditorem.
cxlix. Laudate DEUM, ſolum judicem.
cl. Laudate DEUM, ſolum omni modo laudabilem.

Caput

PROVERBIA.

i. Invitatio ad Sapientiam audiendam.
ii. Sapientiæ utilitas.
iii. Fructus alii ſapientiæ.
iv. Diſciplina paterna commendatur.
v. Vetitis amoribus amor maritalis opponitur.
vi. De ſponſoribus. v. 6. Contra pigritiam, aliaque vitia legi adverſantia.
vii. Adulteræ effigies, adoleſcentulum illaqueantis.
viii. Sapientiæ oratio, qua omnes ad ſe vocat.
ix. Sapientia domum & convivium apparat, animoſque contra Stultitiam præmunit.
x. De ſapiente & ſtulto ſententiæ alternæ.
xi. Æquitatis & iniquitatis diſſimilitudo.
xii. Diſciplinæ amantes & fugientes comparati.
xiii. De lingua, & divitiis.
xiv. Sine conſilio nihil agendum.
xv. Vitæ pacificæ ac tranquillæ præcepta.
xvi. DEI judicia, & hominum officia.
xvii. De ratione loquendi, & tacendi.
xviii. Vera prudentia dux & adjutrix vitæ.
xix. Pergitur in eodem argumento.
xx. Quæ homini vitanda.
xxi. DEUS moderator omnium: nihil melius, quam ei placere, & ratione uti.
xxii. Proſpiciendum, effugiendum, laborandum.
xxiii. Converſatio, liberorum educatio, temperantia.
xxiv. Viri ſapientis gloria, proſperitas, & ſolertia.
xxv. Gloria regum, & privatorum.
xxvi. Contra ſtultos, pigros, litigioſos, & fraudulentos.
xxvii. Præcepta vitæ politicæ, œconomicæ, paſtoritiæ.
xxviii. De ſincera quiete, vero honore, & ſtabilibus opibus.
xxix. Monita principibus & ſervis, parentibus & liberis, juſtis & ſceleratis.
xxx. Salomon de ſuis erroribus confitetur, alios cavere jubet.
xxxi. Exhortatio matris regiæ ad filium. v. 10. Mulier fortis.

EC-

ECCLESIASTES.

I. Vana eſſe omnia.
II. Inanes deliciæ, divitiæ, & labores hominum.
III. Omnia cum tempore tranſeunt.
IV. Oppreſſio, invidia, ſterilitas, & mutabilitas.
V. Venerare DEUM, vota redde, avaritiæ ac opibus mediocritatem præfer.
VI. Miſer, qui partis frui non audet.
VII. Multis moleſtiis homo ſe ultro implicat.
VIII. Obedi DEO, patientia ejus ne abutere, & lætus ei te totum permitte.
IX. Vera bona ſunt occulta: illis ſolis ſtudendum.
X. Commendatio ſapientiæ, damna ſtultitiæ.
XI. Eſto beneficus: reſpice finem.
XII. Senectutis effigies, Timendus DEUS.

CANTICA.

I. Mutuæ laudes Sponſi ac Sponſæ. (id eſt, Chriſti & Eccleſiæ.)
II. Sponſa a Sponſo vocatur, favente jam anni tempeſtate.
III. Sponſa quærit & invenit dilectum, fortem, & glorioſum.
IV. Sponſæ pulcritudo.
V. Sponſus in hortum invitatur, amittitur, & quæritur.
VI. Venit Sponſus in hortum, & Sponſam omnibus aliis præfert.
VII. Poſt laudatam Sponſæ formam, in agrum egrediuntur.
VIII. Deſiderium & amor utriuſque.

SAPIENTIA.

I. Spiritus Sapientiæ quos amet, quos fugiat. v. 12. Mors ab homine orta, non a DEO.
II. Impiorum ſenſa & deſideria.
III. Futura juſtorum beatitas: ſceleratorum infelix eſt & opus, & proles.
IV. De fructibus radicis malæ, & immatura juſtorum morte.
V. Damnatorum lamenta. v. 17. DEI arma contra ſceleſtos.
VI. Ad reges & judices.
VII. Deſiderium ſapientiæ, ejuſque elogium.
VIII. Sapientia complectitur bona omnia.

Caput

IX. Salomon a DEO ſapientiam efflagitat.
X. Adam, Noe, Abraham, Lot, Jacob, Joſeph, Moyſes & filii Iſrael, ſapientia comite felices.
XI. Sapientia Divina Hebręos in deſertis, & contra Ægyptios protexit.
XII. Dei patientia, Chananæorum ſcelera diutiſſime tolerantis.
XIII. Stultitia eorum, qui DEI opera, vel ſimulacra pro diis adorarunt.
XIV. Ligni utilitas, nominatim ad navigationem: idolorum origo, & inutilitas.
XV. Deorum ſimulacra irridentur.
XVI. Ægyptiacæ plagæ, coturnices Hebræis datæ, ſerpens æneus, manna.
XVII. Tenebræ Ægyptiacæ.
XVIII. Hebræis columna ignea lucet, Ægyptii liberis orbantur. v. 20. Aarón pro populo deprecator.
XIX. Ægyptii pereunt, Hebræi liberantur.

ECCLESIASTICUS.

I. Sapientiæ origo a DEO, cujus timor laudatur.
II. Quomodo ſerviendum DEO.
III. Honor parentibus debitus. v. 19. moderatio, & miſericordia.
IV. Pergit de miſericordia: & de ſapientia.
V. De peccato, & de uſu linguæ.
VI. De amicitia, & diſciplina ſapientiæ.
VII. Quænam ſint vitanda homini probo.
VIII. Cum aliis quomodo agendum.
IX. De cavendis mulieribus. v. 14. De amicis, & iniquis.
X. De judicibus & rectoribus. v. 6. Contra injurias, & ſuperbiam.
XI. Intuenda res, non ſpecies. v. 10. De opibus, & paupertate. v. 11 De hominibus ignotis
XII. De beneficiis. v. 8. De inimicis.
XIII. Cum opulentis & præpotentibus familiaritas periculoſa.
XIV. De avaritia, invidia, & juſtitia.
XV. Sapientia mater gloriæ. v. 11. Liberum hominis arbitrium.
XVI. De timore DEI.
XVII. DEUS humani generis creator, gubernator, & judex.
XVIII. DEI magnitudo & bonitas: hominis miſeria multiplex.
XIX. De variis generibus vitiorum.
XX. De objurgatione, taciturnitate, donis.

XXI. Pec-

Caput
xxi. Peccatum inſtar colubri fugiendum.
xxii. Quanta incommoda ex deſidia, & ſtultitia. v. 25. Amicitia quomodo colenda.
xxiii. Siracidis ad DEUM precatio, ad homines adhortatio.
xxiv. Sapientiæ de ſe oratio.
xxv. Tria bona, tria mala, decem jucunda. v. 17. De nequitia muliebri.
xxvi. Mulieres bonæ & pravæ inter ſe opponuntur. v. 25. Tria indigna, duo difficilia.
xxvii. Occaſiones, quibus probatur virtus hominis & prudentia.
xxviii. Contra iram, & linguam nequam.
xxix. De mutatione, ſtipe, ſponſione. v. 28. Incommoda peregrinorum.
xxx. De liberorum educatione, & ſanitate corporis animique.
xxxi. De temperando auri amore. v. 12. De ſobrietate.
xxxii. De officio rectoris, muſica, moderatione linguæ, timore Domini, & conſilio.
xxxiii. DEUS auctor legis, temporum, & eventuum humanorum. v. 20. Prima cuique ſui ipſius cura. v. 25. De ſervis.
xxxiv. Non ſomniis & auguriis, ſed experientia ac DEI præſidio nitendum. v. 21. Mala ſacrificia ex inique partis.
xxxv. Quæ ſacrificia & preces DEO placeant.
xxxvi. Preces pro populo electo. v. 20. De matrimoniis.
xxxvii. De fictis ac veris amicis & conſiliariis. v. 32. Temperantia in victu.
xxxviii. De ægrotantibus, & mortuis. v. 25. Diſcrimen inter ſapientiæ ſtudioſos, & agricultores ac opifices.
xxxix. Sapientis effigies. v. 16. Hortatur populum ad DEI laudes.
xl. Vitæ humanæ incommoda & commoda.
xli. Mors quibus acerba ſit & infelix. v. 19. Quæ cauſſæ erubeſcendi.
xlii. Quas ob cauſſas non ſit erubeſcendum. v. 9. Cuſtodienda filia: cavenda conſortia muliebria. v. 15. Divinorum operum contemplatio.
xliii. DEI magnificentia in cælo, aere, terra, mari.
xliv. De laudibus patrum, ſingulatim Enoc, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob.
xlv. De Moyſe, Aarone, Phinees, Davide.
xlvi. De Joſua, Caleb, Samuele.
xlvii. De Nathane, Davide, Salomone.

Caput
xlviii. De Elia, Eliſæo, Ezechia, Iſaia.
xlix. De Joſia, Jeremia, Ezechiele, Zorobabele, Jeſu filio Joſedec, Nehemia, Enoch, Joſeph, Seth, Sem, & Adam.
l. De Simone pontifice, & ipſo Siracide libri hujus auctore.
li. Laudatio DEI & ſapientiæ commendatio.

I S A J A S.

i. Inculcat pœnitentiæ neceſſitatem.
ii. Vocatio gentium ad montem Domini (Eccleſiam,) rejectis diis.
iii. Pœnæ Judæorum, præſertim ærumnæ luxui ſucceſſuræ.
iv. Poſt cladem virorum, prædicitur germen Domini Meſſias.
v. Vinea Domini, peccatis vaſtata.
vi. DEI viſio, Iſaiæ miſſio.
vii. Obſeſſæ Jeroſolymæ promittitur liberatio. v. 14. Virgo paritura Emmanuelem. v. 18. Muſca & apis evocandæ, i. e. hoſtis Ægyptius & Aſſyrius.
viii. Nomina Meſſiæ. v. 5. Vis hoſtium non lædet Judam, ſed Iſraelem tantum.
ix. Lux magna e Parvulo Meſſia. v. 8. Futura Iſraelis calamitas.
x. Aſſur virga furoris Domini, ſed confringenda.
xi. Meſſias omnes populos congregabit.
xii. Canticum Iſaiæ.
xiii. Babylon a Medis evertenda.
xiv. Reditus e captivitate Babylonica. v. 4. Regis & regni Babylonii caſus. v. 24. Aſſyriorum, & Philiſthæorum interitus.
xv. Strages Moabitarum.
xvi. Ejuſdem argumenti continuatio.
xvii. Vaſtabuntur Syri Iſraelis ſocii, & ipſe Iſrael.
xviii. Gens longinqua Domino ſervitura.
xix. Ægypti pœna primum, poſtea ſolatium.
xx. Iſaias nudus.
xxi. Contra Babylonem, Idumæam, & Arabiam.
xxii. Contra Hieroſolymam. v. 15. Præfectura templi a Sobna ad Eliacim transfertur.
xxiii. Tyrus deſtruenda.
xxiv. Judicium DEI, peccatis irati.
xxv. Beneficia DEI in Eccleſiam.
xxvi. Canticum juſtorum.
xxvii. Punito Leviathan, ceteriſque inimicis, reducentur Hebræi liberi.
xxviii. Contra ebrioſos, & illuſores.

Caput

xxix. Obſidio & excidium Hieroſolymæ: reliquiæ populi ſalutem conſecuturæ.

xxx. Contra fugientes in Ægyptum invito DEO.

xxxi. Contra eoſdem.

xxxii. Felicitas ſub rege juſto, Meſſia.

xxxiii. Contrito Sennacheribo, DEUS populum ſuum extollet.

xxxiv. Contra gentes externas, & nominatim Idumæam.

xxxv. Admiranda Meſſiæ prodigia.

xxxvi. Sacrilegi Rabſacis oratio.

xxxvii. Sennacheribi clades, & mors.

xxxviii. Ezechiæ morbus, ſanatio, & canticum.

xxxix. Ezechias Babyloniis theſauros oſtendit.

xl. Meſſiæ præcurſor: Meſſias deorum & falſitatis exterminator.

xli. DEI veri cum diis falſis comparatio.

xlii. Meſſiæ opera. v. 13. Contra ſceleratos.

xliii. DEI in ſervos ſuos benignitas.

xliv. Dominus ſolus DEUS: ſimulacrorum inanitas.

xlv. Liberatio populi electi per Cyrum, ejuſque antitypum Meſſiam.

xlvi. Repudiatis diis, agnoſcenda DEI gloria.

xlvii. Babylonis ſupplicium.

xlviii. DEI querela de ſuorum pervicacia.

xlix. Meſſias caput generis humani.

l. Synagoga Chriſtum repellit, & ab eo repellitur.

li. Conſolatio & ſpes Sionis.

lii. Meſſias per ſe & Apoſtolos ſuos electi populi ſervator.

liii. Fructus e cruciatibus & morte Meſſiæ.

liv. Eccleſia Meſſiæ glorioſior, quam Synagoga.

lv. DEI gratia efficaciſſima.

lvi. Domus DEI patet omnibus. v. 10. Reprehenduntur mali doctores.

lvii. Impiis non eſt pax.

lviii. Quæ jejunia, & quæ ſabbata DEO placeant.

lix. Humana iniquitas cum Divina bonitate certat.

lx. Eccleſia gentium omnium acceſſione augetur.

lxi. Meſſiæ, ejuſque miniſtrorum officia.

lxii. Populus Meſſiæ ſanctus.

lxiii. Chriſtus Gentium victor.

lxiv. Optat adventum Meſſiæ, populum mundaturi.

lxv. DEUS perfidis minatur, ſervis fidelibus bona promittit.

lxvi. De ſceleratorum pœnis, & Eccleſiæ fœcunditate.

JEREMIAS.

I. Jeremiæ miſſio. v. II. Viſum virgæ, & ollæ.
II. Exprobratur Hebræis, quod, fonte vivo derelicto, ciſternas ſibi foderunt.
III. Synagogam DEUS ad ſe revocat.
IV. Pœnitentiæ neceſſitas, ut furor Domini avertatur.
V. Omnia hominum genera Hieroſolymæ corrupta.
VI. Hoſtilis vaſtatio prædicitur ob neglectam morum emendationem.
VII. Vana ſpes de templo Domini, dum graſſantur flagitia.
VIII. Quia ſummi & imi ſectantur mala, omnes hoſtili gladio addicuntur.
IX. Luctus Prophetæ de futuris patriæ malis.
X. Non deorum ſimulacra, ſed verum DEUM timendum eſſe.
XI. Pactum Divinum. v.8. Populus id violat. v.19. Jeremiæ periculum.
XII. Impiorum proſperitas in ſummam miſeriam deſinet.
XIII. Vaticinium ex cingulo, & lagunculis.
XIV. Siccitas diuturna, fruſtra deprecante Jeremia.
XV. DEUS inexorabilem ſe præbet.
Pœnarum cauſſa ſunt dii falſi.
XVII. Fiducia in ſolo DEO. v. 19. Obſervantia ſabbati.
XVIII. Vaticinium ex officina figuli. v. 18. Jeremiæ parantur inſidiæ.
XIX. Vaticinium ex laguncula fracta.
XX. Phaſſur in Jeremiam injurius, hujus querelæ.
XXI. Jeremiæ reſponſum de Nabuchodonoſore.
XXII. Contra Joakim, ejusque familiam regiam.
XXIII. Contra malos paſtores, & falſos prophetas.
XXIV. Vaticinium e bonis maliſque ficis.
XXV. Propinatur Judæ calix furoris Domini.
XXVI. Novum Jeremiæ periculum, & liberatio.
XXVII. Vaticinium e vinculis ad reges miſſis.
XXVIII. Hananias falſus propheta: ejus mors.
XXIX. Epiſtola Jeremiæ ad Judæos captivos.
XXX. Promittitur reditus e captivitate, & Meſſias.
XXXI. Ubertas Divinæ gratiæ ſub Meſſia.
XXXII. Vaticinium ex emptione agri.
XXXIII. Solatium & promiſſa.
XXXIV. Sedeciæ captivitas, & urbis interitus prædicuntur.
XXXV. Rechabitarum obedien-

Caput

dientia, Judæorum pervicacia.

xxxvi. Liber Jeremiæ combuſtus, & rurſum ſcriptus.

xxxvii. Jeremiæ reſponſum Sedeciæ datum, & captivitas.

xxxviii. Abdemelech Jeremiam e fovea extrahit. v. 14. Sedecias eum ſecreto audit.

xxxix. Nabuchodonoſor capit Hieroſolymam, & Sedeciam oculis privat.

xl. Jeremias habitat apud Godoliam, qui inſidias prodentibus non credit.

xli. Iſmaelis crudelitas, & fuga.

xlii. Jeremias Hebræos fugere in Ægyptum vetat.

xliii. Judæorum fuga in Ægyptum. v. 8. Vaticinium Jeremiæ ex lapidibus.

xliv. Judæis fugitivis, ipſique Ægypto prædictum exitium.

xlv. Jeremias ſolatur Baruchum.

xlvi. Contra Ægyptum.

xlvii. Contra Philiſthæos, Tyrum, Sidonem.

xlviii. Contra Moab.

xlix. Contra Ammon, Idumæam, Damaſcum, Cedar, Aſor, Ælam.

l. Babylon vaſtanda, Hebræi liberandi.

li. Rurſus contra Babylonem.

lii. Repetitur narratio de capta Hieroſolyma, & Sedeciæ cæcitate.

THRENI.

i. Lamentatio Jeremiæ de capta Hieroſolyma.

ii. Everſio urbis, & templi.

iii. DEUS calamitatum auctor, ſed idem miſericors.

iv. Deſcripſio pereuntium.

v. Jeremiæ ad DEUM preces.

BARUCH.

i. Liber Baruchi cum collectis pecuniis Hieroſolymam mittitur.

ii. Captivorum confeſſio, & veniæ petitio.

iii. Peccantium ſtultitia, DEI ſapientia.

iv. Spes Divinæ opis.

v. Futura Hieroſolymæ gloria.

vi. Epiſtola Jeremiæ ad Judæos Babylonem abducendos.

EZE.

Caput

EZECHIEL.

I. Viſio quatuor animalium

II. Mittitur Ezechiel ad pertinaces, & librum comedere jubetur.

III. Ezechiel librum comedit, pervenit ad fluvium Chobar, domi vinctus permanet.

IV. Obſidio Hieroſolymæ præmonſtrata.

V. Vaticinium e pilis.

VI. Aerumnæ Hebræorum erunt pœna idolatriæ.

VII. Denunciatur finis Divinæ miſericordiæ.

VIII. Viſio abominandorum ſcelerum Hieroſolymæ.

IX. Strages omnium non ſignatorum.

X. Viſio Cherubim & rotarum.

XI. Contra Jezoniam & Pheltiam. v. 14. Cor ſaxeum auferetur.

XII. Imagines futuræ captivitatis Babylonicæ.

XIII. Falſorum prophetarum pœna.

XIV. DEUS nec reſpondebit per prophetas, nec parcet.

XV. Similitudo a ligno vitis.

XVI. Jeroſolyma deos adorans, ſub imagine puellæ impudicæ.

XVII. Duæ aquilæ, & cedrus.

XVIII. Oratio parænetica ad pœnitentiam.

XIX. Leæna. v. 10. Vinea.

XX. Reprehenſio Hebræorum: promittitur tamen auxilium.

XXI. Gladius ſuper Jeruſalem & Ammon.

XXII. Nulla pars populi Hebraici innocens.

XXIII. Oolla, & Ooliba.

XXIV. Vaticinium ex olla carnibus plena, & morte uxoris.

XXV. Contra inſultantes Hebræis afflictis.

XXVI. Ruina Tyri.

XXVII. Deploratur Tyrus exciſa.

XXVIII. Regis Tyrii ſuperbia, & ſupplicium.

XXIX. Clades Aegypti.

XXX. Urbes Aegypti, ejuſque ſocii, a Nabuchodonoſore populandi.

XXXI. Cedrus dejecta.

XXXII. Lamentatio ob interitum Pharaonis.

XXXIII. Propheta vigil in ſpecula.

XXXIV. Pro malis paſtoribus gregi ſuo DEUS paſtorem optimum promittit, Meſſiam:

XXXV. Contra Idumæam.

XXXVI. Reddenda terræ ſanctæ fertilitas ſua & opulentia.

XXXVII. Oſſa rediviva.

XXXVIII. Gog & Magog populo electo adverſabuntur.

XXXIX. Gog & Magog delebuntur.

XL.

Caput
XL. Viſio templi inſtaurandi.
XLI. Partes templi novi ſingillatim enumeratæ.
XLII. Ejuſdem templi partes aliæ.
XLIII. Gloria DEI in templo, menſuræ altaris, ſacrificia.
XLIV. Leges templi & ſacerdotum.
XLV. Diviſio terræ: leges de menſuris, & ſacrificiis.
XLVI. Legis templi aliæ.
XLVII. Viſio torrentis. v. 13. Terræ ſanctæ limites.
XLVIII. Partitio terræ in XII. tribus, Levitas, & principem. v. 30. Portæ urbis Jeruſalem.

D A N I E L.

I. Danielis & ſociorum victus, ac ſapientia cœleſtis.
II. Somnium Nabuchodonoſoris de ſtatua.
III. Danielis ſocii in fornace non læduntur.
IV. Nabuchodonoſoris ſomnium de arbore. v. 25. impletur.
V. Manus ſcribens in pariete.
VI. Daniel inter leones.
VII. Viſio quatuor beſtiarum.
VIII. Viſio arietis, & hirci.
IX. Vaticinium de LXX. hebdomadis.
X. De Angelis Perſarum & Græcorum, ac Michaele.
XI. De regibus Perſarum, & aliis.
XII. Michaelis victoria.
XIII. Suſannæ judicium.
XIV. Bel, & draco. v. 28. Danieli inter leones ſedenti prandium affert Habacuc.

O S E A S.

I. Vaticinium ex matrimonio & liberis Oſeæ.
II. Synagogæ via ſpinis ſepienda, ut ad officium redeat.
III. Diuturna DEI tolerantia.
IV. Enarrantur ſcelera Iſraelis: monetur Juda, ne imitetur.
V. Utrique regno minatur.
VI. Clamantes in anguſtiis iratus Dominus audire recuſat.
VII. Querela DEI de Iſraele.
VIII. Samaria cum vitulo ſuo projicienda.
IX. Captivitas Iſraelis, & perenne exilium.
X. Diviſum cor Iſraelis DEUS per Aſſyrios plectet.
XI. Amori Divino quam male reſponderit Iſraël.

XII.

Caput

XII. Quam diſſimiles Jacobo patriarchæ fuerit ejus poſteri Iſraelitæ.

XIII. Conſumet DEUS Iſraelem ut leo, ſed denique Meſſiam mittet.

XIV. Vulnera pœnitentium ſanabit Dominus.

JOEL.

I. Pœna famis prædicitur.

II. Ventura dies Domini terribilis, niſi reſipiſcant. v. 18. Liberalitas DEI in terram fidelium, & Spiritus Sancti adventus.

III. Judicium in valle Joſaphat.

AMOS.

I. Contra Syrios, Philiſthæos, Tyrios.

II. Contra Moab, Judam, Iſraelem.

III. Profanæ Iſraelis aræ & opes omnes diripiendæ.

IV. Ex pœnis prioribus conjicere gravitatem imminentium jubet.

V. Dehortatur a malo, adhortatur ad bonum.

VI. Væ ſuperbis, & genio indulgentibus.

VII. Locuſta, ignis, trulla cæmentarii. v. 10. Amaſias ſacerdos fruſtra ſe vaticiniis Prophetæ opponit.

VIII. Uncinus pomorum, principes cum plebe interituros ſignificans.

IX. Nullum effugium ſceleratis patebit: reliquiæ tamen conſervabuntur.

ABDIAS.

Supplicium vaticinatur Idumæis, qui Hebræis jacentibus inſultarant.

JONAS.

I. Jonas fugitivus in mare ejicitur.

II. Jonas a piſce abſorptus, & redditus.

III. Ninivitarum pœnitentia.

IV. Indignationem Jonæ Dominus compeſcit.

MI-

Caput

MICHÆAS.

I. Samariam fore acervum lapidum, & imitatricem ſcelerum Jeroſolymam pariter caſtigatum iri.
II. Exilium propter flagitia. v. 12. Reſiduos Meſſias colliget.
III. Procerum, falſorum prophetarum, & ſacerdotum peccata.
IV. Eccleſia Meſſiæ ſub montis imagine.
V. Meſſiæ locus natalis, beneficia in ſuos, victoria de hoſtibus.
VI. Quæ ſacrificia Divinis beneficiis rependenda.
VII. Paucitas proborum. v.7. Spes in Meſſia.

NAHUM.

I. Ira DEI in Niniven.
II. Ninive exitium.
III. Ejuſdem cum devaſtata Alexandria comparatio.

HABACUC.

I. Chaldæi Judæorum victores.
II. Male parta male dilabentur.
III. Canticum Prophetæ Habacuc.

SOPHONIAS.

I. Judæam & Jeruſalem ſcrutabitur Dominus.
II. Gentes impiæ deſtruentur.
III. Juſtitia DEI, & beneficentia.

AGGÆUS.

I. Templi ædificationem urget.
II. Templum ſecundum primo nobilius ob Meſſiæ præſentiam.

ZACHARIAS.

I. Proxima Judæorum liberatio e captivitate LXX. annorum.
II. Viſio menſoris.
III. Jeſus ſacerdos. v.8. Meſſias promittitur.
IV. Candelabrum aureum, duæ olivæ.
V. Volumen volans. v. 5. Mulier in amphora ſedēs.

VI.

Caput

VI. Viſio quatuor quadrigarum. v. 9. Templi veri ædificatio per Meſſiam.

VII. De jejuniis.

VIII. Nova Hieroſolymæ ac Templi gloria.

IX. Domitis hoſtibus, Meſſias Rex adveniet, ſalutis auctor.

X. Solus Dominus beneficia impertit.

XI. Similitudines paſtoritiæ, & XXX. argentei.

XII. Poſt ærumnas Spiritus Sanctus fideles implebit.

XIII. Fons ſalutis: prophetarum falſorum extirpatio: percuſſo paſtore grex diſpergendus.

XIV. Vaſtatoribus Hieroſolymæ punitis, Dominus Rex omnis terræ.

MALACHIAS.

I. Contemptus altaris Divini reprehenditur.

II. De ſacerdotibus, & conjugiis.

III. Præcurſor Meſſiæ, dilapſa reſtituturi.

IV. Sol juſtitiæ oriturus.

LIBER I. MACHABÆORUM.

I. Antiochus Judæos crudeliter vexat, humana, Divinaque violans.

II. Mathathiæ fortitudo & ante mortem oratio.

III. Judas Machabæus Apollonium & Seronem vincit. Lyſiæ bellicus, Hebræorum ſanctus ad nova prælia apparatus.

IV. Judas Gorgiæ & Lyſiæ copias cædit, ac templo reconcinnato ejus dedicationem celebrat.

V. Judæ Machabæi plures victoriæ.

VI. Antiochi mors; ejus filii contra Judæos vani conatus.

VII. Bacchidis & Alcimi ſævitia: Nicanoris interitus.

VIII. Judæ Machabæi cum Romanis fœdus.

IX. Judæ occiſo Jonathas Machabæus ſuccedit: res ab eo geſtæ.

X. Jonathæ gloria, & victoriæ.

XI. Ejuſdem victoriæ novæ.

XII. Jonathas poſt alia præclara facinora a Tryphone capitur.

XIII. Jonathas cum filiis interficitur. Simon ſucceſſor Gaza & arce Hieroſolymorum potitur.

XIV. Simon fruitur pace, & Laconum Romanorumque amicitia.

XV. Res Simonis reliquæ.

XVI. Simon interimitur: Joannes ſuccedit.

LI-

Caput

LIBER II. MACHABÆORUM.

I. Epiſtola Judæorum ex urbe ſancta ad Judæos in Ægypto.
II. Reſiduum ejuſdem epiſtolæ. v. 20. Præfatio in epitomen hiſtoriæ de Juda Machabæo & rebus ab Jaſone Cyrenæo ſcriptis.
III. Heliodorus a cœleſtibus geniis male multatus.
IV. Onias pontificatu & vita privatus. v. 37. Andronico, & Lyſimacho occiſis, Menelaus ſupplicium evadit.
V. Jaſonis impietas: Antiochi regis in Hebræos crudelitas.
VI. Religionem veram opprimere conatur Antiochus. v. 18. Senis Eleazari mors.
VII. Septem fratrum Machabæorum & matris ſupplicium.
VIII. Judas Machabæus exercitum Nicanoris, Timothei, & Bacchidis vincit. v. 32. Philarches, & Calliſthenes occiduntur.
IX. Antiochi regis mors.
X. Judas Machabæus templum purgat; Timotheum, alioſque vincit, cæleſti etiam auxilio adjutus.
XI. Lyſias prælio fractus, ejus, & regis, ac Romanorum literæ.
XII. Hoſtes diverſi a Juda Machabæo ſuperati.
XIII. Menelaus perimitur. v. 9. Antiochus rex Antiochi filius, ab Hebræis profligatus, pacem rogat.
XIV. Alcimi perfidia. v. 12. Nicanor ex amico hoſtis. v. 37. Raziæ mors.
XV. Nicanoris interitus.

SUMMARIA

INSTRUMENTI NOVI.

SERIES LIBRORUM LEGIS NOVÆ.

Matthæus.
Marcus.
Lucas.
Joannes.
Acta Apoſtolorum.
Pauli epiſtola ad Romanos.
Ad Corinthios duæ.
Ad Galatas.
Ad Epheſios.
Ad Philippenſes.
Ad Coloſſenſes.
Ad Theſſalonicenſes duæ.

Ad Timotheum duæ.
Ad Titum.
Ad Philemonem.
Ad Hebræos.
Jacobi epiſtola.
Petri epiſtolæ duæ.
Joannis epiſtolæ tres.
Judæ epiſtola.
Apocalypſis.

MATTHÆUS.

Caput

I. Genealogia JESU Chriſti, qui ex MARIA Virgine naſcitur.

II. Magi Chriſtum adorant. v. 13. Fuga in Ægyptum. v. 16. Herodes pueros trucidat.

III. Præcurſor Joannes: Chriſti baptiſmus.

IV. Chriſti jejunium. v. 3. Tentatur. v. 12. Docere incipit, piſcatores vocat, morbos ſanat.

V. Octo beatitudines, & Chriſtianæ perfectionis capita.

VI. Eleemoſyna, & preces. v. 14. Ignoſcendum. v. 16. Jejunium. v. 19. Pecuniæ amor & ſollicitudo vitanda.

VII. Non judicandum temere. v. 6. Sanctum non dandum canibus. v. 7. Fiducia in precibus. v. 12. Summa legis. v. 13. Anguſta porta. v. 15. Ex fructibus judicandum. v. 24. Domus ſupra petram, aut arenam.

VIII. Chriſtus morbos, dæmones, tempeſtatem pellit.

IX. Paralyticus. v. 9. Matthæi vocatio. v. 14. Reſponſum diſcipulis Baptiſtæ datum. v. 18. Puellæ mortuæ vita, aliis ſanitas reddita.

X. Apoſtolorum nomina. v. 5. Chriſti eos mittentis monita.

XI. Chriſtus Joanni reſpondet, eum prædicat, Judæos reprehendit, Patrem laudat, laborantes invitat.

XII. Chriſtus diſcipulos excuſat, morbis medetur, Phariſæis & Scribis reſpondet.

XIII. Parabolæ de ſeminante, tritico, & zizaniis, aliæque.

XIV. Caput Joannis præmium puellæ. v. 13. Panes & piſces aucti. v. 24. Petrus ſupra mare ambulans.

XV. De manuum lavatione. v. 21. Chananæa. v. 29. Multiplicati iterum panes & piſces.

XVI. Fermentum Phariſæorum. v. 13. Confeſſio & primatus Petri. v. 21. De cruce Chriſti, & noſtra.

XVII. Chriſti transfiguratio.

Caput

tio. v. 10. Joannes dicitur Elias. v. 14. Lunaticus. v. 23. Didrachma.

XVIII. Documenta & parabolæ.

XIX. De matrimonio, eunuchis, divitiis.

XX. Operarii in vinea. v. 17. Crux Domini. v. 20. Filii Zebedæi. v. 29. Cæci Jerichuntini.

XXI. Triumphalis Chriſti ingreſſus Hieroſolymam. v. 18. Ficus exareſcens. v. 23. Principes ſacerdotum confutati.

XXII. Nuptiæ regiæ. v. 15. Phariſæi & Sadducæi compreſſi.

XXIII. De Scribis & Phariſæis Chriſti oratio.

XXIV. De Hieroſolymæ everſione, ac die Judicii.

XXV. Decem virgines. v. 14. Talenta ſervorum. v. 31. Sententia Divini Judicis.

XXVI. Ultima Chriſti cœna, ejuſque patientis hiſtoria.

XXVII. Tormenta & mors JESU.

XXVIII. Chriſtus redivivus. v. 16. Diſcipuli ad omnes populos miſſi.

MARCUS.

I. Chriſtus baptizatur, tentatur, diſcipulos vocat, morbis ac dæmonibus homines liberat.

II. Paralyticus. v. 14. Matthæi vocatio. v. 18. Diſcipuli defenſi.

III. Multi ſanati. v. 13. Apoſtolorum nomina. v. 22. Scribæ convicti. v. 31. Quæ mater Chriſti, qui fratres.

IV. Parabola de ſeminante, & aliæ. v. 36. Sedata tempeſtas.

V. Dæmones in porcos migrant. v. 22. Hæmorrhoiſſa, & filia Jairi.

VI. Chriſtus in patria contemnitur. v. 7. Apoſtolorum miſſio. v. 16. Joannis Baptiſtæ mors. v. 31. Quinque panes, & duo piſces. v. 45. Chriſtus ſupra mare incedit, ac tempeſtatem compeſcit.

VII. Quid hominem immundum efficiat. v. 24. Syrophœniſſa. v. 31. Surdus & mutus.

VIII. Septem panes cum aliquot piſciculis. v. 11. Fermentum Phariſæorum. v. 22. Cæcus Bethſaidæ. v. 27. Petrus Chriſtum Filium DEI confitetur, ſed ejus morti ſe opponens increpatur. v. 34. Crux ferenda.

IX. Chriſtus transfiguratur. v. 14. Mutum dæmonem ejicit. v. 30. Diſcipulos docet.

Caput
X. De matrimonio, parvulis, divitiis. v. 35. Filii Zebedæi. v. 46. Bartimæus cæcus.
XI. Chriſti Hieroſolymam intrantis triumphus. v. 12. Ficus arefacta. v. 28. Sacerdotes & Scribæ repulſi.
XII. Parabola de vinea. v. 13. Phariſæi, & Sadducæi obmuteſcunt. v. 28. Prima duo mandata. v. 35. Contra Scribas. v. 41. Vidua divitibus liberalior.
XIII. De Hieroſolymæ excidio, & judicio extremo.
XIV. Cœna ſuprema, & Chriſti patientis hiſtoria.
XV. Chriſti cruciatus, & mors.
XVI. Chriſtus ad vitam redit, & in cœlum aſcendit.

LUCAS.

I. Joannes Baptiſta, & JESUS a Gabriele prænunciantur. v. 39. Canticum MARIÆ, & Zachariæ.
II. Chriſtus Bethlehemi natus, circumciſus, in templo oblatus, poſt annos XII. ibidem inventus.
III. Baptiſmus Joannis. v. 23. Chriſti genealogia.
IV. Chriſtus ſatanæ victor, in ſynagoga doctor, energumenorum & ægrotantium liberator.
V. Captura piſcium. v. 12. Leproſus. v. 17. Paralyticus. v. 27. Matthæus vocatur, Phariſæis reſpondetur.
VI. Excuſati diſcipuli. v. 6. Manus arida. v. 13. Apoſtoli enumerantur. v. 20. Octo beatitudines, comminationes, & virtutum præcepta.
VII. Servus Centurionis. v. 11. Juvenis Naimites. v. 18. Baptiſtæ legatio, & elogium. v. 36. Magdalena.
VIII. Parabola de ſeminante. v. 19. Mater & fratres Domini. v. 22. Chriſtus imperat mari, legioni dæmonum, morbo, & morti.
IX. Apoſtolorum miſſio. v. 11. Panum & piſcium multiplicatio v. 18. Petri confeſſio. v. 28. Chriſti transfiguratio, aliaque ejus acta.
X. Miſſio LXXII. Diſcipulorum. v. 25. Parabola de Samaritano. v. 38. Chriſtus Mariæ & Marthæ hoſpes.
XI. De precandi modo & perſeverantia. v. 14. Contra criminatores.
XII. Parabolæ & monita.

Caput
XIII. De pœnitentia, ſabbato, regno DEI, Jeroſolymæ pervicacia.
XIV. Hydropicus. v. 7. Loco noviſſimo recumbendum. v. 16. Cœna magna. v. 25. Quo modo ſequendus ſit Dominus, & omnibus renunciandum.
XV. Gaudium in cœlo de pœnitentibus.
XVI. Villicus iniquus. v. 13. Soli DEO ſerviendum. v. 19. Lazarus & epulo.
XVII. Chriſtus docet Diſcipulos, & X. leproſos mundat. v. 20. De adventu Filii hominis.
XVIII. De judice iniquo, Phariſæo & Publicano, parvulis, divitiarum derelictione, morte Chriſti. v. 35. Cæcus Jerichuntinus.
XIX. Zachæus. v. 11. Homo nobilis X. mnas diſtribuens. v. 29. Chriſti Hieroſolymam ingredientis pompa.
XX. Contra Sacerdotes, Scribas, & Sadducæos.
XXI. Duo nummi viduæ. v. 5. De Hieroſolyma eruenda, & ultimo judicii die.
XXII. Altaris myſterium inſtituit JESUS, & pro nobis patitur.
XXIII. Mors Domini.
XXIV. Chriſtus reviviſcit, & in cœlum ſe effert.

JOANNES.

I. Chriſtus DEUS Homo. v. 19. Teſtimonium Baptiſtæ. v. 37. Primi diſcipuli JESU.
II. Chriſtus aquam in vinum mutat, & reverentiam templo debitam exigit.
III. Nicodemus. v. 23. Sermo Baptiſtæ de Chriſto.
IV. Samaritana. v. 46. Reguli filius.
V. Ægrotus XXXVIII. annorum. v. 16. Chriſti pro ſe ad Judæos oratio.
VI. Chriſtus panes & piſces auget, ſupra mare ambulat, Panem vitæ promittit.
VII. Chriſti in feſto Scenopegiæ oratio.
VIII. Adulteram Chriſtus liberat, Phariſæos refutat, Judæos docet ac redarguit.
IX. Cæco nato Chriſtus viſum largitur.
X. Chriſtus paſtor, & oſtium. v. 22. Sermo Domini in Encæniis.
XI. Lazarus. v. 47. Pontificum & Phariſæorum deliberatio.
XII. Cœna Bethaniæ. v. 12. Chriſtus Hieroſolymam inter plauſus invehitur.

Caput

v. 26. Ejus gloria quæ, & unde.
XIII. Chriſtus pedes diſcipulorum lavat; & ſui proditionem indicat. v. 34. Mandatum novum.
XIV. Chriſti ad ſuos oratio ante mortem.
XV. Ejuſdem orationis pars altera.
XVI. Ejuſdem pars ultima.
XVII. Chriſtus Patrem pro ſuis implorat.
XVIII. DEI Hominis patientis hiſtoria.
XIX. Chriſti mors, & ſepultura.
XX. Chriſtus redivivus.
XXI. Captura piſcium. v. 15. Petri in Chriſtum amor, & pro eo mors.

ACTA APOSTOLORUM.

I. Chriſtus in cœlum aſcendit. v. 12. Apoſtolorum numerus redintegratur.
II. Spiritus Sancti adventus, & linguarum donum. v. 14. Prima Petri ad Judæos oratio, & credentium mores.
III. Claudus a Petro erectus.
IV. Apoſtolis ſilentium a ſacerdotibus imponitur, ſed incaſſum. v. 34. Bona credentium communia.
V. Ananias & Sapphira. v. 14. Apoſtoli mira patrant, & pro nomine JESU cæſi gaudent.
VI. Eliguntur diaconi: inter quos eminet Stephanus.
VII. Oratio Stephani in concilio. v. 56. Ejus lapidatio.
VIII. Simon magus. v. 26. Eunuchus Candaces.
IX. Saulus diſcipulis ſe adjungit. v. 32. Æneas, & Tabitha.
X. Cornelius centurio.
XI. Petrus cur alienigenas admiſerit. v. 19. Barnabæ & Sauli profectio Antiochiam. v. 27. Agabus.
XII. Apoſtoli Jacobi mors, Petri liberatio. v. 19. Herodis interitus.
XIII. Elymas magus. v. 14. Paulus & Barnabas a Judæis ad gentes exteras convertuntur.
XIV. Geſta a Paulo & Barnaba in Lycaonia; reditus Antiochiam.
XV. Chriſtiani alienigenæ Moſaica lege liberi. v. 36. Pauli a Barnaba ſeceſſio.
XVI. Timotheus circumciditur. v. 9. Res a Paulo geſtæ Philippis.
XVII. Geſta a Paulo Theſſalonicæ, Berœæ, & Athenis.
XVIII. Paulus Corinthi, & Epheſi. v. 24. Apollo Ale-

Caput
Alexandrinus.
XIX. Paulus Epheſi iterum.
XX. Paulus Troade, & Mileti.
XXI. Iter Pauli Hieroſolymam. v. 27. Judæorum tumultus.
XXII. Paulus cauſſam e vinculis dicit.
XXIII. Oratio Pauli pro ſe coram concilio, v. 12. Eluſis inſidiis, Paulus mittitur Cæſaream.
XXIV. Pauli cauſſa coram Felice.
XXV. Coram Feſto Paulus ad Cæſarem appellat.
XXVI. Paulus coram Agrippa pro ſe dicit.
XXVII. Pauli navigatio Romam, & naufragium.
XXVIII. Paulus Melitæ, & Romæ.

PAULUS AD ROMANOS.

I. Gentes, etſi DEUM ex ejus operibus agnoſcerent, ſimulacra coluere. v. 24. Ideo cupiditatibus ſuis a DEO permiſſi ſunt.
II. Fruſtra Judæi gloriantur lege, dum eam violant. v. 14. Qui ex Gentibus naturæ legem ſervarunt, coram DEO circumciſi habebantur: qui ex Judæis in legem peccabat, coram DEO Judæus non erat.
III. Potiores quidem Gentibus Hebræi, quia his promiſſiones DEI nunciatæ ſunt. v. 9. Omnes tamen æqualiter Chriſti gratia indigent.
IV. Exemplo Abrahæ docet, non ex operibus legis aut naturæ, ſed ex fide juſtitiam tribui.
V. Excellentia gratiæ, quam Chriſtus nobis promeruit.
VI. Gratia hæc diligenter cuſtodienda eſt, & juſtitiæ ſerviendum.
VII. Sicut mulier, viro mortuo, matrimonii lege ſolvitur: ita per Chriſti mortem lex nobis mortua eſt, & nox legi. v. 7. Erat quidem lex ſancta, occaſio tamen peccati.
VIII. Vivendum non ſecundum carnem, ſed ſpiritum, & caritatem.
IX. Veri Abrahæ filii non ſecundum carnem, ſed ſecundum promiſſa: quæ in omnibus & ſolis electis implentur.
X. Salvi erunt ii tantum, qui crediderint, & invocaverint Chriſtum.
XI. Vocati ex Judæis pauci, ex Gentibus ceteris multi.
XII. Cuique in ſuo ſtatu vir-

virtus ſectanda.
XIII. Præſidibus parendum. v. 8. Plenitudo legis eſt diligere.
XIV. De nemine judicandum.
XV. Judæis & exteris unanimi ſtudio honorandus DEUS.
XVI. Salutationes, & monitum de cavendis quibuſdam.

AD CORINTHIOS I.

I. Corinthiorum contentiones, earumque cauſſam, vanam gloriam retundit.
II. Se non eloquentiæ pompam, ſed cœleſtem ſapientiam ad Corinthios attuliſſe.
III. Non gloriandum in magiſtris, ſed in uno magiſtro JESU Chriſto conſentiendum.
IV. Non judicandum: non ſuperbiendum.
V. Corinthium inceſtum a ceterorum communione reſecat.
VI. Contra lites forenſes, & peccata diverſa, præſertim libidinem.
VII. De conjugio, & virginitate.
VIII. De eſca diis immolata.
IX. Apoſtoli temperantia: v. 19. Fit omnibus omnia, & corpus ſuum caſtigat.
X. Non imitanda veterum Hebræorum delicta: imo & ſpecies mali vitanda, ſi cum damno alieno conjuncta ſit.
XI. De capite velando. v. 17. De Cœna Dominica.
XII. Ut corporis diverſa membra, ita in Chriſti Eccleſia aliis alia dona conceſſa ſunt.
XIII. Caritatis neceſſitas, & proprietates.
XIV. De dono linguarum, & prophetiæ.
XV. Ut Chriſtus mortuus reſurrexit, ita nos reſurrecturos.
XVI. De collecta, & ſuo itinere. v. 10. Commendationes, & ſalutationes

AD CORINTHIOS II.

I. De ſua e periculis liberatione, & ſinceritate.
II. Pauli triſtitia, & bonus odor.
III. Comparatio literæ & ſpiritus, ſeu legis veteris & novæ.
IV. Evangelii theſaurus in Apoſtolis ceu vaſis fictilibus & fragilibus.
V. Terra exilium eſt, cœlum patria. v. 14. Amor Chriſti purus.
VI. Miniſtri DEI quales ſint. v. 14. Vitanda communio cum alienis a Chriſti religione.
VII. Triſtitia, quæ ex DEO eſt, ſolatio non caret.
VIII. Hortatur ad conferendam & mittendam eleemoſynam.

IX. Hi-

Caput

IX. Hilaris & liberalis ſit eleemoſyna: ejus fructus.

X. Poteſtas Paulo data a DEO.

XI. Contra falſos apoſtolos oſtendit, quanta tulerit, ac fecerit.

XII. Paulus, in tertium cœlum raptus, de ſolis infirmitatibus gloriatur. v. 13. Se gravem Corinthiis eſſe nolle.

XIII. Minatur iis, qui non paruerint.

AD GALATAS.

I. Circumventos a falſis Apoſtolis Galatas reſipiſcere jubet.

II. Ritus Moſaicos abrogatos eſſe.

III. Non ex operibus legis, ſed ex fide in Chriſtum oriri juſtitiam.

IV. Hebræi ſub lege erant, ut parvuli ſub tutore: nos hæredes liberi, & inſtar Iſaaci, non ancillæ filii.

V. Relinquenda lex antiqua. v. 16. Opera carnis, fructus ſpiritus.

VI. Semper in curam bonorum operum incumbendum.

AD EPHESEOS.

I. Chriſtus omnium caput, in quo omnia inſtaurantur.

II. Per Chriſtum vita, non ex operibus noſtris, ſed ex gratia vocantis DEI.

III. Gentium vocatio ad Chriſtum.

IV. in Eccleſiæ corpore, uti varia membra, ita varia dona. v. 17. Induendus homo novus.

V. Fugiendæ criminum tenebræ: in luce ambulandum. v. 22. Mutua conjugum officia.

VI. Filiorum ac parentum, ſervorum ac dominorum officia. v. 10. Armatura DEI.

AD PHILIPPENSES.

I. Paulo vivere Chriſtus eſt, & Chriſti Evangelium.

II. Chriſti virtutem imitari jubet. v. 19. Timotheum, & Epaphroditum commendat.

III. Suo exemplo Philippenſes incitat, ut omiſſa lege ſolam Domini crucem reſpiciant.

IV. Morum præcepta dat. v. 10. Promiſſa ſibi eleemoſyna grates agit.

AD COLOSSENSES.

I. Bonum omne noſtrum a Chriſto eſſe.

II. Cavendum a philoſophorum argutiis, & Hebræorum legalibus, ne a Chriſto ſeparentur.

III. Renovandi mores ad imaginem DEI.

IV. Monita, & ſalutationes.

Caput

AD THESSALONICENSES I.

I. Theſſalonicenſes ceterorum credentium exemplar.
II. Verbum DEI a ſe fideliter traditum, ab ipſis conſtanter retentum eſſe.
III. Theſſalonicenſium fortitudo inter adverſa.
IV. Vitanda impudicitia, fraus, & nimius de mortuis luctus.
V. Dies judicii paratis non eſt timendus. v. 12. Officia erga præſides, fratres, DEUM.

AD THESSALONICENSES II.

I. Theſſalonicenſium patientiam laudat.
II. De die judicii & Antichriſto. v. 13. Tenendæ traditiones.
III. Contra otium.

AD TIMOTHEUM I.

I. Lex propter injuſtos lata. v. 12. De ſua vocatione.
II. De precibus, & mulieribus.
III. De epiſcopis, ac diaconis.
IV. Contra falſam doctrinam de nuptiis & cibis. v. 7. Virtutis exercitatio.
V. Præſcribit Epiſcopo regendæ Eccleſiæ modum.
VI. Servi pareant. v. 3. Contra inutiles quæſtiones, & avaritiam.

AD TIMOTHEUM II.

I. Pauli ac Timothei fides non ficta.
II. Quid & quomodo docendum.
III. Noviſſimorum temporum pericula. v. 10. Ærumnarum tolerantia, & ſolatium ex libris Divinis.
IV. Evangeliſtæ opus implendum Timotheo. v. 6. De laboribus a ſe exantlatis.

AD TITUM.

I. Quales Sacerdotes & Epiſcopos eſſe oporteat.
II. Convenientia cuique documenta inſtillanda.
III. De munere docendi, vocationis gratia; vanis quæſtionibus, hæreticis.

AD PHILEMONEM.

Rogat, ut Oneſimum, ſervum fugitivum, nunc pœnitentem benigne recipiat.

AD HEBRÆOS.

I. Filii Divini ſumma dignitas.
II. DEI Filius, ſponte infra Angelos deſcendens, ſalutis auctor.
III. Quanto ſublimior ſit Moyſe Chriſtus.
IV. Conandum omnibus, ut in requiem Domini ingrediamur, Pontifice Chriſto duce.
V. JESUS Sacerdos magnus ſecundum ordinem Melchiſedec.
VI. Minatur relabentibus poſt baptiſmum. v. 9. Abra-

ham

Caput

ham ſpei argumentum.

VII. Sacerdotium Chriſti, in Melchiſedeco præmonſtratum, longe ſuperius Levitico.

VIII. Fœdus novum antiquo præſtantius.

IX. Tabernaculum imago erat legis Chriſti.

X. Sola mors Chriſti peccatum tollit: in Chriſto ſpes reponenda.

XI. Illuſtria fidei exempla.

XII. Hortatur ad patientiam pro Chriſto, & ſanctimoniam.

XIII. Per virtutum ſtudium vitæ futuræ proſpiciendum.

JACOBI EPISTOLA.

I. Gaudendum in adverſis, caduca ſpernenda, frenanda lingua: omne vero bonum a DEO petendum.

II. Non reſpiciendæ perſonæ. v. 14. Fides ſine operibus mortua.

III. Linguæ cuſtodia, & vera ſapientia.

IV. Comprimendæ cupiditates, quæ malorum omnium origo ſunt.

V. De avaritia, patientia, jurejurando, precibus, extrema unctione.

PETRI EPISTOLA I.

I. Salutis cura, & fidelitas.

II. Innocentiæ puerorum adjungenda perfectio virorum.

III. Ad conjuges. v. 8. Ad Chriſtianos omnes.

IV. Armandus animus prudentia, precibus, caritate, Chriſti exemplo.

V. Ad ſeniores, & juvenes.

PETRI II.

I. Vocationem bonis operibus certam eſſe faciendam.

II. DEUS ultor ſcelerum.

III. De judicio, & Pauli epiſtolis.

JOANNIS EPISTOLA I.

I. DEUS lux eſt, tenebras noſtras diſpellens.

II. Chriſtus propitiatio pro peccatis. v. 7. Caritas fraterna. v. 12. De hujus mundi odio. v. 18. De Antichriſtis.

III. Eſſe nos DEI filios. v. 12. Caritatem operibus probandam eſſe.

IV. Unde ſpiritus diſcerni poſſint.

V. Victoria reportatur per fidem, caritate animatam.

JOANNIS II.

Mandatum caritatis. Hæretici ne ſalutandi quidem.

JOANNIS III.

Gaji ac Demetrii laudes.

JU-

Caput

JUDÆ EPISTOLA.

Contra Evangelii corruptores.

APOCALYPSIS.

I. Joannes videt Filium hominis.
II. Ad angelos ſeu Epiſcopos quatuor Eccleſiarum.
III. Ad reliquos tres angelos.
IV. Solium DEI, XXIV. ſeniores, IV. animalia.
V. Liber ſignatus, ab Agno apertus.
VI. Sigilla ſex reſignata.
VII. Signati e ſingulis tribubus Hebræorum, & aliis Gentibus.
VIII. Aperitur ſigillum ſeptimum: plagæ a ſeptem Angelis infligi cœptæ.
IX. Plagæ ceteræ.
X. Angelus Joanni librum porrigit comedendum.
XI. Duo teſtes: regnum Chriſti.
XII. Mulier amicta Sole.
XIII. Beſtia ſeptem capitum adoratur.
XIV. Agnus in monte Sion. v. 8. Ruina Babylonis; & impiorum pœnæ.
XV. Victores beſtiæ: phialæ iræ DEI.
XVI. Supplicia e ſeptem phialis effuſa.
XVII. Babylon meretrix magna.
XVIII. Exitium Babylonis.
XIX. Nuptiæ Agni. v. 11. Rex regum debellat hoſtes.
XX. Draco vinctus. v. 7. Gog & Magog.
XXI. Jeruſalem nova.
XXII. Fluvius aquæ vitæ. JESUS principium & finis.

Summa Capitum & Verſuum omnium utriuſque Legis.

Sequor editionem Bibliorum Celeberrimi P. Thomæ Erhardt O. S. P. B.

LIBRI LEGIS ANTIQUÆ.

Liber	*habet Capita*	*Verſiculos*
Geneſis	50	1530
Exodus	40	1211
Leviticus	27	858
Numeri	36	1288
Deuteronomium	34	959
Joſue	24	658
Judices	21	618
Ruth	4	85

Re-

SUMMA CAP. ET VERS.

Liber	*habet Capita*	*Verſiculos*
Regum I.	31	811
Regum II.	24	695
Regum III.	22	817
Regum IV.*	25	719
Paralipomen. I.	29	940
Paralipomen. II.	36	822
Eſdræ I.	10	280
Eſdræ II.	13	404
Tobias	14	298
Judith	16	346
Eſther	16	275
Job	42	1070
Pſalterium	150	2533
Proverbia	31	915
Eccleſiaſtes	12	222
Cantica	8	116
Sapientia	19	439
Eccleſiaſticus	51	1603
Iſaias	66	1293
Jeremias	52	1363
Threni	5	154
Baruch	6	213
Ezechiel	48	1272
Daniel	14	531
Oſeas	14	198
Joel	3	73
Amos	9	147
Abdias	1	21
Jonas	4	48
Michæas	7	104
Nahum	3	47
Habacuc	3	56
Sophonias	3	53
Aggæus	2	38
Zacharias	14	211
Malachias	4	55
Machab. I.	16	929
Machab. II.	15	558
Libri 46.	Cap. 1074.	Verſ. 27876.

LIBRI LEGIS NOVÆ.

Liber	*habet Capita*	*Verſiculos*
Matthæus.	28	1070
Marcus.	16	677
Lucas.	24	1151
Joannes.	21	879
Acta Apoſtolorum.	28	1004
Paul. ad Rom.	16	433
Cor. I.	16	437
Cor. II.	13	255
Galat.	6	149
Epheſ.	6	155
Philipp.	4	104
Coloſſ.	4	95
Theſſalonic. I.	5	88
Theſſalonic. II.	3	46
Timoth. I.	6	113
Timoth. II.	4	83
Tit.	3	46
Philemon.	1	25
Hebr.	13	303
Jacobus	5	108
Petri I.	5	105
Petri II.	3	61
Joann. I.	5	105
Joann. II.	1	13
Joann. III.	1	14
Judas	1	25
Apocalypſ.	22	405

Libri 27. Cap. 260. Verſ. 7949.

UTRIUSQUE LEGIS.

Libri 73. Cap. 1334. Verſ. 35825.

SOLI DEO GLORIA.

Indice di alcuni Libri Latini, ed Italiani uſciti finadora dalla Stamperia di Antonio Zatta col loro giuſto corrente prezzo.

S. Gregorii Nazianzeni, Opera, Latine, interprete Jac. Billio, cum Varior. Commentariis. Quibus inſuper acced. quamplurima a Tollio & Muratorio ex vetuſtiſſ. Codd. collecta, & notis illuſtrata. fol. Tom. 2. 1753. Lire 65:

S. Dionyſii Areopagitæ Opera omnia, Græce & Latine, Commentariis & Adnotationib. illuſtrata a P. Corderio: quibus ſuperadditæ ſunt in hac editione Diſſertationes prævia, variantes Lectiones, aliæque Acceſſiones potiſſimum ad rem facientes. fol. Tom. 2. 1755. L. 75:

--- Idem Opus impreſſum Charta pluſquam optima & maxima, atque, ut ajunt, Imperiali, cum ampliſſimis marginibus: cujus unicum extat exemplar. L. 300:

S. Clementis Alexandrini Opera omnia, Græce & Latine, recognita & illuſtrata a Joan. Potero: Quibus inſuper adjecta ſunt in hac editione Fragmenta aliqua ex Fabricio, ac Vita S. Patris, Monumentis præſtantiſſimis exarata, fol. Tom. 2. 1757. L. 80:

--- Idem Opus Charta magna. L. 90:

Sacrorum Conciliorum nova & ampliſſima Collectio; In qua præter ea, quæ in præcedenti Labbeana in lucem edita fuere, ea inſuper omnia ſuis locis diſpoſita exhibentur, quæ P. Manſi in ſex Voluminibus Supplementorum Lucæ nuper evulgavit. Editio noviſſima, ab eodem P. Manſi, aliiſque eruditiſs. Viris curata, ad MSS. Codd. Vatican. Lucenſ. alioſque recenſita & perfecta, Notiſque & Diſſertationib. quamplurimis nunc primum locupletata. In fol.

--- *Pretium nitidum Tomi Primi, II. & III. pro* Subſcriptoribus, *parata pecunia.* L. 90.
Prænumeratio pro IV. Tomo. L. 30:

Summa L. 120:

Muſeum Mazzuchellianum, ſeu Numiſmata Virorum doctrina præſtantium, quæ apud Jo: Mar. Co. Mazzuchellum Brixiæ ſervantur, Commentario illuſtrata, atque in duos Tomos diſtributa. In fol. ſub prælo.

-- *Singuli Tomi ſolventur a* Subſcriptoribus *parata & nitida pecunia.* L. 66:

Tabulæ Whiſtonianæ conſpectus, cum Theorematibus ex Aſtronomia ſelectioribus, addito ſchemate æneo in 8. charta vulgo Imperiali. 1759. L. 4:

Dan-

Dantis Alighèrii Monarchia, *quæ ſeorſim venditur a toto Opere*. 4. Fig. 1759. L. 2:

Statuta & Privilegia Portus Naonis. in 4. 1755. L. 4:

Weintenaver, P. Ignatij Soc. Jeſu, Lexicon Biblicum, in quo Vulgatæ Vocabula, & Phraſes explicantur: Accedunt Summaria totius Codicis Divini. 8. 1760. L. 4:

Il Vizio ſgridato, col preſervativo della ſolitudine della Villa: ottave Rime, con un'aggiunta ſulla vera Nobiltà. in 8. 1755. L. 1:

Bonomo (Giambat.) Il buon Governo dell'Anime, propoſto maſſimamente a' Parrochi, e Confeſſori. in 8. 1756. L. 2:10

Zampi (Fel. Mar. Carmel.) Parafraſi de' Treni di Geremia tradotti in verſi volgari, con annotazioni. in 4. 1759. L. 1:10

Nuovo Manuale, o ſia iſtruzione pratica ſopra la Regola, e Coſtituzioni dell'Ordine de' Minori Conventuali di S. Franceſco. in 8. 1758. L. 3:

Barbaro (Antonio Tom.) Eſpoſizione delle Litanie della B. V. Maria. in 12. 1759. L. 3:

Volgarizzamento del Libro di S. Bernardo della Conſiderazione, mandato ad Eugenio III. ed ora tradotto in lingua Italiana. in 8. 1759. L. 2:

Ritiro di dieci giorni ſopra i principali doveri de' Religioſi dell'uno e l'altro ſeſſo, con una Parafraſi ſopra la Proſa dello Spirito Santo, Opera di un Sacerdote Benedittino della Congreg. di S. Mauro, traslatata dalla Lingua Franceſe nella Italiana. in 8. 1759. L. 2:10

Le Rime del Petrarca co' Comenti del Caſtelvetro, con 200. e più figure in rame, alluſive a tutta l'Opera, e con varie altre aggiunte che molto illuſtrano queſta edizione. in 4. Tomi 2. 1756. Carta grande. L. 50:

--- detto in Carta migliore. L. 55:

--- detto in Carta ſtragrande, con ampli margini. L. 70:

Dante Alighieri la Divina Commedia, e le altre ſue Opere, colle annotazioni del P. Venturi, e di Gio: Antonio Volpi: edizione noviſſima adornata di 400. e più figure in rame, alluſive a tutta l'Opera; ed accreſciuta della ſua *Monarchia*, e di varie coſe inedite, come pure di una nuova Vita di Dante, con alcune Lettere, Apologie, ed Illuſtrazioni di moderni Scrittori. in 4. Tomi 5. 1759. L. 160:

A queſt' Opera poſſono unirſi ancora le ſeguenti: cioè

--- Giudizio degli antichi Poeti ſopra la moderna Cenſura

fura

ſura di Dante, attribuita ingiuſtamente a Virgilio, ovvero Saggio di Critica, Poema Ingleſe del Pope, fatto Italiano dal Co: Gozzi, con figure in rame alluſive agli argomenti della Critica. in 4. 1758. *raro* L. 8:
--- Parere ſopra il Poemetto del P. Bettinelli G. intitolato le Raccolte, colla Riſpoſta ec. in 4. 1758. L. 2:
--- Proſe, e Rime Liriche edite, ed inedite. in 4. Fig. *Si vendono anche ſeparate dalla Commedia.* L. 25:
--- *Si vendono anche ſeparate dall' Opera di Dante.*
Tutte le Figure in Rame in numero di 212. tra grandi e picciole, che ſervirono per ornamento di detta edizione; ſtampate in Fogli nu. 53. diſtribuite però in modo che cadaun Foglio contiene quattro Figure, cioè due Figure grandi de' Canti di Dante, ed altre due Figure picciole, che loro corriſpondono, in cui ſono gli Argomenti in verſi, da' quali vengono ſpiegate. L. 32:
--- Dette miniate di varj colori. L. 50:
Trattato ſopra la coltivazione delle Vitti, del modo di fare i Vini, e di governarli, tradotto dal Franceſe del Sig. Bidet. in 8. Fig. 1759. L. 2:10
Lettera di Giuſeppe Valeriano Cav. Vannetti, ſcritta al Sig. Gio: Pietro Moneta Fiorentino, Podeſtà di Roveredo, intorno alla Vita di Dante. in 4. L. 1:10
Lettere Erudite rapporto a ciò che deve ſaperſi, e praticarſi dagli Eccleſiaſtici sì Secolari che Regolari, ſcritte dal P. Giuſtiniano Ponteſiena Teodori. in 8. Tomi 2. 1759. L. 2:10
L'Eſter Tragedia in 8. 1759. L. 1:10
Il Tradimento ſcoperto nelle Converſazioni, Operetta del Sacerdote Giambatiſta Bonomo. 1758. L. :10
Algarotti, Co: Franceſco, Lettere in Verſi; Edizione noviſſima ricorretta, ed accreſciuta dall' Autore, in 12. 1759. L. 1:
--- detto Lettere Militari. in 8. 1759. L. 2:
Benetti, Santo, L'Accorto Fattor di Villa, o ſia Oſſervazioni per il governo della Campagna, con la maniera di coltivare gl' Alberi da Frutto, ed altre utili aggiunte. in 8. 1759. L. 1:
Teodori, D. Giuſtiniano Ponteſiena, Lettere erudite intorno a ciò, che deve ſaperſi, e praticarſi dagli Eccleſiaſtici. in 8. vol. 2. 1759. L. 2:10
Gordon, Gramatica Geografica, ovvero Analiſi eſatta, e brieve della moderna Geografia, con Figure in rame. Edizione II. ricorretta, ed accreſciuta, in 8. 1760. L. 3:10

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquiſitor Generale del Sant'Offizio di Venezia nel Libro intitolato *Lexicon Biblicum, in quo explicantur Vulgatæ Vocabula, & Phraſes &c. Auctore Ignatio Vveitenauer S. J. &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta Stampator di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 17. Novembre 1759.

(
(Angelo Contarini Proc. Reformator.
(Franceſco Moroſini 2do. Cav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 27. al Num. 162.

Gio: Girolamo Zuccato Segretario.

252200

INT 141126

Digitized by Google